i7'

MUSEUM LESSIANUM: SECTION THÉOLOGI^UE

ARTHURUS VERMEERSCH, e S. I.

I)OCTOH IURIS, JURIS CANONICI EI SCIENTIARUM POUTICARUL
Theologiae moralis Professor in Pontificia Universitate Gregoriana.

THEOLOGIAE MORALIS

PRINCIPIA - RESPONSA - CONSILIA

Tomus I

THEOLOGIA FUNDAMENTALIS

bibliothèque
ÉQUIPE r\ST XAL»
•'/■'Cu '2221 I'ON
j, rus Rachei Lst
Montreal

FIRME Charles Beyaert
éditeurs ioktifioavx. brvoes, belqiqve.

ROMA (19)
UN1VEB81TÀ Gr KOORIANA
VIA !>KL SEMIEARIO. 120
BRUXELLES
A. DewïT
RÜE ROYALE. SJ
TOURNAI
TABH8SKMKNT8 Oa BTERMAN
RVS TICS SOEORt-EOIRES. i».

PARIS (<j)
Of.PÔT Chahi-f.r BrvAERi
(J. *OIJIAUI>OE).ROg jacoh.* s:

1922

2236

imprimatur.

Carolus Miccinellt, S. I., *Praep. Prov. Pom.*

IMPRIMATUR.

Fr. Albertus Lepidi, O. P., *S. P. A. Magister.*

IMPR1MATUR.

Josephus Palica, *Arch. Philipp. Viccsg.*

ItOMA (922 ~ STABILIMEN l () roiMiumo run l 'au m. BKi i Λ βσχκBλ

PRAEFATIO

Propria nostrae Theologiae moralis *ratio atque opportunitas ipso titulo quo inscribitur manifestata vel saltem insinuata nobis videtur.*

Principia *enim,* Responsa *et* Consilia *promittimus.*

Principia *tradi nequeunt sine intrinseco causarum examine.*

Responsis *casus clare solvendi sunt, pro necessaria et prudenti praxis eruditione.*

Consilia *denique dantur de meliore bono. Quare sollicitudo nostra non erit tantum de perpendendis peccatis quae fugienda sunt; sed ad positivam Christianae iustitiae partem, exponendam et commendandam se etiam extendet.*

Scriptus lotus post Codicem, facilius quam tractatus qui mere post Codicem recogniti sunt, liber ad praesentes iuris normas erit accommodatus. Quo magis ad usum inserviat, utilitatem argumenti ante capita vel·titulos praescribere placuit; singulis autem capitibus subiungbwtio summaria quae brevem capitis repetitionem exhibebunt.

Collata benevola opera amicoruAnCde his^xebus peritorum, in tractatibus qui legum civiliumf ordinationibus complendi sunt, non solum ius latinum sed etiam amcricanum, anglicum et germanicum; in liturgicis et disciplinaribus institutis, historicas praesentis disclplin&e inchoationes et successivas praeparationes breviter adihnbrare poterimus, nec neglegemus.

Publica gentium apostasia non solum intellectum, sed etiam mores hominum corrumpit. **J** *b illuvie nco-paganismi praeservandi sunt hi quorum lux, monente Domino* (1), *ita coram hominibus lucere debet ut ex bonis ipsorum operibus Pater caelestis glorificetur.*

Possit, iuvante Dei gratia, hoc qualecumque opus nostrum quidpiam ad sublimem divinae gloriae finem contribuere !

Romae, in sacro die Pentecostes, 4 iunii 1922.

(1) Ev. S. Ma t t ii., 5, 16.

ORDO TOMORUM.

I. *Theologia fundamentalis.*

II. *De Officiis virtutum.*

III. *(Canonico-liturgicus et moralis) De praeceptis Ecclesiae et Sacramentis.*

IV. *Specialis de Castitate et vitiis oppositis.*

INDEX ANALYTICUS

PROOEMIUM.

Varia de theologia morali.

Prooemii utilitas..... *Pag* 1
Art. I. Theologiae moralis definitio (I.)..... » 1
Art. II. Theologia moralis et scientiae a[illegible]es (2. 3.) » 4
Parergon. De relatione disciplinae iuridicae ad disciplinam moralem (4.)..... » 7
Art. III. — Theologiae moralis fontes (5.)..... » 9
Art. IV. — Theologiae moralis methodus (6-9.)..... 11
Art. V. — Notae historicae de theologia morali (10.) 18
I. Disciplina moralis in Novo Testamento (11.12.) 19
II. Aetas Apostolica (13.)..... » 21
III. Aetas Patrum proprio talium (14-16)..... 22
IV. Aetas Patrum minus proprie talium (17.)... » 26
V. Aetas Scholasticorum medii aevi (18.)..... 29
VI. Aetas Scholasticorum post medium aevum (19.) 32
VII. Aetas post-scholastica ad S. Alphonsum (20.) 34
VIII. A S. Alphonso ad dies nostros (21. 22.)..... » 35
IX. Variae observationes de istis indicationibus (23. 24.)..... » 38
Art. VI. — Ordo dicendi (25)..... » 41
Summarium (26.)..... » 42

TRACTATUS PRIMUS.

De subiecto cui theologia moralis scribitur.

Utilitas tractatus..... *Pag.* 47
Subiectum, quodnam sit. Corollarium (27-30.)..... « 47
Summarium..... » 49

TRACTATUS II.

De actibus humanis.

TITULUS I. — Notiones et divisiones. Utilitas (31-38.)... *Pag.* 51
Summarium (39)..... » 56

TITULUS II. — De actu humano qua voluntario et libero 57
Art. I. — Voluntarii et involuntarii notiones et divisiones (40-47.)..... » 57
Art. II. — De actu humano, qua libero (48-49.)..... » 63
Summarium (50.)..... » 64

TITULUS III. — Impedimenta et fines liberi arbitrii.
Utilitas..... » G5
Impedimentorum ratio et divisio (51 **j**..... » 66

Cap. I. — *Fines liberi arbitrii et impedimenta in homine sano.*
Art. 1. — Fines et impedimenta omnibus communia (52. 53.)..... » 66
Art. II. — Fines et impedimenta accidentalia.
§ 1. De Ignorantia.
I. Notio et divisiones (54. 55.)..... » 69
II. Quaenam ignorantiae invincibiles exsistere queant (56. 57.)..... » 71
III. Reatus ignorantiae vincibilis, quando mala est (58-60.)..... » 72
IV. Quid ignorantia operetur(61-65.)..... « 73
§ 2. De concupiscentia et accedente consuetudine
I. De concupiscentia..... » 77
A. Notio et divisiones (66. 67.)..... » 78
B. Effectus in voluntarium, meritum et peccatum (68. 69.)..... 79
II. De accedente vi consuetudims (70.)..... » 79
III. Supplementaryae observationes
A. Praesens hominis infirmitas (71.)..... » 80
B. Varia de concupiscentia praecepta et consilia (72-74.)..... » 80
§ 3. De vi seu violentia.
I. Notio et divisio (75)..... » 8]

II. Effectus in voluntarium et in meritum vel peccatum (76. 77.)..... *Pag·* 82
§ 4. De metu.
I. Notio et divisiones (78. 79.)..... »
II. Influxus in voluntarium et in actus (80-84.) 84
III. De vitandis phobiis (85.)..... 86
§ 5. De dolo (86.)..... » 87
Summarium (87.-93.)..... 88
Ca p. II. — *Impedimenta libere arbitrii in homine aegroto.*
Art. I. — De variis animi morbis breves notiones (94-102.)..... » 91
Art. II. — De molestis casibus qui in re libidinosa occurrunt (103-106.)..... 94
Summarium (107.)..... 09
TITULUS IV. — De actu humano qua morali.
Utilitas..... 100
Ca p. 1. —*Quid et quotuplex sit moralitas* (108. 109.).. 101
Summarium..... 102
Ca p. II. — *Quam late pateat moralitas* (110-112.)..... 102
Summarium..... 104
Ca p. III. — *U'ndenam moralitas aestimetur seu de. Fontibus moralitaiis.*
Principium (113.)..... 104
§ 1. De obiecto strictius sumpto (114. 115.).... 105
§ 2. De fine (116-119.)..... 106
§ 3. Do circumstantiis (120. 121.)..... 111
§ 4. Supplementa de effato « Bonum ex intogra causa, malum ex quocumque defectu» (122-125.) 113
Summarium (126.)..... 114
TITULUS V. — De actu humano qua imputabili et meritorio.
Utilitas..... » 115
Notiones et divisio (127.)..... » 115
Art. 1. - De imputatione morali (128-135.)..... » 116
Art. II. — Do merito actionis luunanao et conexa intentionis quaestione.
§ 1. De merito(136-147.).. . ..Ï..... » 121
§ 2. Formalis intentionis necessitas, puritas, efficacia (148-152.)..... » 129
Summarium (153.)..... » 133
CONCLUSIO..... » 135

TRACTATUS III.

De Legibus.

Introductio. — *De Dei ordinatione et obligatione humana* (155-158.)..... *Pag.* 137
Summarium (159.)..... » 141

TITULUS I. — De legibus in communi.

Utilitas..... » 142
Cap. I. — *Legis notio* (160-165.)..... » 142
Summarium (166.)..... » 146
Cap. II. — *Legis proprietates.*
Quaenam numerentur (167.)..... » 147
I. Obligatio legis (168-170.)..... 147
II. Legis universalitas (171.)..... 150
III. Legis perpetuitas (172.)..... » 151
IV. Legis extensio ad sola futura (173.)..... » 151
Summarium (174.)..... » 153
Cap. III. — *Legis sanctio* (175.)..... » 153
Summarium (176.)..... » 154
Cap. IV. — *Legum divisiones* (177-180)..... 155
Summarium (181.)..... » 159
Cap. V. — *Legis interpretatio* (182-184.)..... » 159
Summarium (185.)..... » 163
Cap. VI. — *Legis auctor* (186-189.)..... » 164
Summarium (190.)..... » 166
Cap. Vil. — *Legis subiectum* (191. 192.)..... » 167
Summarium (193.)..... » 168
Cap. VIII. — *Legis observatio* (194-203.)..... » 168
Summarium (204.)..... » 173
CAP. IX. — *Cessatio legis vel obligationis.*
§ 1. De directa legis cessatione (205. 206.)..... » 174
§ 2. De solutione vinculi legis.
I. Sublata subiectio.
Quo pacto cesset subiectio (207.)..... » 176
A. De mutata condicione (208.)..... » 176
B. Do privilegio (209-215.)..... » 176
§ 3. De exorto impedimento (216-221.)..... » 181
§ 4. Do concessa dispensatione (222-228.)..... » 185
Summarium (229.)..... » 191

Cat. X. — *Deminuta legis ratio.*
§ 1. De praecepto (230. 231.)..... IW· 1J_
§ 2. Do Consilio (232. 233.)..... *
Summarium (234.)..... * *

TITULUS II. — De diversis legibas.

Cap. I. — *De lege, divina.*
Utilitas..... ' 19'
Art. I. — Do lege aeterna (235. 236.).....*..... ' 19'
Art. II. — De lege naturali (237-243.)..... '
Art. III. — Do lege divina positiva (244.).....
Summarium (245.)..... *
Appendix. — *De iure Gentium* (246-248.)..... Λ “θθ
Summarium (249.)..... *
Cap. II. — *De lege humana.*
Art. I. Communia legis humanae puncta.
§ 1. Quomodo obliget lex humana.
I. Fons obligationis legis humanae (250.)...·
II. Obligationis species moralis (251.)..... "
III. Obligationis species theologica (252. 253.). 211
IV. Obligationis materia (254.)..... ' 216
V. Obligationis initium (255.)..... “ 219
§ 2. Do auctoritate populi et de formis secundariis legis humanae.
I. De auctoritate populi (256-259.)..... 221
II. Do consuetudine (260-263.)..... 223
III. Do instructione veldecreto (264.)..... ' 227
Art. II. — De legoecclesiastica..... | 229
Utilitas..... * 229
§ 1. Do lege ecclesiastica in se considerata (263-271.)..... » 230
§ 2. De auctoro legis ecclesiasticae.
I. Notiones de Hiorarchia ecclesiastica (272-276.) 234
II. Quinam leges facere possint in Ecclesia (277. 278.)..... · 237
§ 3. Do subiecto legis ecclesiasticae.
I. Do legibus universalibus (279-284)..... 239
II. Do legibus particularibus (285-288.)..... 242
§ 4. De interpretatione logis ecclesiasticae (289-292.)..... 249
§ 5. De privilegiis et dispensationibus in lego ecclesiastica.

I. De privilegiis (293.)..... *Pag.* 253
II. De dispensationibus (294-305.)..... » 254
Appendix I. — De rescriptis (306-314.)..... » 262
Appendix II. — Do Curia Romana.
I. Notiones generales (315. 316.)..... » 264
II. Do Sacris Congregationibus.
A. De SS. Congregationibus in communi(317) » 265
B. Do singulis Congregationibus (318-329). . » 267
III. De Tribunalibus (330-333.)..... » 271
IV. De Officiis Curiae Romanae (334.)..... 272
Art. III. — De lege civili (335.)..... 273
Summarium (336.)..... » 276
Conclusio. — *De legibus comparatis inter se et cum libertate humana* (337.). » 285
Summarium..... » 288

TRACTATI'S IV.

De conscientia.

Utilitas..... *Pag.* 289
I. Introductio tractatus (338-341.)..... » 289
Summarium..... » 292

TITULUS I. — De Conscientia actuali.

Utilitas..... » 293
Cap. I. — *De vi conscientiae certae* (343. 344.)..... » 293
Summarium (345.)..... » 294
Cap. II. — *De vi conscientiae practice dubiae* (346 349.) 295
Summarium (350.)..... » 296
Cap. III. — *De Conscientia speculative dubia.*
Art. I. Do Conscientia positive dubia, seu probabiliter indicante..... » 296
§ 1. Notiones (351-355.)..... » 297
§ 2. Variat* opiniones seu systemata moralia (356. 357.)..... » 303
§ 3. Systema morale verum statuitur.
I. Systemata quae admitti non possunt (358.) » 310
II. Demonstratio probabilismi (359. 360.)..... » 314
Scholia (361-364.)..... » 320
§ 4. De usu probabilismi (365-367.)..... » 322

§ 5. De probabilitate facti (368-371)..... Pag- 324
Art. II. — Do Conscientia negative dubia (372-374.) " 330
Summarium (375.)..... .. * 333

TITULUS II. — De Conscientia habituali.
Utilitas..... „ 336
Art. I. De Conscientia recta et tenera (376-379.) 336
Art. II. - De Conscientia scrupulosa (380-386.).. 338
Art. III. - Dc Conscientia laxa (387-388.)..... 345
Summarium (389.)..... " 346
Conclusio (390.) 347

TRACTATUS V.

De peccatis.

TITULUS I. — Peccati notio, divisio. - Peccatum mortale, veniale, inperfectio.
Cap. I. — *De peccati notione ci divisione in conjuso* (391-398.).....
Summarium (399.)..... * »
Cap. II. — *Dc peccato mortali seu de peccato proprie dicto.*
I. De peccato mortali actuali (400-408)..... 355
II. De peccato mortali habituali et de matula peccati (409.)..... 365
III. De reatu poenae (410.)..... 365
Summarium (411.)..... 366
Cap. III. — *Dc peccato veniali.*
I. De peccato veniali actuali (412-419.)..... 368
II. De peccato veniali habituali (420.)..... 376
Summarium (421.)..... 376
Cap. IV. — *De imperfectione morali* (422-424.)..... 37'
Summarium (425.)..... 381

TITULUS II. — Moralis peccatorum specificatio (426-430.). 382
Summarium (431.)..... 385

TITULUS III. — Numorica peccatorum disctinctio (432-440.) 385
Summarium (441.) 393

TITULUS IV. — Peccati poenae et exstinctio.
Utilitas..... 394
Cap. I. — *Peccati poenae* (442-445.)..... » 395
Summarium (446.)..... 398
Cap. II. — *Peccati exstinctio* (447. 448.)..... 399
Summarium (449.)..... » 4«2

TITULUS V. — Peccati fuga (450-456.)..... „ i»3
Summarium (457.).....

TITULUS VI. — De quibusdam peccatorum generibus.
Utilitas..... » 412
Cap. I. — *De peccatis internis.*
Notio argumenti (458.)..... 412
Art. I. — Do morosa delectatione (459. 460.)... „ 413
Art. II. — Do desideriis (461.)..... „ 414
Art. III. — Do gaudiis (462-464.)..... » 415
Summarium (465.)..... » 417
Cap. II. — *De quibusdam obicctivis peccatorum ratio-nibus.*
Art. I. — De peccatis capitalibus.
§ 1. Notiones generales (466-468.)..... » 418
§ 2. Do Superbia vol inanigloria (469. 470.).... „ 421
§ 3. Do Avaritia (471.472.)..... » 422
§ 4. De Luxuria (473.)..... » 422
§ 5. Do Invidia (474.)..... » 423
§ 6. De Gula.
I. De Gula in universum (475. 476.)..... » 424
II. De Ebrietate (477-484.)..... „ 425
§ 7. De Ira (485. 486.)..... » 430
§ 8. De Acedia (487. 488.)..... » •131
Art. II. — Do peccatis in Spiritum Sanctum (489.) 433
Art. III. — De peccatis quae ultionem caelestem appellant (490.)..... » 433
Summarium (491.)..... » 434

TRACTATUS VI.

Subsidia humanae libertatis.

Utilitaf-..... *Pag.* 437
I. Subsidia interiora (492-497.)..... » 437
II. Subsidia exteriora (498.)..... 441
Summarium (499.)..... 442

CONCLUSIO (500.)..... 445

Nolae eupplementares ..... » 446

Index rerum alphabeticus..... » 447

PROOEMIUM

VARIA DE THEOLOGIA MORALI.

Proemii utilitas. — Nulla est scientia vera, si eius obiectum confuse tantum monti obversotur. Distincta autem propositio obiecti explorandi, methodi adhibendae et comparationis cum scientiis affinibus, non secus ac lucidum phantasma ipsius rei materialis considerandae eiusque collocationis in spatio, tum intellectum, tum memoriam mirifico iuvant.

Ar t ic u l u s i. — Theologiae moralis definitio.

i. — Theologia morum, seu practica theologia (1), a nobis definitur: *Scientia quae, ex articulis fidei, regulat homini elevato et reparato, actus suos humanos.*

Definitio explicatur, a) «*Scientia*» dicit systematical!! propositionem et rationalem conclusionum deductionem ex principiis per se notis. Cum autem principia theologiae nobis non sint per se nota, sed divinitus revelata sint, scientia th logica non est, sub hoc respectu, in nobis nisi imperfecte et deiicienter.

Nonno ipsa ista deminuti nominis scientia desiderari videtur in libris qui conclusiones suas principiis interno nexu devincire omittunt, ot foro hoc unum sectantur, ut, recitatis variis sententiis, quaonam communes, quaenam saltem probabiles sint, ipsa enumeratione demonstrent ♦

(1) Ipsa, vox *theologiae* diu varia signiticuvit, v. g. ipsam s. Scripturam ecu divinas paginae. Fontes indicantur n d k Giik l l in c k 8. I. *Is* " >u· <*ment Ihf.ologiquc du XII· siMe,* p. 60.

b) «*Quae ex articulis Fidei* ». Articuli Fidei stricte « sunt divinitus credibilia, quae et explicite sunt revelata, et ex aliis, se prioribus, deduci non possunt » (1). Porro, in articulis qui ad usum seu praxim referuntur theologia morum reperit sua prima principia, ac proin suum *obiectum formale*.

Ceteri articuli Fidei, i. e. speculativi, theologiam *dogmaticam* fundant. Verum, cum utraque theologia, speculativa et practica, Fidei articulos assumat ut revelatos et creditos, ita ut in utraque unum sit ultimum assensus motivuni, utraque idem obioctum formale habent. Itaque theologia dogmatica et theologia moralis proponendae non sunt ut binae scientiae specifice distinctae et in unum genus convenientes, quod foret *Theologia,* sed dicendae sunt duae *partes integrantes* unius scientiae divinae.

Aliter res se habent in scientiis rationalibus, quae ex primis principiis per se notis eruuntur. Tunc singula principia suam propriam evidentiam possident ; habitus primorum principiorum speculativorum non est idem atque habitus principiorum operabilium ; vir aptissimus ad motaphysica fore inhabilis ad moralia discernenda deprehendi potest; dum omnes Fidei articuli eiusdem habitus fidei actibus aequo facile vel difficile creduntur. Quare *ethica* seu naturalis scientia morum, a *theodicaea,* seu naturali scientia Dei, formaliter seu specifice differt.

Cum tamen, in conclusionibus colligendis propria ratione utamur, minime negamus fieri posse, et rem non esse infrequentem, ut in theologia morali haereat qui theologiae dogmaticae est praclarus expositor.

c) « *Regulat* ». Isto vocabulo proximum theologiae morali assignamus obiectum, quod est *scientifica propositio dictaminum* seu *effatorum practicorum*. Dictamen autem practicum est indicium speculativo-practicum (2) quo, de *principio* quodam generaliore vel de *applicatione* ad casum particularem pronuntiatur : principium istud est rectum vel perversum ; actio ista fieri debet, vel fieri potest vel vetatur.

(1) Desan, S. J. *Dc Deo»* n. 7.

(2) *Speculaiwo-praclicum* dicitur quod est *remote* ad pruxim ordinatum, ac proin adhuc *speculativum* eet, quatenus nondum reepioit actionem hic et none faciendam.

De *principio,* inquam, ut cum dicitur damnum iniuste illatum sarciendum esse ; vel cum negatur bonitate linis media inhonesta purgari posse. De *applicatione,* ut cum declaratur : praeceptum, in his adiunctis datum, exsequendum est : licita est talis ambulatio vel negotiatio ; usurpatio talis rei temporalis vitio furti notanda est.

d) « *Homini elevato et reparato* » i. e. homini in sua praesenti condicione, qui gratuito Dei beneficio, ad ordinem et finem supernaturalem vocatus, misere peccato Adae a nobili isto statu deiectus, reperit in Christo, novum Adamum, novum Patrem a quo regeneratur, et mirabilius quam conditus erat reformatur. Contra igitur atque Ethica, quae fingit hominem qualis esse potuit sed numquam fuit neque erit, theologia morum hominem considerat qualis re vera est. *Sola* itaque theologia moralis est *absolute praeiira* morum scientia.

Definitio tamen omittere potuisset expressam meationem subieoti cui studia theologiae moralis destinabantur. Subieetum enim istud esso hominem elevatum et himc reparatum iam exinde constabat, quod regulae theologiae moralis ex articulis fidei d· sumebantur. Etenim, propter nullum hominem alium atque elevatum, articuli fidei revolari potuerunt ; propter nullum alium hominem atque elevatum et reparatum, dictamina praefica ex articulis fidei colligi possunt.

Nostra definitio, ad rem quod attinet, non est diversa ab aliis quibus theologia moralis dicitur esse *scientia de actibus humanis prout ordinem habent ad finem supernaturalem.* Cf. v. g. Lehmkuhl, *Theol. mor. Prolegomena.*

e) « *Actus suos humanos* » i. e. actus qui satis sunt in potestate hominis, ut dictamina practiea de iis utiliter quaerantur, vel, quod idem est, ut regulari possint et debeant.

Actus humani sunt itaque *obiectum materiale* remotum theologiae moralis; *actus humani regulandi,* seu eorum «regulatio », sunt eiusdem scientiae obiectum materiale proximum.

Articulus II. Theologia moralis et scientiae affines.

2. — Quomodo theologia moralis ab affinibus scientiis distinguatur, ex ipsa definitione sine negotio colligitur.

A Theologia *dogmatica* per *materialis obiecti* discrimen distinguitur, ut dictum est.

Ab *Ethica,* tum *fine,* tum *obiecto formali* separatur. Ethica eniui hypotheticam et ficticiam directionem ad finem naturalem considerat ; principia autem sua ut evidentia vel ratione demonstrata adhibet, dum theologia morum principia sua, etiam cum materialiter eadem atque ethicae esse videntur, assumit ut revelata vel revelatione confirmata ; et quamvis ipsa quoque ratiocinio naturali multum utatur, id praestat ideo solum, quia novimus ordinem supernaturalem non esse ordinis naturalis eversionem, sed eius perfectionem, ita ut inchoata bonitas actionis naturaliter inspectae a nobis neglegi nequeat, nec actio naturaliter mala, supernaturaliter bona evadere queat.

Negari quidem non potest directum fontis revelati usum longo minorem fieri in theologia morali quam in dogmatica, quod ipso obiecto materiali utrinsquo partis scientiae divinae satis explicatur. Dogmatica enim theologia scientificam Fidei expositionem pro fine habet ; veritates proponit quae, saltem plcraequo, rationi humanae imperviae sxuit, vel de quibus definitiones magisterii ecclesiastici fieri solent ; dein, quia est scientia mere speculativa, ab homine qui dogmata credere debet abstrahit. E contrario, theologia moralis, cum regulet actiones humanas, nec ab agente neo ab eius natura praescindere potest. Leges autem naturae humanae, quae non sunt violandae, sed a digniore subiccto, i. e. homine elevato sublimius implentur, ipsi rationi sunt accessibiles, nec sunt, plerumque, in particulari revelatae. Quare earum demonstratio ipsam theologiam moralem ingreditur. Multa itaque praecepta materialiter communia sunt ordinis naturalis et ordinis supematuralis. Alia quidem propria sunt praesentis ordinis naturae elevatae ; verum haec etiam observantur ab agente homine, qui, secundum fundamentales leges naturae suae, omni legi divinae oboedire debet. Quare, si revelatio actioni nostrae obiecta proponit nova, actio nostra semper pertinet ad naturam nostram.

sano gratia normaliter informatam et roboratam ; ipsa autem obiecta ista, i. c. dogmata credenda, sacramenta administranda et suscipienda, a theologia dogmatica theologiae morali veluti commodantur. Cetorum, quando obicctum attingit quod tantum por accidens revelatur seu quod est rationi notum, tunc ipsa theologia dogmatica cum scientia humana multa communia habet. Sic in tractatu de Deo uno, theologia dogmatica vix a theodicaea materialiter distinguitur. Quod autem *raro* evenit in theologia dogmatica, id in theologia morali evenire solet.

Itaque nulla alia est scientia quae ita manifestum reddat quod modo memorabamus, naturam humanam gratia minime esse destructam sed esse elevatam.

Canonist™ et *moralistis* non paucae quaestiones communes sunt ; sed ius canonicum directe respicit leges partira divinas partim humanas societatis ecclesiasticae ; actus autem humanos, saltem exteriores (de internis non indicat praetor), observat sub respectu fori externi seu quatenus cum legibus societatis visibilis congruant vel ab iis discrepent. Contra, theologia moralis leges ecclesias! icas non considerat nisi quatenus, obligando conscientiam, fiunt regula actuum humanorum. Cf. Wernz, *Ius Decretalium,* I, n. 57.

Consulto theologiam moralem ita descripsimus ut *partes asccticas* et *mysticas* non excluderet. Potestne completa dici regula inorum quae perfectiora neglegat ; et de speciali communicatione Dei cum creatura sua nullatenus sit sollicita ? Iinmo neglegentia studii perfectioris potestne cum perfecta honestate componi (1) ? Ideo in ipso titulo praesentis operis ad *responsa* moralia addenda esse existimavimus *consilia.* Dicere quidem solent, theologia morali, pressius sumpta, definiri quid *liceat,* quid *vetetur,* dum ascetica et mystica disciplina de *perfectione* sint sollicitae. Discrimen nos potius in hoc ponimus quod ascetica et myst ica disciplina non sunt contentae notione actionum magis perfectarum, sed in vias inquirunt perfectiora illa sectandi, et sic ad artem quandam spiritualem accedunt.

(1) Quare iure oc merito libellus periodicus, *La* rie *spirituelle,* a primo euo exordio, locum scientiae osoeticae in theologia morali vindicavit.

Ipsa *ascelica* disciplina, quatenus a mystica discernatur, circa media ordinaria comparandae perfectionis Christianae versatur, dum *mi/stica* vias scrutatur *sublimiores* et *minus ordinarias* quibus anima ad specialem cum Deo coniunctionem perducitur.

3. — Theologiae moralis locus et dignitas. Facta comparatio nos quoque docet quo loco et gradu theologia moralis inter scientias ponenda sit.

Eam enim tam tine quam obiecto scientias *humanas* supereminere per se manifestum est.

Quod *ad scientias sacras, dogmatica* pars scientiae theologicae praestat *morali,* quatenus veritates altiores respicit quibus, tamquam fundamentis, moralis theologia nititur ; et Deum habet, non tantum, ut omnis theologia, subiectum attributionis (seu ad quod omnia terminantur), sed etiam tamquam principale obiectum materiale. Secundum quid tamen pars practica praestat speculativae, propter maiorem usum quem habet in ipso ordine ad finem vitae aeternae.

Ad theologiam *asccticam* pressius dicta theologia moralis se habet ut scientia subalternans, cum ascetica sua principia a theologia morali mutuari debeat ; lints tamen asceticae theologiae est accidentaliter seu gradu sublimior, saltem quatenus magis directe de perfectione est sollicita.

Tum nobiliore line proximo, quo rectitudinem coram Deo intendit, tum fonte unde haurit potissimas suas conclusiones, atque ipsa obiecti sui amplitudine et universalitate, theologia moralis est *iure canonico* excellentior.

Theologia *pastoralis* ministros sacros de suis officiis instruit, eosdemque ad munia sua reel e obeunda informat. Et quia pastoralis theologia insistit in ipsa ratione qua salus animarum melius procurabitur, potius quam scientia, ars dicenda est, sicut ipsa disciplina ascetica. Verum haec hominem de propria sua perfectione, dum pastoralis ministrum sacrum de salute et perfectioni» aliorum sollicitum efficit. Attamen nec officia pastorum nec regulae prudenter administrandi sacramenta in theologia morali praetermittuntur. Quare pastoralis disciplina theologiam moralem, earn

praesertim quae ad responsa addit consilia, quasi pars ingreditur, ita ut fere sola fusiore rerum expositione) theologia morali differre videatur.

Parergon. — De relatione disciplinae inridicae ad disciplinam moralem.

4. — i. Disciplinam iuridicam a morali distinximus; non ita tamen eas volumus separatas, ut iurisperitum praedicemus morali consideratione solutum.

Sed in scholis acatholicis non desunt hodie fautores huiusmodi divortii, qui provinciam iurisperito assignatam hoc fere modo concipiunt.

2. Scientiae iuris offeruntur scrutandae normae quibus exterior hominum actio in societate do qua fit sermo coactive dirigitur. Regulis istis vita populi do facto imbuitur, ita ut earum vis et offioacia mensurari possit.

Quid iam agot *iuris* scientia ? Conabitur omnes regulas de singulis obiectis ad aliquam unitatem syntheticam redigere, uf conatu isto perveniat, ad definitionem quandam abstractam quao varias regulas virtualitor contineat, a qua proinde deduci possint. Sic componetur, v. g. notio abstracta *Status, Familiae. Proprietatis,* qualis nostra aotato definiri potest in Italia, in Gallia, in Germania, in Europa.

Hoc ost opus proprium iuristae. Normas *metaphysicas* qua tales ignorat ; ad solum attendit vigorem quem iisdem tribuit opinio publica. Positivas autem institutiones indicat secundum earum proportionem ad praevalentem opinionem : probabit quae cum ea congruunt, improbabit quao ab ea discrepant.

Institutiones istas mutabiles esse et perfectibiles ultro fatebuntur hodie omnes. Immo easdem in perpetuo motu esse existimant. Maior autem earum perfectio non est colligenda ex norma quadam absoluta ad quam fiant conformiores, sed ex eo quod ipsius opinionis inclinationem et tondontias participant.

Bonae itaque a iurista praedicabuntur institutiones quae imago simt opinionis vigentis ; *meliores* voro quao imaginem opinionis mox futurae iam adumbrant.

Exsistit no norma *absoluta* iuri positivo superior f Id viderint *philosophi.* Quid magis *tali populo* conveniat : id efficiant *politici. lurisperitus* in sola factorum consideratione inhaeret.

Immo fuero (potius quam sunt) qm cum Marx omnem vim et efficaciam in institutiones iuridicas persuasionibus moralibus negabant. Sed materialismus iste historicus ipsis manifestissimis factis omnis aetatis confutatur. Satis est recordari quantum ex christianismo mutatum sit v. g. regimen matrimoniale.

3. *Censura istius divortii.* In potestate hominis est profecto res praecisive considerare, ac proinde perpendere habitudinem inter institutiones et persuasiones hominum. Ac tali praecisioni, si opportune et prudenter fiat, sua esse potest utilitas politica et socialis.

Cur autem jurisperitus inadaequata ista consideratione contentus esso debeat, nullatenus apparet, nec demonstratur. Quisnam. praeter ipsum, positivas hominum institutiones ad divinitus statutum ordinem theorotice et practice referet ? Cum philosophus metaphysicus, in abstractis rebus assiduus, positivas institutiones qua tales ignoret, si iurista solam observat factorum relationem, nulla fiet comparatio cum normis absolutis, nullus conatus eas practice assequendi, et prorsus erit neglectum quod simul decus est et officium hominis : i. o. ut in sua actione privata et publica Deum imitetur.

Quo pacto etiam negabis iurisperito, ut auctoritate qua pollet in ipsas persuasiones populi influat, et sic in procuranda felicitate communi suas partes expleat !

Quid, quod ex lege naturali supplendae sunt regulae pro casibus qui ab humano legislatore non fuero praevisi ? Ex eadem autem lege plura esso in humanis decretis damnanda et corrigenda clamat ipso sensus communis. Quo titulo postulantur reformationes legum ! Ut cessent iniustitiae ; ut maior iustitia regnet. Norma ergo absoluta ab omnibus appellatur reformatoribus, ita ut omnium oculis obversetur imago quaedam idoalis boiii absoluti. Si fallax esset ista imago ; si esset somnium sine re. ipsi nostra natura deciperemur.

Qui autem, sino respectu legis superioris, bonum esse praedicat quidquid est receptum apud homines, saepe laudabit quod est damnandum, vituperabit quod est laudandum, et sic evadet perniciosus erroris seminator.

4. Quod huiusmodi divortium quo res iuridicae a moralibus separantur excogitatum sit, id vitio vertendum est scepticisme metapliysico et praesenti anarchiao intellectuali.

Provincia qualis, in tali systemate, iuris perito assignatur, solis entibus convenire posset quae fatali evolutioni sunt obnoxia. Sed psychologiae humanae aequo ac veritati obiectivae repugnat. Imponeretur iuristae persona deminuta et noxia bono communi.

5. Oportet itaque ut haec firmiter teneamus : omnem verum progressum vel bono absoluto exigi, vel secundum istud bonum esse optabilem. Ex meditatione istius boni maior veri progressus spes nascitur. Opinio voro et persuasiones communes non sunt nisi criteria imperfecta, quibus solis fidere non possumus.

Ceterum, id ultro fatemur, non solae persuasiones morales valent ad institutiones iuridicas habendas vel mutandas. Vis *utilitatis* etiam oeconomicae minime est neganda. Non raro bono meliori ipsa obstabit. Ac si favet rei morali, potius est removens obstaculum quam positivum elementum progressus. Formula haec dari possit: *progressus fit secundum bonum absolutum cui nonobstat inferior utilitas.*

In felici autem profectu populorum et hominum adducendo, supremam directionem osse in manu Dei Providentis, nemo catholicus negabit.

De provincia iurisperiti et de variis sententiis quae de hac re propositae sunt, adeat ur praeclarum opus professoris Francisci Geny : *Science et technique en droit privé positif.* 3 vol., Paris, 1914-1915-1921.

Articulus 111. — Theologiae moralis fontes.

5. — Fontes cognoscendi, e quibus theologia moralis sua argumenta depromere debet sunt iidem qui theologiae in universum utendi offeruntur.

Primus itaque locus debetur *Verbo Dei.* tam quod scriptum est quam quod ore est traditum.

Venit dein *magisterium Ecclesiae* cui depositum fidei committitur custodiendum et proponendum. Istud exercetur *extraordinaria ratione* in sollemnibus definitionibus Conciliorum.

Porro, a finitis persecutionibus ad annum 1139, seu ante Gratianum, decem habita sunt Concilia oecumonica, praetor plura particularia quae magnam auctoritatem adopta sunt. Complures enim canones Conciliorum Orientalium *universaliter* recepta sunt. « In Ecclesia Occidentali, singulari auctoritate praestant Concilia Romana, Africana, Hispanica, velut Concilium lliliberitanum (300-300) et Concilia Toletana, item Gallicana, hisce saeculis celebrata » (Wernz, ***Ius*** *Decretalium,* I. n. 203).

(5.)

Postea notum est celebrata fuisse decem (si computes Constanticnsc Concilium) alia Concilia oeeumenica, quorum postremum, Vaticanum, nondum est clausum.

Idem magisterium *ordinaria ratione* exercetur in communi praedicatione et institutione. Cf. can. 1323.

Veniunt tum *auctoritates humanae*. Probati auctores simul, ut scite observat Koσπ (1), fere sicut SS. Patres, nobis testantur Ecclesiae doctrinam, et propriis ratiociniis et conclusionibus profectui scientiae theologicae consulunt. Eorum unanimem sententiam deserere foret temerarium ; dum securus est qui a multis insignibus proposita placita sequitur.

Inter istas auctoritates, ad nostram disciplinam quod attinet, eminent S. Thomas et S. Alphonsus. Inaequali tamen loco et genere sunt. S. Thomas, « praeclarum Christiani orbis decus et lumen », « ad incrementa scientiarum et communem humani utilitatem... Leo XIII caelestem patronum scholarum omnium catholicarum declaravit et instituit » (Cf. lect. 2 Nocturni in festo S. Thomae). Eius itaque praecipue commendatur philosophia, eiusque tenenda sunt principia. S. Alphonsus «inter complexas theologorum sive laxiores sive rigidiores sententias tutam stravit viam, per quam Christi fidelium animarum moderatores inoffenso pede incedere possent» (Pius IX, 23 mart. 1871. citatus a Koch, l. e.). Eius ergo prudentia practica commendatur et praedicatur. Nulla tamen approbatio et commendatio imponunt singulas probatissimi doctoris sententias. Immo, postquam 5 iul. 1831, S. *Paenitentiaria* declaravit minime esse inquietandum confessarium qui, in praxi sacri tribunalis paenitentiac, omnes opiniones S. Alphonsi simpliciter sequeretur ; et pronuntiavit tutum esse professorem qui eiusdem Doctoris opiniones profiteatur, diserte addidit : « Quin tamen inde reprehendendi censeantur, qui opiniones ab aliis probatis auctoribus traditas sequuntur ».

Ac longe a mente Ecclesiae alienum est ut praestantes doctores, theologos posteriores a studio et labore personali

(1) *Lehrbuch der MorMfi'tifogir,* Einleituni;, 8.

voluti dispensent. Koch opportune citat hoc dictum a La-COKDAIRE: *«S. Thomas est un phare, mais ne doit pax être une borne ».*

Demum *Ratio,* sanae doctrinae et philosophiae principia et documenta scrutari et prudenter applicare debet. Atque optandum est ut hodierni theologi morales redintegrent splendidam istam methodum qua magni doctores morales saeculi XVI et ineuntis saec. xvn tam bene de scientia morali meriti sunt, nec contenti sint promptuariis usque minoribus (1). quae nihil commune habent cum promptuariis quae ad usum studentium scholastici Doctores medii aevi nomine *Summae theologicae* decorabant.

Articulus IV. — Theologiae moralis methodus.

6. — Ut scientiae nomen mereatur, theologia moralis de rationibus conclusionum suarum et de principiis ad quae referuntur necessario sollicita est ; ut practica sit, principia ad casus concretos traducere debet. Nulla itaque concipitur theologia moralis quae mere catalogum conclusionum exhibeat, vel in discutiendis principiis unice versetur.

Attamen, pro intentione principali, methodus distinguitur *positiva* et *scholastica.* Prior minus quam altera inquirit *propter quid ;* magis dogmatice exponit quod altera polemice tuetur; de coniungendis inter se veritatibus itsqu»· in unitatem redigendis minus curat. Altera eas inter se scientifice conectere satagit.

Methodo potius *scholastica* utemur, ita tamen ut fusiorem principiorum expositionem et polemicam defensionem sive aliis disciplinis, v. g. philosophiae morali, sive tractatibus specialibus (2). a nobis iam conscriptis vel edendis. permittamus.

(1) Ills tamen verbis minime de merito et utilitate practioa detrahere cogitamus summariorum qualia, non mediocri arte, ooufooerunt recons P. Ahkeoüi, S. I. et alii doctores. Verum ad haec opera condenda scientia veri nominis restringi non potest.

(2) Quaestiones iam scripsimus de *religion**, de *iustitia,* et opus d«* castitate.

Remote practica· aut *proxime practica* seu *casuistica*· dicitur theologia moralis, prout magis in principiis generalibus immoratur, vel dubia practica praevidere et dissolvere cogitat. Utrumque genus simul colere conabimur, dum propositis principiis principales applicationes subiungere non omittemus.

Dici demum potest *individualis* vel *socialis* theologia moralis, prout destinatur soli homini singulari dirigendo in suis privatis commerciis, vel etiam de socialibus hominis oiliciis est sollicita. Ac vitio vertunt non paucorum qui, nostra aetate, operam theologiae morali dederunt, quod nimis de solo homine singulari et de sola societate domestica solliciti, non satis publicae societati consulere studuerint. *Sociales* itaque considerationes minime posthabere conabimur.

De methodo istud ambigi potest, utrum in argumentis quae etiam dogmaticam postulant tractationem, v. g. in sacramentis, melius sit morales conclusiones a dogmatica disceptatione separare an, contra, praestet utrumque respectum, dogmaticum et moralem, in eadem schola coniungere. Utrique rationi agendi sua sunt commoda et incommoda. Simultanea propositio favet syntheticae unitati, vitat omnem iteratam expositionem, et commendatur quoque exemplo S. Thomae et insignium theologorum scholasticorum. Rursus tamen hodie, propter multas controversias, dogmatica expositio multo prolixior quam olim esse debet, et valde remota est a moralibus applicationibus. Praeterea, diversae ingenii qualitates in schola dogmatis et in schola morali requiruntur. Si ergo imus idemque professor simul dogmaticus et moralista esse iubetur, periculum est ne, pro speciali sua aptitudine, alterutram partem nimis neglegat, vel minus bene praelegat.

Verum omnino optandum est ut principia quae non sunt ita remota a praxi simul cum conclusionibus solide explicentur.

Commendanda quoque videtur tractatio canonico-moralis rerum quae ad disciplinam iuris et ad disciplinam moralem simul pertinent. Quod in volumine de sacramentis praestare conabimur.

Ad rectam theologiae moralis methodum istud quoque pertinet, ut *effatis* seu proloquiis moralibus vel iuridicis prudenter uti doceat, et censuras propositionum damnatarum ita, proprio loco, appellet, ut earum vim nec augeat nec minuat.

Effata vocamus varias formulas seu dictamina quae frequenter a scriptoribus appellantur ut paucis verbis vel conclusionem confirment, vel nodum seu difficultatem solvant. Alia sunt *regulae iuris ;* alia sunt *philosophicae distinctiones.* Ad quid v. gr. saepius provocatur pro excusatione, quam ad distinctionem *per accidens ?*

Utilitatem brevitatis non infitiamur: cavendum tamen est ne vim regularum augeamus, ne distinctiones extra locum proprium adhibeamus, et sic, ne mere « verbali » solutione contenti videamur.

Itaque de prudenti effatorum usu haec animadvertenda putamus.

7. — I. I)c regulis iuris. A sapienti monito legislatoris exordiendum est : « *Regula est quae* rem quae est breviter enarrat. Non ut ex regula ius sumatur, sed ex iure quod est, regula fiat » *(Dig. De regulis iuris* (L, 17) Reg. 1.).

Igitur satis improprio usu interdum vocantur *principia* vel (philosophica saltem ratione) *axiomata. Principia* enim stricte talia rationem conclusionum seu corollariorum quorum fontes sunt *in se* continere debent, dum usurpata effata non raro ratione iisdem extrinseca innituntur; sic vulgatum istud : in dubio pro valore actus respondendum est. *Axioma,* philosophico, sententiam dicit cuius veritatem immediate intuemur, dum plura effata, v. g. de possessoris privilegiis, demonstratione indigent. Itaque :

1. Quando ratio cuiuspiam effati ipsi effato est extranea, in veram eius rationem inquirendum est, ne, ultra istam rationem, fallacem effati usum faciamus.

Sit, v. g. effatum : « In dubio standum est pro valore actus «. Cum homines actus faciant alios bonos, alios malos, alios

validos, alios invalidos, veritas effati non est immediate manifesta Regula tamen probanda est propter has accedentes rationes :

a) Homo solam diligentiam quae humana sit adhibere debet. Inhumanum aurem foret exigere ut, sine motivo positivo et serio, laetus actus ad trutinam iterum revocaro deberet. Haec itaque prior ratio nos hunc iam rectum effati usum docet : In dubio *negativo,* sollicitudo de actibus praeteritis nostris tuto deponi potest.

fe) In foro exteriore, res saepe praesumptionibus definiendae sunt. Et cum actus plerumque validi fiant, insta et aequa est praesumptio qua. in foro saltem externo, actus in dubio, etiam positivo, valide factus praesumitur. Vis tamen et valor istius praesumptionis pro voluntate legislatoris et pro efficacia istius voluntatis variabit. Pro eius *voluntate,* inquam. Sic, — quod ante Codicem canonicum controvertebatur, — vult nunc legislator ut fortior sit praesumptio pro valoro matrimonii quam pro valore baptismi. Quare, ubi baptismus alterutrius partis dubius fuerit, canon 1070, § 2, standum dicit « pro valoro matrimonii donec certo probetur alteram partem baptizatam osso, alteram non baptizatam ». Reservat tamen privilegium fidei, quia, in favorem fidei, poterit idem matrimonium pro nullo haberi (1).

Addebamus « *pro efficacia istius voluntatis* ». Sunt enim aenis (pios legislator ex dubiis certos sua voluntate reddere potest, dum alii in statu suo obiectivo, non obstante praesumptione fori exterioris, necessario relinquuntur. Sic potestas publica certam reddere potest jurisdictionem inferioris, defectum supplendo. Quare usus jurisdictionis probabilis semper honestus est, cum canon 209, in dubio positivo et probabili sive iuris sive facti, jurisdictionem suppleat. Nulla, contra, voluntas legislatoris humani deficientem baptismum supplero poterit. Inde fiet, ut conscientia dubii baptismi te obliget ad iterum sub condicione recipiendum baptismum v. g. in ordine ad propriam salutem aeternam, etsi, in ordine ad matrimonium, praesumitur validus fuisse ;

c) Demum, si actum consideramus ut *fontem obligationis,* in dubio positivo, nullum simplex responsum nobis laudato effato suppeditatur. Namque si sola tua obligatio consideranda venit, actus do cuius valore positive dubitatur incertam tantum pariet obligationem, quae praetermitti potest. Quocirca votum privatum cuius dubius sit valor, urgendum non est. Si vero utilitas alterius privati hominis vel causa publica intorve-

(1 Cf. quae “cripRimu> Periodica de re canonica et morali, X, p. '25).

nerit, plum alia consideranda erunt quae suo loco perpendentur. Casus fuerit : dubium matrimonium, dubia professio religiosa, dubia debiti solutio.

Et sic disquisitio nostra nos ad hanc conclusionem adduxit : Effatum quod propter rationem ipsi extrinsecam est admittendum *non habet perpetuum usum.*

2. *Alia effata* in se quidem continent suae veritatis rationem, sed *complenda sunt* ut eorum usus prudens esse queat.

Sic, perspecta *caritatis ordinatae* natura, verum esse apparet istud : « Caritas non obligat cum nimio incommodo s ; sed proportio incommodi aliunde colligenda est, ut incommodum prudenter indicemus esse nimium.

3. *Alia effata,* etiam completa, *postulant ut attendatur ad condicionem* quae simul cum ipsis exprimitur vel subintellegitur.

Cum dicimus : « In pari causa melior est condicio possidentis », enuntiamus quidpiam completum, quod ex ipsa possessionis natura verum esse efficitur. Dubitari tamen potest et dubitatur, quandonam causa *par* sit dicenda. Et praeterea, ipsum possessionis principium suam propriam efficaciam exserere non potest, nisi ubi vera possessio habeatur. Possessio autem duas supponit personas quae de iure certare possint ; supponit quoque facium seu exercitium iuris, quod a iure separatum exsistat, vel exsistere possit. Sic unus agrum *possidere* potest cuius altor *dominium* iuris habeat. Iam vero nec lex nec libertas sunt duae personae. Si vero eas sumas metaphorice pro legislatore et subdito, subditus, in materia in qua competens est legislator, de nullo iure cum ipso certaro potest, sed in arbitrio est legitime praecipientis. Denique lex et immunitas a logo vol sunt vel non sunt : concipi nequit lex quae facto non autem iure obliget, vel immunitas a lege quae simul sit moralis et illegitima. Quocirca, non pauci scriptores qui dubia moralia solvere contendunt, considerando utrum lex an libertas possideat, argumentatione utuntur quam frustraneam vocamus, quia est ficticia. Nulla enim libertatis possessio respectu legislatoris habetur, et principium possessionis propriam sedem occupat in materia iustitiae. Cf. Bouquillon, *Theologia fundamentalis,* n. 296; De Bock, *Trac, fundam.l,* p. 280, animadversio IV.

8. — **II.** De excusatione per « accidens ». Distinctionis *per se* et *per accidens* plurimus est usus et abusus in re morali.

1. In primis duplex distinctionis significatio attendenda est. *a) Per se* fieri dicitur quod plerumque, per modum regulae, quasi ex rei natura vel adiunctis fluere videtur ; *per accidens* autem id quod raro, per modum exceptionis evenit. Quae distinctio utilis est, quia nostra humana providentia ultra ea quae regulariter fiunt vel consequuntur generatim se porrigere non debet. Quaenam v. g. verba tamquam damnosa, contumeliosa, offensiva, sint vitanda ; quaenam occasiones peccandi pro gravibus seu proximis sint habendae (ante experientiam), secundum illam normam aestimatur, *b)* Usu magis philosophico, *per se* facimus quod, causalitate nostra voluntaria efficimus vel operamur ; *per accidens* autem quod, praeter nostram intentionem, sequitur propter interventum alterius causae quam impedire nequimus. Quare Deus Omnipotens, quaedam utique vult per accidens, sed nihil per accidens facere dicitur. Sic, v. g. ut classico exemplo utamur, dux exercitus arcem tormentis bellicis explodere cogitat. Arcis explosione finitur eius causalitas *per se.* Sed fieri poterit ut casu vel aliena voluntate innocentes in arce illa conclusi sint. Dux, ut supponimus, procurare nequit ut inde abeant vel expellantur. Horum occisio explosionem arcis *per accidens* comitatur.

Eodem exemplo apparet effectum quempiam posse dici *per se* secundum priorem significationem, qui secundum alteram, sequetur *per accidens.* Occisio innocentium, in casu proposito, sequitur *per se,* ex adiunctis in quibus fit explosio, si priorem significationem attendamus ; sequitur *per accidens,* secundum alteram significationem.

Ut iam do frequentissima excusatione dicamus, si fallaciam declinare voluerimus, perpendum erit quid, et quonam actionis nostrae tempore, *per accidens* habeatur.

Etenim *per accidens*, seu propter concurrentem causam quae in mea potestate non est, deficere potest *condicio* quaedam ipsi honestati actionis requisita, vel *effectus* ad quem

actio ordinem dicit ; atque evenire quoque potest ut *norus effectus malus* accedat.

In primo casu, actio, sive per se sive per accidens condicio honestatis defuerit, aeque manet inhonesta. In altero casu actio, sicut physice, ita et moraliter suam speciem servabit.

Cum periculo vitae humanae occidero leporem non licet : sive per se, sive per accidens periculum nascatur, venatio ista illicita manebit, Quod autem cibus moderate sumptus per accidens non coquatur in stomacho, id comestionem moraliter non vitiabit. Haec, in quaestione de usu matrimonii valde attendi debent. Cf. Suarez, *De Legibus,* l. 3, c. 25, n. 12.

In tertio demum casu, qui postea distinctius proponetur, actio erit honesta vel inhonesta, prout vel non satisfeceris positivo officio impediendi ne effectus iste malus ex tua actione sequatur. Vis istius officii alia est in alia materia : et suo loco perpendetur.

9. — ILI. De proscriptis propositionibus. Usus etiam non rectus heri potest sententiarum S. Sedis, earum praecipue quibus propositiones seu theses quaedam improbantur.

Etenim, in theologia dogmatica accurate distinguuntur variae notae quibus propositiones inuruntur. Damnantur enim ut *haereticae,* ut *haeresi proximae,* ut *erroneae,* ut *errori proximae,* vel *hacresim* aut *errorem sapientes,* ut *temerariae,* ut *scandalosae,* ut *piarum aurium offensivae.* lam vero tres posteriores notae, et quadantenus etiam quarta (hacresim vel errorem sapiens) nullum continet positivum et directum indicium S. Sedis de falsitate ipsius propositionis. Directe sola enuntiatio, saltem publica seu aperta, thesis sic proscriptae vetatur.

Ut igitur *certum auctoritatis* argumentum afferas, non satis est memorare contrariam (seu potius contradictoriam) propositionem a tali Pontifice esse damnatam, nisi stigmate saltem erroris fuerit compuncta.

Fit quidem ut S. Sedes singulis propositionibus suam notam imprimat, quae tunc nobis authentice declaratur;

sed iit quoque ut seriem propositionum damnet collective variis notis quae tamen in singulas non cadant.

Tunc, *auctoritative,* singulae propositiones saltem minima nota afficiuntur; quaenam vero peiorem mereantur, privati doctores docere debebunt.

Ita in re morali, ab Alexandro VII, decretis 24 sept. 1665 et 18 mart. 1666, 45 propositiones damnatae sunt « ut minimum tamquam scandalosao » ; ab Innocentio XI, decreto *S. Officii,* 2 mart. 1679, 65 propositiones « omnes damnatae et prohibitae, sicut iacent, ut minimum tamquam scandalosao et in praxi perniciosae » ; ab Alexandro VIII, 24 aug. 1690, duae propositiones quarum altera 'uti haeretica, altera ut scandalosa, temeraria, piarum aurium offensiva et erronea declaratur et damnatur ; et ab eodem Pontifice, decr. S. *Officii,* 'J dec. 1690, 31 propositiones, aliae dogmaticae, aliae morales, «tamquam temerariae, scandalosae, male sonantes, iniuriosao, haeresi proximae, haoresim sapientes, erroneae, schismaticae, et haereticae respective ».

Saepissime tamen ad istas proscriptiones provocatur, quasi infallibilem contineant declarationem falsitatis.

Manifestum quoque est perperam allegari propositiones damnatas ad demonstrandas theses quae iis non sunt ita contradictoriae, ut negatio unius sit affirmatio alterius. Quod tamen, in re morali, cum grano salis accipiendum est, cum aperta legislatoris mens usum paulo latiorem quonmdam verborum indicare queat.

Articulus V — Notae historicae de Theologia morali.

10. — Ordo et ratio dicendi. Historica fata (1) tum scientiae moralis tum fontium qui eam exhibent retexere, aeque a proposito huius libri quam a facultate nostra alienum

(1) Bouquillox, *Theologia moralis fundamentalis,* In Introductione, n. 72-140, eatis amplo discurrit de historia potissimum litteraria ; idem argumentum versat Kocn, *Lehrbuch der Moralthcologie, Einleilung,* § 10. Antea d'Annibajle in Prooemio suao notissimae *Summulas* n. 3-11 agit de vicibus *Theologiae moralis,* cuius formalem originem ascribit ad eaec. xm, ita ut ab hoc tantum saeculo eiusdem fata exponat.

Subsidia historiae non pauca erudita opora conferunt, v. g. von Schulte, *Die Geschichte der Quellen und Literalur des canonischen Rechts,* Stuttgart, 1875 ; Grabmann, *Geschichte der Scholastischen Methods,* Freiburg im Breisgau, 1909-1911. — Turmkl, *Histoire de la théologie positive jusqu'au Con-*

est; sed quasdam historicas indicationes dare utile multis et gratum fore arbitramur.

Itaque, praemissa consideratione Novi Testamenti, distinguemus aetatem apostolicam; — aetatem Patrum proprie talium; — aetatem Patrum minus proprie talium, qua simul transitui' ad — aetatem scholasticorum medii aevi; — aetatem scholasticorum post medium aevum; — aetatem post scholasticam, ad S. Alphonsum ; — aetatem post S. Alphonsum ad nostros usque dies.

Paucis dein conclusionibus veluti fructus factae expositionis colligemus.

I. — *Disciplina moralis in novo Testamento.*

II. — lam in ipso evangeiio, Dominus summam moralem directe proponit, cum *principiis* de caritate Dei et proximi, seu maximis mandatis ad quae revocari possunt omnia documenta legis et prophetarum (1) ; et cum *praeceptis :* tam iis quae actiones humanas dirigunt (2), quam iis quae sacrificium et sacramenta respiciunt (3).

Dubiis moralibus Dominus *responsa* aptat, ut cum indissolubile declarat matrimonium (4).

Ad responsa accedunt *consilia,* v. g. de abdicandis divitiis propter Ipsum (5), de eleemosyna (6).

cite de Trente, Paris, 1904. — Tixeront, *Histoire des dogmes dans l'antiquité chrétienne,* 3 vol., Paris, 1905-1912-1919. — J. De Ghellinck, S. I. *Le mouvement théologique du* xii· *siècle,* Paris, 1914. — Poürrat, P. *La spiritualité chrétienne,* Paris, **I**', 1919; **II**-, 1921,

Recens, *Historiam Lilurgiae* erudite exhibuit R. D. Callewaert, *Liturgicac Institutiones,* vol. 1, c. 3, n. 53-118. Brugis, 1919.

(1) S. Matth. 22, 37-40. ‹ Diliges Dominum Deum tuum... Diliges proximum tuum... In his duobus mandatis universa lex pendet et prophetae ».

(2) S. Matth. 19, 18.19. «Non homicidium facies, non adulterabis, non facies furtum, etc. ».

(3) S. Matth. 28, 19: «Baptizantes eos in nomine Putris, etc.» — S. Luo., 22, 19. 20: «Et accepto pane, gratias egit.. Πoo est corpus meum... Hoo facito in meam commemorationem ». — S. Ioann. 20, 22. 23 : « Quorum remiseritis peccata remittuntur eis, etc. ».

(4) S. Matth. 10, 9.

(5) S. Matth. 19, 21 : « SI vis perfectus esse, vende quae habes ».

(6) Luo., 16. 9: · Facite vobis amicos de mammona iniquitatis».

XV

Eius oratio fit *poUmica,* contra scribas et pharisaeos, quibus obicit initum ab ipsis factum mandatum Dei propter proprias traditiones (1), et coniunctam cum scrupulositate in minimis, violationem graviorum mandatorum (2).

Tam ipse redarguit *rigori8-muni* quempiam qui non tolerabat ut discipuli sabbato spicas vellerent ad manducandum (3), nec capiebat dictum : « Misericordiam volo, et non sacrificium » (1) ; et onera gravia atque importabilia alligabat (5).

Immo iam praeparat moralem Christianorum apologiam, cum vult ut iustitia discipulorum abundet plus quam scribarum et pharlsaeorum (6). ac dilectione proximi et misericordi beneficentia excellat supra mores ethnicorum. Dominus verbum pronuntiavit immensae foecunditatls, cum hanc mysteriosam legem docuit : « Beatius est magis dare quam accipere ». Quod S. Paulus commemorat (8), et dein, in primo saeculo, ut acceptatum a Christianis, laudat S. Clemens, in epistola I ad Corinthios ; « Omnes humili animo eratis... libentius dantes quam accipientes (9) ».

1:4. — Canonica scripta Apostolorum plena sunt nioraiibus documentis, et quidem altissimae perfectionis, quae fidelibus universis proponuntur. In omni sua epistola prima ad Corinthios, Paulus reprehendit contentionem et vitii ; docet fideles quinam status sint boni, quinam meliores : casus solvit de idolothytis ; leges tradit de cultu publico; fideles instruit de mysticis rebus. Morales sunt tres eius epistolae Pastorales ad Timotheum et ad Titum, et epistola ad Philemonem. In epistola ad Romanos moralia sunt cc. 12-15 ; in 2a epist. ad Corinthios, cc. 8 ad c. 9, 15 ; moralis est epistola ad Galatas, a c. 5 ; epistola ad Ephesios, a c. 4 ; epist. ad Colossenses, a c. 3 ;

(1) s. Matth. 15, 6.

(2) S. Matth. 23, 24 : « Duces caeci, excolantes culicem, camelum autem glutiontes ».

(3) 8. Matth. 12, 8. — (4) S. Matth. 12, 7. — (5) S. Matth. 23, 4. — (6) S. Matth. 5, 20. — (7) S. Matth. 5, 47 ; G, 7.

(8) Act. apost. 20, 35. — (9) Ad Cor. c. 2,

epist. 1a ad Thessalonicenses, a c. 5 ; 2a a c. 3; epistola ad Hebraeos, a e. 10. Morales sunt totae epistola catholica S. lacobi et utraque epistola S. Petii. Epistolae S. loannis sunt, perpetua hortatio ad caritatem. Moralis est epistola S. Jacobi. Pars prima Apocalypsis moralia monita dirigit ad varias ecclesias.

Ut quaedam specialia exempla demus, in istis sacris litteris pariter recurrunt *principia, responsa, consilia.* Effertur caritatis excellentia et primatus (1). Fideles deterrentur a peccatis (2). Casus solvuntur de privilegio fidei (3), de idolothytis (4) ; consilium inculcatur virginitatis (5), patientiae injuriarum (6). Repudiatur etiam rigorismus (7). Praeparatur expositio apologetica, dum vitia paganismi dommtiantur (8), et necessitas altioris justitiae praedicatur (9). lam traduntur documenta de mystica theologia (10). Praecepta de variis statibus explicantur (11). Generalia monita de sanctitate continet P epistola S. Petri, quae summa moralis dici potest, sicut ipsa epistola catholica S. lacobi, quae simul - socialis » praesenti significatione non immerito vocaret ur.

In primo autem concilio, quod Hierosolymis habitum referunt Acta Apostolorum (12), quattuor puncta moralia et disciplinaria definiuntur vel decernuntur ; et exemplum nobis offertur auctoritativae solutionis.

II. — *Aetas apostolica.*

13. — Ambo haec in aetate Apostolica praestanda erant : evangelica perfectione imbuendi erant neo-christiani, ac firmari debebat unitas catholicae societatis a Christo conditae per vinculum oboedientiae et mutuae dilectionis. Ac duplex ista sollicitudo monumentis istius aetatis re vera demonstratur.

(1) 1 ad Cor., c. 13: quod caput est totum iu laudem caritafis Rom. 13, 9: « Plenitudo legis est dilectio ». — Gal., 5, 14: « Omnis lex iu uno sermone impletur : Diliges proximum tuum sicut telpsum ».

(2) 1 Cor. 0, 10. — (3) 1 Cor. 7, 15.

(4) 1 Cor. 10, 27. Et cf. varias quaestioness olutas, cc. 7-11, 1 ep. ad Cor.

(5) 1 Cor. 7, 1-25 ss. — (6) 1 Cor. 6, 7. — (7) 1 Cor. 10, 28-29 et ad Gal. 4. — (8) Rom. 1,24-32. — (9) 1 Cor. 5, 6-13. — (10) 1 Cor. 12-14. — (11)1 Thn. 3, 1-13 et cc. 5-6. — (12) Act. 15, 29.

Patres apostolic! (1) : S. Clemens Romanus, S. Ignatius martyr, S. Polycarpus, unionem cum «Superioribus et caritatem maxime commendant. Quod praecipuo cernitur in magnifica epistola ad Corinthios quam S. Clemens scripsit, occasionem nactus seditionis contra presbyteros. Post memorata praeclara Corinthiorum exempla, quae tantam pacem et gratiae abundantiam attulerunt, potissimum praedicat humilitatem, modestiam, simplicitatem animi et concordiam. Eadem aetate, notissima *Didacht* est *ascelica* in prima parte, ubi viam vitae, quae morali Christianorum disciplina exhibetur, opponit viae interitus; in altera parte, theologiam *sacramentalem* docet, dum tertia pars, ecclesiasticae ordinationi deputata, *canonica* dici potest. Duae quoquo viae, lucis et tenebrarum, in altera parte epistolae dictae S. Barnabae, describuntur. Atque in altero libro *Pastoris,* Hermas duodecim mandata quasi summam moralem Christianorum tradere videtur.

III. — *Aetas Patrum proprie talium.*

14. — I. Prima Patrum Periodus. Innixi fontibus revelatis, SS. Patres commendant virtutes theologicas, orationem, patientiam, fugam oblectamentorum mundanorum, ita ut omnis disciplina moralis sit supernaturalis. Virtutes Christianorum novam religionem maxime commendant. Controversiae aguntur de reconciliandis iis qui a fide defecerant ; de valore baptismi ministrati ab haereticis. Et impugnandus est rigor Montanistarum.

In II et III saeculo scribuntur:

1. *Opera apologetica,* in quibus effertur quantum mores Christianorum prae paganis excellant. Id faciunt Aristides ; id Athenagoras in *Legatione pro Christianis,* Mirabilis vita Christianorum describitur quoque in epistola ad Diognetem, quam ad IIΓ“ vel inum saeculum ascribunt.

2. Opera *monographica,* qualia binae epistolae ad virgines quae nomine Clementis Romani inscribuntur ; plures tractatus

(1) De Patribus apostolieis commendandae sunt editio Funk, quam Tublngae novis curis edidit Fr. Diekamp; editio Lightfoot : *The apostolic Fathers.* London, 1890.

quos scripsonmt Tertullianus, tum catholicus tum montanista (1); S. Cyprianus, in pulcherrimis opusculis et libellis asceticis; Origines, cuius opusculum περὶ *εὐχῆ* , perhibetur esse eximium Alexandrini Doctoris opus.

3. Tractatus *magis generales,* v. g. *Paedagogus* Clementis Alexandrini, l. 2 et 3. Prodeunt tunc quoque *Disciplina ecclesiastica Apostolorum* et *Didascalia duodecim apostolorum,* quae in regulis moralibus et canonicis Didachê imitantur.

15. — Aurea Patrum periodus. In aurea ista Patrum aetate, quae saeculum iv et primam partem saeculi v continet. Ecclesia a periculis prosperitatis et pacis tuenda est. Quare Patres istius aetatis : *a)* cohibere conantur invasionem morum ethnicorum. Invehuntur contra *usuram,* ita ut S. Ioannes Chrysostomus aliqua melioris communismi imagine quodammodo allectus videatur ; *b)* multi sunt in describendis cuiusque status officiis ; c) S. Augustinus civitatem Dei fundat in Dei amore, cuius omnis virtus est modus ; *d)* fundamenta mysticae theologiae ponuntur tum a S. Macario tum a S. Augustino ; e) a S. Augustino perspicuam discimus distinctionem peccati mortalis a veniali ; /) controversiis polemicis contra Pelagianos, accuratius proponitur doctrina de gratiae necessitate, de libero arbitrio, de condicionibus meriti.

Auctoritatis responsa erant tunc responsa *episcoporum,* quae saepe dabantur in conciliis (2).

In canonibus autem conciliaribus definitiones dogmaticas a disciplinaribus secernere oportet. Sic etiam accurate perpendendum est quid SS. Patres tamquam testes traditionis divino-apostolicae, quid tamquam theologi edixerint.

(1) Orationem dominicam ipso appellat *Breviarium totius crangelii.* Koon, *Lehrbruch der Moraltheologic,* Einlcltung § 10, I, p. 21, nota 7, observat a Tertulliano primum principium bonae actionis reponi in formali Impletiono divinae voluntatis : « Neque enim quia bonum est ideo auscultare debemus, sed quia Deus praecipit ▮ (De *Paenitenііa,* 4).

(2) S. Cyprianus, ep. 52, 6, memorat libellum in quo solutiones servabantur scriptae. Hoc initium esse videtur collectionum canonum.

Porro sacculo V amplissima collectio iuris ecclesiastici cum regulis moralibus vulgatur nomine *Constitutionum Apostolicarum*.

Res moialos proponuntur: a) *In homiliis Patrum:* cogites S. Augustinum, S. Ioannem Chrysostomum, pias et affectuosas homilias S. Macarii Aegyptiaci, patris Theologiae mysticae.

b) *In monographiis methodicis :* quas multas scribit S. Augustinus : cogites eius libros *De, Mendacio, Contra mendacium. De bono coniugali. De sancta virginitate.* S. Ioannes Ciirysostomus classicum opus conscripsit *De sacerdotio ;* opus *De, virginitate, adhortationes ad Theodorum lapsum. De virginitate* habemus tractatum asceticum S. Gregorii Nysseni. Memorandum quoque est S. Methodii, martyris (311), *Symposion* seu convivium decem puellarum, in quo decem virgines online virginitatem celebrant, atque in fine, fervidum hymnum decantant in laudem sponsi Christi eiusque sponsae Ecclesiae.

c) *In epistolis.* Ex epist. 211 (alias 109) et ex sermonibus 355. 356, *De moribus clericorum,* desumpta est regula S. Augustini. Multae et praeclarae habentur epistolae S. Hieronymi, v. g. 22 am ad Eustochium *De officiis et institutis virginum,* 52 aiu ad Nepotianum *De vita sacerdotali.* Responsa S. Basilii ad Fratres in eremo, tum fusiora tum breviora, eius regulam constituunt. Ipse quoque canonicam paenitentiae disciplinam iam ordinavit tribus epistolis canonicis ad Amphilochium ;

d) Habemus librum manualem ad usum Christianorum in opero S. Ambrosii *Dc officiis ministrorum;* dum in operibus *De mysteriis* et *De poenitentia,* theologiam sacramentalem versat. S. Augustinus nobis reliquit etiam opus magis generale, simul dogmaticum et morale, *Enchiridium De fide, spe et caritate :*

e) Sic dictum *Testamentum Domini,* seu libellus qui in secunda sua parte totam vitam Christianam ordinat, eiusdem aetatis esse videtur. Asceticas monachorum normas nos docent. *Historia Lausiaca Palladii ; Instituta coenobiorum* et *Collationes* Cassiani ; *Historia monastica* Theodoreti, cuius quintus liber catholicam fidei et morum doctrinam summatim exhibet.

16. — III. Tertia periodus aetatis Fatruin. quae, in Occidente a S. Isidoro Hispalensi (63G) concluditur, protrahitur in Oriente ad S. Ioannem Damascenum (ca. medium saec. vm).

lain *post saec.* I "',H *medium,* auctores et inventores locum cedunt collectoribus et repetitoribus. Tam in Occidente quam in Oriente, in exscribendis et disponendis antea dictis opera impenditur. Studium est. conservandi non autem augendi scientias sacras. Quo studio praeparatur magis methodica rerum expositio.

Praestantissimi fuere Boetius (524-529), cuius celeber tractatus *Dc consolatione,* plura moralia et ascetica continet ; Cassiodorus (570), S. Gregorius Turonensis (595), qui in suo opere *De cursibus ecclesiasticis,* nobis enchiridion liturgicum affert ; dum S. Gregorius Magnus (604), in *Commentariis* in l. lob quibus titulus *Moralia,* amplum opus morale nobis reliquit. In aureo libro *Regulae Pastoralis,* idem Pontifex nobis insigne reliquit opus asceticum. S. Caesarius Arelatensis (542) antiquissimam regulam ad virgines scripsit. De musica sacra et liturgica optime etiam meritus est S. Gregorius, cuius habemus Missale complet um nomine *Sacramentarii Gregoriani.*

Saec. VI, memoranda est collectio (canonica) Dionysii Exigui, quae, ab Adriano II ad Carolum M. missa, inde Hadriana vocatur; in Britannia et Hibernia apparent primi libri *paenitentiales* (qui ordinem paenitcndi exhibent) : in Gallia ad saeculum vi exspectandi sunt.

Saeculo VII, primi in lucem prodeunt *libri sententiarum,* qui, ipso nomine, profitentur esse collecta aliorum oracula. Tres libri S. Ibidori Hispalensis nobis dogmatica et moralia proponunt. Consilia dc morte et sepultura nobis tradit S. Iulianus Toletanus (690) in *Prognosticon futuri saeculi.* Tunc etiam in ordinem systematicum redigitur canonica *Collectio Hispana.*

In Oriente, ad saec. vi ascribuntur celeberrima opem liturgica et mystica pseudo Dyonisii, scholae neoplatonieae. Haec, quamvis primum a monophysitis sint usurpata et a catholicis reiccta sint, nec vacua sint omni errore, magno tamen plausu, quando (saec. ix) latino reddita sunt, tamquam vera S. Dionysii Areopagitae opera in medio aevo recepta et multis commentariis ornata sunt.

In Oriente quoquo, multa apparent florilegia, *Ἐκλογαί.* Controversiae saepe per oppositas allegationes aguntur.

Moschus celebre opus de virtutibus et miraculis ascotarum, nomine *Prati spiritualis* conscripsit. A S. Maximo Confessore (662), praeter praeclarissima capita de caritate et multorum dubiorum examina, habemus librum asceticum per interrogationem et 10-

sponsionem, in quo junior monachus do fine hominis et mundi et de officiis vitae spiritualis ab abbate instruitur.

Saec. VIII, S. Ioannes Damascenus (qui dictus est Thomas Orientis), strenuus defensor s. imaginum, suo maximo opero *Πηγη γνώοεω* prao't operibus scholasticorum, praecipuo magistri Sententiarum. Multa dogmatica et moralia tractat in opere cui titulus *EI τά lend Παραλλήλα* sic dicta, quia vitia singula cum singulis virtutibus in eo conferuntur. Plura de theologia sacramentorum in eius opero *De fide orthodoxa* continentur. Ipso tamen quoquo aperte fatetur se non ex propria sententia dicere, sed esse collectorem antiquorum oraculorum.

Quod ad collectiones canonicas, anno 692, collectio facta in C. Trullano seu Quini-sexto. est velut Codex iuris Orientalis.

lam ipsae publicae calamitates explicant cur tertia ista Patrum periodus sit praecedenti multo inferior.

IV. — *Aetas Patrum minus proprie talium.*

IT. — In ista aetate, dum Patres paulatim esse desinunt, praeparatur aetas scholasticorum per doctrinalem expositionem magistrorum in scholis abbatialibus et episcopalibus, quae ordinantur potissimum per capitularia Caroli Magni.

Saec. vin, in Occidente, nominandus est S. Beda Venerabilis, assiduus exscriptor, cuius operibus, genuinis vel spuriis, sex volumina Migne implentur. Subsidia vero offert theologiae morali iam in operibus exegeticis, maxime vero in homiliis et vitis quorundam sanctorum.

Citandus quoque est antiquissimus *Ordo Romanus* (seu collectio liturgica).

Saeculo ix, memorandus est Alcuinus (804), qui duobus opusculis *De virtutibus et vitiis,* et *De animae ratione,* plura nobis repetit ex S. Augustino. Explicavit etiam modum confitendi in opusculo *De confessione peccatorum,* et scripsit de Liturgie.

Rabanus Maurus (856), praeter exegetica, habet liturgica et moralia : De *non videndo Deum, de puritate cordis* et *modo poenitentiae ; De vitiis et virtutibus et peccatorum satisfactione* ; De *sacris*

ordinibus, dr sacramentis divinis et vestimenti sacerdotalibus ; De consanguineorum nuptiis et de magorum praestigiis falsisque divinationibus.*

Notabiles sunt in historia ecclesiastica conatus tunc coepti fieri et qui per totam hanc epocham continuabuntur, conciliandi inter se dicta Patrum ; quod eo scrupulosius tentabant, quod non pauci tunc existimabant Patres fuisse scriptores inspiratos (1).

Celebre autem est saeculum propter collectiones suas. In Oriente, Photius magna eruditione et arte edit suum nomo-canonem (quo leges civiles canonicis iuxtaponuntur). In Occidente, praeter plures collectiones generales imperfecto ordine systematico compositas, habentur quoque speciales : *libri paeniicntiales.* Famosae quoque sunt collectiones spuriae : capitularia Benedicti Levitae : capitula Angilramni ; et maxime Collectio pseudo-Isidoriana, quae diu pro authentica est habita (2).

Iam supra monuimus, saec. ix diffusa esse in Occidente opera Pseudo-Dionysii.

Saeculo X, cui nomen *saeculi ferrei,* pauci et modici meriti allegandi sunt scriptores. Aetas dignoscitur singulari fortuna quam tunc habebat ars dialectica, ita ut omnis syllogismus pro argumento haberetur (3).

Saeculo vero XI, iam albescit nova aetas. Incipiunt ex propria sententia scribere. De loco concedendo dialecticae in rebus dogmaticis disputatur ; ac maior fit usus ratiocinii in theologia.

Opera sunt monographies. Citabimus S. Petrum Damiani (1072), qui tum epistolis, tum sermonibus, tum opusculis do re morali est optime meritus. Scripsit *De eleemosyna, De contemptu saeculi, De perfectione monachi.* Abusus morales gravissime reprehendit in opusculo quod dichur *Gomorrhianum,* dum aliud, quod dicitur *Gratissimum,* validitatem ordinationissimoniace factae demonstrat.

Lanfrancus (1089) nobis dedit opusculum *De celanda confessione* et *Decreta pro Ordine S. Benedicti.*

(1) Cf. DE GnKLLiNCK, S. I. *Le mouvement thtoloaique du douzième siècle.* Cf. V, 3, p. 317 se.

(2) Satis hodie conveniunt collectionem scriptam esse iu Gallia. In civitate Cenomanensi, inter annos 849 et 851. Intentio « Isidori · fuit instaurandi ecclesiasticam disciplinam.

(3) Cf. DE Ghellinck. *Le mouvement tbèoloqique du douzième siècle,* p. 38-40.

Eodem saeculo prodit *Liber Decretorum* Burchardi Wormatiensis, celebris collectio canonica.

Saeculo XII, principalis honor debetur magno Doetori S. Anselmo (1109), quamvis ipsius laudes Dogmatici ot Philosophi sibi vindicent, et potius asceticis scriptis scientiam moralem promoverit.

Celebris schola Leodiensis nobis laudandum offert Algerum (1132), cum tractatu suo *De misericordia et iustitia.* Hugo a S. Victore (1141) opus scripsit de *Sacramentis christianae Fidei.* Occurrit nobis Abelardus, cum notissimo suo *Sic et Non,* seu sententiarum oppositarum ex libris sacris et SS. Patribus. Quo animo id fecerit, declarat de Ghelltnck (1). Abelardus tantum tribuit intentioni, ut fere delere videatur obiectivum discrimen boni et mali. Multo plures partes assignat rationi (piam S. Bernardus (1151), a quo fuit ideo valde impugnatus. S. iste Doctor, praeter epistolas et sermones, egregia documenta moralia nobis suppeditat in opere *De Consideratione* (ad Eugeniuin Pontificem) et *De officiis episcoporum.*

Versus finem saeculi Petrus Blesensis multa habet moralia in epistolis, sermonibus et tractatibus: *De amicitia Christiana et caritate Dei et proximi ; De duodecim utilitatibus tribulationum ; De confessione sacramentali ; De institutione, episcopi.*

Schola mystico-ascetica egregios doctores nanciscitur S. Bernardum Claravallensem ; Hugonem a S. Victore et Ricardum a S. Victore (1173).

Verum ad collectionem nos convertere potissimum hic debemus. Canonica collectio S. Ivonis Carnutensis, quae *Decretum* nominatur, et *Panormia,* eiusdem auctoris, ac *Summa sententiarum,* quae diu ascripta fuit TIugoni a S. Victore tam praestantes sunt ut Bouquillon n. 99 non dubitaverit scribere per eas erectum esse aedificium theologiae moralis quod Clemens Alexandrinus inchoaverat.

Tn medio hoc saeculo prodiit quoque celeberrimum *Decretum* Gratiani quod ex usu forensi quandam, improprie dictam, authentiam adeptum est.

In tres partes dividitur. Prima agit dc personis et muneribus ecclesiasticis. Dividitur in CI Distinctiones, quae rursus in canones

(1) *Le mouvement thèoloffique du douzième siècle,* p. 102-104 et p. 331 es.

dividuu t i.r. Altera Pare 36 Causas complectitur, divisas in quaestiones. Causa 33 agit *De poenitentia.* Reliquae causae multa* materias attingunt. Tertia Pars destinatur Liturgiae, et vocatur De Consecratione. Sollicitudo conciliandi auctoritates apparet in ipso titulo quem Gratianus dederat suo operi : *Concordia discordantium canonum.*

Tn re theologica prae omnibus cognoscendi veniunt *quattuor Libri sententiarum* (1150) Petri Lombardi. Intentio auctoris fuit, exscribendo multa, dandi plenum opus theologicum. Per totum reliquum medium aevum, opus maximi factum est et multos eosque praestantissimos obtinuit commentatores. Satis sit nominare S. Bonaventuram, S. Thomam, Scotum. Per plura saecula fuit opus classicum theologiae.

Quattuor libros complectitur, divisos in capita sine ordino valde logico. Postea divisum est in Distinctiones (1). Primus liber est de Deo ft de SS. Trinitate ; alter, de creatione, de angelis, do operibus sex dierum ; de statu hominis ante et post peccatum ; do gratia et de peccato. Tertius liber est de incarnatione, de virtutibus, de peccatis et de praeceptis. Quartus liber agit de sacramentis et de novissimis.

Exeunto saeculo xn, iam exsistunt speciales *Summae de matrimo.lio.*

V. — Aetas Scholasticorum medii aevi.

18. — In illa aetate, quae a line saec. xu ad saec. xvi protenditur, facta quidem est separatio theologiae et iuris. sed dogmatica theologia una cum morali plerumque tractatur. Doctores, in sua iuventute scribunt *commentarios in libros sententiarum;* occasione data, componunt quaestiones *quodlibetales ;* quae profundius examinare volunt reservant quaestionibus *disputatis.* Demum scribunt *Summas* tamquam promptuaria ad usum discentium.

(1) *Distinctiones* slgulfloant in medio aevo quondam collectionem capitum vol etiam pausas faciendas in lectione secundum interpunctionem. de Ghellinck, Opus cit. *Le mouvement.* etc. p. 132.

Interdum operibus compendiosis, quale est *Compendium theologiae S.* Thomae, curriculum concludunt, in quo etiam *opuscula separata* conscribere non renuunt.

Omnia haec proponuntur forma plana et brevi, sine quaesita styli elegantia ; omnino didactice. Documenta fidei brevissime allegantur ; sana philosophia Aristotelis ipsos iuvat ad confirmandam concordiam fidei et rationis. In hoc saec. xin, Alexander Halensis (1245) O. M. primus in sua Summa usus est philosophia Aristotelis.

Textum Magistri sententiarum exposuere, ante S. Thomam, B. Albertus Magnus (1280) et S. Bonaventura (1274), Doctor seraphicus. Post S. Thomam, idem fecit Ioannes Duns Scotus (1308).

Unanimi consensu, princeps scholae catholicae est S. Thomas, praesertim per suam *Summam Theologicam.*

Ipso antea scripsit Commentarios in libros Sententiarum ; quaestiones disputatas. Varias quoque habet quaestiones quodlibetales ; et multa opuscula de argumentis specialibus : v. g. de iustitia, de superstitione, de vita religiosa (controversia cum Guielmo a S. Amore) de eucharistia, ut obiecta domus quae saepius his tractatibus originem dabant.

Diversis utens principiis philosophicis, schola Scotistica scholae Thomisticae opponitur. Thomistae magis ratione fidunt quam Scotistae : hos dixeris affines Tertulliano, cum ad solam voluntatem Dei attendit, et Alcuino, cum bonam actionem moralem quasi soli intentioni alligat. Thomistae, contra, magis tuentur necessitatem et immutabilitatem ordinis rationis ; magis obiective veniale a mortali peccato separant ; alio modo conectunt habitus bonos cum gratia sanctificante ; de essentia plurium sacramentorum, v. g. paenitentiae dissentiunt.

S. Bonaventura magis pacifico cursu, nec methodo vel principiis differens a S. Thoma, quasi tertiam scholam dirigit; ac simul celebratur ut doctor theologiae mystico-asceticae.

Nominandus quoque est Henricus Gandavensis (1293), qui nobis legavit quodlibetalia et Summam.

Separatam a dogmate moralem expositionem habemus apud Gulikl ml'm Peraldum (ante 1270) in eius *Summa de vitiis, ft virtutibus.*

In locum Decretorum succedunt Summae. Celebris est Tanoredi *Summa de Matrimonio* (1210-1214) quam fere verbotenus in suam Summam recepit S. Raymundus. Initio saec. xrn, methodo expositiva et casuistica usus est Robertus a Flamesbury, in suo *Paenitentiali* ; etiam Summa moralis ignoti scriptoris praecessit notissimam *Summam de casibus paenitentialibus* quam confecit S. Baymuxdus de Pennafort, O. Pr. Eodem auctore, Gregorius ix, C. *Rex Pacificus,* 5 sept. 1234 promulgavit *libros Decretalium* numero quinque, quorum materia hoc versiculo, ordine exhibetur : *ludex* (Praelatus), *indicium, clerus, conubia, crimen.*

Atque in fine saeculi, 3 mart. 129S, Bonifatius vm, eodem ordine dispositum *Librum sextum Decretalium* promulgavit.

Saeculo xiv, fortasse propter propagationem nominalismi, et certe propter iniquitatem temporum in quibus Ecclesia cum Statu luctabatur et schisma Occidentale patiebatur, theologia scholastica de suo virore non parum amisit : fit minus ampla, magis subtilis, magis polemica (1).

Nominandi tamen sunt celebres Scotistae O. M. Petrus Aureolus (1321), Doctor facundus ; Ockam (1349), auctor nominalismi; dein, ex Fratribus Praedicatoribus, Thomista Petrus Paludanus (1312), non Thomista autem Durandus, Doctor resolutissimus.

Notissima est inter opera more moralia, Astesani (ca. 1317) *Summa de casibus conscientiae* dicta *Astensis :* et Summa Bartholomaei (1338) Pisani, dicta *Pisana.*

Germania, Flandria et Hollandia protulerunt tunc mysticos magni nominis : Tauler (1361), II. Suso (1365), B. Ruysbkoeck (Doctor admirabilis), Gerardum a Supiiten (1398).

Corpus Iuris canonici eodem saeculo completum est *Clsmentinis,* quae, eodem ordine ac Decretales dispositae, promulgatae sunt 25 oct. 1317 ; et Constitutionibus quae *extravagantes* di-

(1) Cf. BOUQtULLON, n. 104.

cuntur, quia extra autliei ticas collectiones orant: 20 loannis XXII et 70 Extravagantes communes.

Saec. -YF, Ioannes Capreolus, O. Pr. (1441) magno aestimatos scripsit commentarios in Magistrum Sententiarum (quibus adiectae sunt controversiae inter D. Thomain et ceteros theologos et philosophos).

In theologia mystica laudandus est Thomas a Kemtis (1471).

Theologiam moralem casuisticam honorarunt Angelus de Clavasio (1495), cuius Summa dicta est *Angelica·,* et Silvester Prieras (1523), qui scripsit *Summam Silvestrinam.*

VI. — *Aetas Scholasticorum post medium aevum.*

19. — Auream theologia morum a Pseudo-reformatione usque ad lausenismum cognovit aetatem, cum doctoribus qui coeperunt in scholis, pro Libris sententiarum. Summam D. Thomae exponere et illustrare. «Tunc exiguntur scientiae monumenta soliditate, amplitudine, pulchritudine incomparabilia » (1).

Alii Doctores magis stricte textum S. Thomae elucidant: quod praestiterunt Caietanus (1534), in notissimo suo commentario, et Fr. Toletus (1596) S. I. ; alii, brevi explicatione facta Sancti Thomae, amplas disputationes singulis articulis S. Thomae subiciunt : quae methodus est Suarez (1617) et Vasquez (1604). In his operibus res dogmaticae simul cum moralibus proponuntur et disceptantur. Magis stricte methodo scholastica utitur Suarez in praeclaris suis disputationibus, cum, ante propriam solutionem, rationes adversas accurate proponat et perpendat. Praeter istos summos, citandi sunt etiam L.'Molina, S. I. (1600), Gregorius do Valentia, S. I. (1603); Bannez. O. Pr. (1604); Lezana, O. Carm. (1659).

Ad opera quae partem Summae S. Thomae stricte vel late exponunt, accedunt etiam egregii tractatus a laudata Summa indepcndentes, idque bifariam. Alii, partibus specialibus theologiae moralis destinati, facilius servant methodum scholasticam. Sic L. Molina, *De iuslitia et iure* ; Lessius, S. I. (1623), *De quattuor virtutibus cardinalibus ;* D. Soto, O. Pr. (1560), *De iustitia et iure;*

(1) Bouquiixon, *Theol. fundament,* n. 117.

Suarez, S. I. *De Legibus* (classicum opus), *De triplici virtute theologica, De virtute religionis, Quinque tractatus ad* lana, 2*e ; Th. SKnchez S. I. (1610) *De matrimonii sacramento, In praecepta Decalogi* (quod opus mansit incompletum); Bonacina (episc. 1631), *De Legibus;* Coninck, S. I. (1633), *De sacramentis et censuris, De virtutibus;* et I. de Lugo, S. I. (1660), *De Fide divina, De De iustitia et iure, De sacramentis.* Is a Card. D'Annibale, confirmans simile indicium S. Alphonsi *(Theol. mor.* III, 552), etsi quandoque subtilior, perhibetur ut « omnium ante, uno Angelico excepto, et postea Moralistarum maximus ». Alii universam theologiam moralem solide quidem sed minus scholastice versant : Azor, S. I. (1603); Castropalao, S. I. (1633); P. Laymann, S. I. (1635); Candidus, 0. Pr. (1654); Sayrus, 0. S. B. (1602); Bonacina (qui absolutissimum tractatum de censuris scripsit).

Opera etiam conduntur minoris molis, quorum scriptores, magis utilitati immediate practicao intenti, vocantur *casuistae.* Inter ipsos eminent M. Azpilcueta, (Doctor Navarrus, 1586), qui scripsit *Manuale contessariorum* ; addas Caietanum, 0. Pr. (1534) cuius est *Summula casuum;* E. Sa, S. I. (1596) cuius opus: *Aphorismi conjessariorum ;* Toletus S. I. (1596), cuius *Summa casuum conscientiae.* Praesertim, Patris Busembaum, S. I. (1668), alleganda est *Medulla theologiae moralis,* quae innumerabiles nabuit editiones, et cui ipse S. Alphonsus suam Theologiam moralem alligavit, fere sicut scholastici sua opera Magistro sententiarum vel S. Thomae.

Simul Lyciietus (1520), e schola Scoti, hunc doctorem eruditis notis illustravit.

Aureae aetati non defuere scriptores mystici vel ascetici. Citabimus Lud. Blosium (1556); Ludovicum Granatensem (15SS) ; S. Theresiam (1589) ; S. Ioannem a Cruce (1591) ; L. Scupou, 0. Theat, (1610); Alph. Rodriguez, S. I. (1616); Bellar* minum (1621); S. Franciscum Salesium (1622).

Idem Bellarminub ea aetate princeps fit theologiae polemicae opere suo classico *Controversiarum.*

Discidium quod prius in quaestione de auxiliis gratiae separavit Societatem lesu ab inclyto Ordine S. Dominici, evasit ordinis practici in quaestione de probabilismo, postquam Fr. Praedicatores plerique cum Billuart adhaeserunt placitis probabiliorismi. Et sic schola exstat quae utitur principiis rigidioribus alteri benigniori opposita. A

partibus severioribus stant una cum Fr. Praedicatoribus, Carmelitani ; dum Ordo S. Francisci benigniores cum S. lesu tuetur.

Sed abusus quidam quibus genuina probabilismi doctrina adulterabatur, una cum haeresi Janseniana et derelicta philosophia Thomistica pro Cartesiana, viam munierunt ad aetatem morbidam seu languoris.

VII. — *Aetas postscholastica ad* N. *Alphonsum.*

20. — Nec per illam aetatem, quam morbidam appellavimus, deluere insignes theologi. Citari possunt, Tamburini, S. I. (1675), tum in opere prolixiore tum in sua *praxi expeditae confessionis et communionis ;* Gobât, S. I. (1679); Viva, S. I. (1726); Voit, S. 1. (1780); Lacroix, S. I. (1714); Reuter, S. 1. (1762); Carmelitani Sahnanticenses, quorum cursus sex voluminibus constans, anno 1665 inchoatus, non est nisi circa annum 1725 absolutus; BordONUS, Tert. 0. S. Francisci (1671); Sporer, 0. M. (1683); Elbel, 0. M. (1756); Struggl, 0. Serv. B. M. V. (1760); Caramuel, 0. Ciet. (1682); Roncaglia, 0. M. Dei (1737); Amort (1775); D. Concina, 0. Pr. (1756); Passerinus, 0. Pr. (1677); Collet (1770).

De theologia pastorali plura opera scripta sunt, v. g. a M. Wigandt, O. B. (1708), et I. Reuter, S. I. (1769).

Liturgia egregios habuit expositores, quales Merati, O. Theat. (1744) et Cavalieri. O. S. Aug. (1757); vel textuum editores, ut Mabillon, O. S. B. (1707); Martène, O. S. B. (1739) (1), et ambos fratres Assemani (1768 et 1780) quorum iunior edidit Codicem liturgicum Ecclesiase universae.

Relicta tamen methodo scholastica pro ratione Cartesiana, et saeviente lue lanseniana, magna confusio in theologicas disciplinas invecta est. Controvertebatur sufficientia attritionis in sacramento poenitentiae, absolutio danda vel differenda ; sed praesertim plena- est epocha

(1) I< simul egregie Liturgiam exponit in opere *De antiquis Ecclesiae ritibus.*

disputationibus de probabilismo : quae causa, a non nullis bene defensa, amicos novit qui suo laxismo eidem nocuerunt. Non paucae propositiones laxiores vel « male sonantes » reprobatae sunt. Inde magis invalescebant qui rigidiores partes sectabantur (etsi hi quoque non semel a S. Sede damnati fuerint) (1), quando Providentia divina Ecclesiae providit magnum doctorum moralem. S. Alphonsum de Ligorio (1696-1787), qui, non sine multorum impugnatione et invidia, sua iura et locum opinioni solide probabili vindicavit. Observat quoque Koch (2), post medium saeculum xviii in Germania et alibi, theologiam moralem cum ethica naturali quasi confusam fuisse, ita ut respectum supernaturalem paene amiserit.

Theologia moralis praesertim cursibus, compendiis continebatur. Paulatim S. Alphonsus in scholis catholicis principem locum obtinuit.

VIII. — .4 *S. Alphonso ad dies nostros.*

21. — Itaque S. Alphonsi auctoritate lactum est ut nimia severitas et nimia benignitas a scholis catholicis excluderentur.

Simul quoque politicum regimen fere ubique funditus mutatum est.

Tunc enim, praeparata per saeculi xvi haereses, publica gentium Christianarum apostasia formaliter consummata est, ita ut civilis societas alio fundamento, coque humano prae evangelico, inniti coeperit.

Haec rerum condicio ab aliis ut initium usque crescentis perturbationis deploratur, dum aliis magnus ab integro saeculorum nascitur ordo ». I. e., sicut per varia stadia, cuius primum cruentis passionibus martyrum est signatum, Christi religio humanam societatem a paganismo

(1) D'Annibale, *Summula,* 1. 11 scribit: · Actum erat de probabilismo... nisi contigisset S. Alphonsum... ▮ Hoc tamen nimium videtur.

(2) *L'hrburh,* etc.

ad christianismum evexit, ita nane Providentia divina, promissionum Christo factarum minime immemor, per novam saeculorum seriem alteram Ecclesiae catholicae magisque gloriosum reservat triumphum, quem aget de ipsa apostasia, et quo societatem a neo-paganismo peiore quam erat prior, ad perfectiorem quam prior erat christianismum seu catholicismum reducet.

Utcumque res istae se habiturae sunt, — quis enim novit consilia Dei, — viae ad novam prosperitatem scientiae morali patere videntur. Profligatus est *lansenismus* et *Gallicanismus; loscphismus,* cum ipsis principibus qui ecclesiasticas res ad se revocare solebant, evanuit. Theologi catholici, id procurante sedula S. Sedis prudentia, gratanter recuperarunt Angelicum Doctorem, et tamquam ducem securum, praesertim in rebus practicis circumspecte definiendis, acceperunt S. Alphonsum. Accuratiores editiones SS. Patrum et scriptorum ecclesiasticorum, atque incrementa expolitioris cultus historiae non levia subsidia theologis afferunt. Atque ipsis non paucis quaestionibus quae hodie librandae sunt, opportunitas ingeniis offertur suum acumen exercendi. Nihil igitur desiderari videtur quod novo theologiae moram vigori necessarium vel utile sit.

Fatendum tamen est, in saeculo xix, postquam a perturbationibus politicis aliquantum est respiratum, fere non vulgata fuisse nisi Manualia et Compendia, inter quae, ut de solis defunctis loquamur, merito praestant Gury-Ballerini, S. L, episcopus Simart, Card. d'ÀNNiBALE, Aertnys, C. SS. R. Cl. Marc, C. SS. R., Lehmkuhl, S. I., Génicot, S. I. Immo quaedam, v. *g.* celeberrimum compendium Gury, ipsa forma catechistica quaestionum et responsionum minus adultam scientiae aetatem profiteri visa sunt. Malumus enim novo vitae exordio quam, sicut opinatur d'ANNibale (1), deficientibus ex senio viribus, exiguitatem plerorumque operum ascribere. Ceterum insigniores tractatus speciales prodierunt, quales de virtutibus cardinalibus scripsit Ill. episcopus Brugonsis, Waffelaert, et de iustitia et contractibus, Carrière in Gallia et Crolly in Hibernia. Immo tum copia rerum tum vi di-

ti) *Summula,* I, 7.

condi et argumentandi ad classica aureae aetatis opera accessit *Opus Theologicum morale* Ballerini, quod post niortern illu^ris professoris, edidit, et complevit doctissimus Palmieri, S. I.

Et tamquam novi viroris indicia laeti auspicamur aestimationem minorem qua iam habentur tractatus mere casuistici, ii praesertim qui in solis fere negativis theologiae moralis partibus, seu in perpendendis peccatis et vitiis consistunt, et fervor quo ascetica studia excoli coepta sunt.

Praeterea, Constitutione *Providcntissima Mater,* 27 maii 1917, promulgatus est Codex iuris canonici, qui non tantum disciplinares Ecclesiae leges mira brevitate et dispositione complectitur, sed etiam theologiae morali de iustitia, de sacramentis et censuris multas suppeditat regulas certas et omnino securas, cum emanent a suprema Ecclesiae potestate legislativa, quae in rebus fidei et morum ordinandis est infallibilis.

— Hodierna postulata. Porro videtur oportere ut hodierni theologiae moralis scriptores his votis satisfaciant: 1) Ut rationalem investigationem quaestionum quae vires rationis non superant perficere conentur, ita ut intrinseca conclusionum ratio magis fiat manifesta ; 2) Ut positiva pars iustitiae Christianae, quae est in sectandis partibus honestis et melioribus, maiorem in tractatibus moralibus honorem obtineat et sublimis evangelii perfectio apertius et audacius praedicetur : 3) Ut hodiernae casuum difficultates et obscuritates quae cotidie oriuntur psychologicae, politicae, sociales, a viris quibus hodierna facta et regimina iuridica non sint ignota, fidentiore animo et generosiore labore examinentur et pro viribus dissipentur. Ita fiet ut practicae normae vere sint ad usum nostrorum aequalium redactae, nec iam mere ex praeclarissimis doctoribus repetantur asserta quae illi, pro sua aetate, mirabili ingenio et eruditione invenerunt et proposuerunt. Sic hodierni moralistae imitatores magis quam exscriptores dici poterunt praeclarorum decessorum; sic etiam propriis lucubrationibus spem novae aetatis aureae confirmabunt.

IX. — *Variae observationes de istis indicationibus.*

23. — I. De controversiis moralibus. Ipsas nosse controversias, non parum ei prodest qui historiam doctrinalem magis penetrare voluerit. Etsi enim earum occasio non raro sit error in tide vel moribus, ita ut desinant in apostasias vel membrorum putridorum abscissionem, earumque fervor nimius caritatem laedere soleat, simul tamen praeparant magis accuratos conceptus et magis consciam veritatis possessionem. Sic, in re nostra, quantum ipsi devotioni profuerint controversiae de ss. eucharistia et de culi u SS. Cordis. Saec. xi et xn. in quibus tantopere contra laicorum usurpationes in beneficiorum collatione, luctatum est, usurpationes istae propagarunt simoniam; inde quaestio mota est de valore ordinationum simoniace obtentarum : inde perfecta est theologia sacramentorum.

Ut quasdam principales controversias indicemus, in prima aetate, valor baptismi ab haereticis collât i; reconciliatio eorum qui a fide defecerant ; martyrium ultro susceptum : virginitas et secundae nuptiae controversae sunt ; et rigor montanlstarum impugnandus fuit.

In altera Patrum aetate. Manichaeismus debellandus fuit ; atque in ipso medio aevo sectae manichaeorum Europam infestarunt et severiorem disciplinam inquisitionis induxerunt.

Saeculo ix, in Oriente certatum est de cultu ss. imaginum.

Saeculis xi et xn extirpanda fuit simonia.

Per medium aevum, mota est quaestio ascetica, iam a S. Augustino praeparata, et (piae in controversiis mysticis saec xviii rediit, de conciliatione amoris nostri et amoris Dei (1).

Saeculo iam xm et dein xiv. plures quaestiones asceticae de vita religiosa et de paupertate acriter motae sunt, etiam inter religiosos.

(1) De qua re iuvat legere RousaELOT, S. I. Le *problème de Vamour uv moyen-âge* in Beltrage zur Geschichtc der Philosophie des Mittclaltcrs, L VI· (Baûmker et von Hertlïng).

Saec. xvni mysticae controversiae turbarunt Ecclesiam post Molinos (1690). Quaestio autem de usura, iam saec. iv exorta, ne hodie quidem ex toto cessavit. A saeculo xvi percrebuit controversia tum inter catholicos et haereticos (in qua re rigorismus iansenianus potius adhaesit acatholicis), tum inter ipsos catholicos. Benedictus XIV, convocato coetu theologorum rem dirimere voluit per Encyclical litteras *Vir Pervenit,* de quarum valore dein decertatum est, donec nostris diebus mitiora responsa practice invaluerint (1).

A saec. xvn natus est magnus conflictus de Probabilismo, quem quidam, paucis elapsis annis, in Hollandia et Helvetia parum opportune renovare tentarunt.

Praeter istam quaestionem, sic dictus *americanismais.* de quo Leo XIII scripsit litteras ad C. Gibbons ; methodus spiritualis ; liturgica informatio pietatis : renovatio cuiusdam suspecti mysticismi non parum animos occupant.

Simul quaestiones sexuales et coniugales diligentissima studia theologorum moralium postulant. Addas dubia de cooperatione ad libertates « modernas ».

24. — II. Variae conclusiones seu corollaria.

1. Dicemusne in historia theologiae moralis varias fuisse successiones aetatum quae in vita personae humanae distinguuntur, ita ut infantiam exceperit adolescentia ; huic successerit aetas maturitatis seu virilitatis, quae in frigidam senectutem desineret ? Potius, in singulis epochis Patrum et scholasticorum, fuit initium, splendor meridianus ac dein crepusculum vespertinum. Verum per noctem ipsam praeparabatur nova dies, ita ut potius post sua primordia, aetas theologiae moralis (quidni dicamus idem de omni scientia) fuit perpetuae et progredientis, non tamen continuo motu, adolescentiae. Xon immerito S. Paulus virum perfectum cum aetate plenitudinis Christi coniunxit (Cf. Eph., 4, 13).

2. Completa scientia theologiae moralis requirit usum

(1) Cfr. Quaestiones nostras *De Institui,* n. 358-362.

fontium revelationis ; adiumentum principiorum philosophiae ; examen concretum causarum quibus applicanda sunt principia. Actas Patrum usum docuit revelationis : moralem aedificavit supernaturalem ; aetas scholasticorum medii aevi subsidium contulit philosophi e; aetas scholasticorum post medium aevum addidit meliorem explorationem factorum. Psychologica investigatio erit opus praesentis aetatis.

Indiget theologia moralis et rebus et ordinata rerum dispositione. Periodi prosperae contribuerunt res ; per tempora magis nubila praeparata est systematica dispositio.

Si itaque velimus singulas aetates quas distinximus principali quadam qualitate definire, ordine sic exhiberi posse videntur : fuit aetas apostolica, paraenetica seu *hortativa* ; subsequens duorum saeculorum aetas, *hortativa* simul et *apologetica* ; aurea Patrum aetas *theologice* (attentis fontibus) *doctrinalis* et *censoria* ; aetas Patrum minus proprie talium, *collectrix* et *ordinatrix* ; aetas scholasticorum medii aevi, *philosophica* seu *ratiocinativa}* aetas scholasticorum post medium aevum, propter plenitudinem expositionis, dici potest *antonomastice moralis* ; huic successit aetas *contentiosa* ; dum aetas post S. Alphonsum est magis *conciliatrix* et *practica.* Accessu iam analysis psychologicae theologia moralis novum complementum accipiet.

3. In theologia morali argumenta auctoritatis coniungenda sunt argumentis rationis. Si sola innitaris auctoritate, facile ultra quam par est vis auctoritatis ampliatur et impeditur progressus. Sic in aetate ubi non cogitabant nisi de conservanda doctrina, Patres reputabant inspiratos, unde violentae Jiebant interpretationes. Si neglegas fontes revelatos, vel dialecticae subtilitates regulas enervant, vel non proponitur iam nisi honestas humana et naturalis, pro sublimitate evangelica quae primis Christianis prae oculis obversabatur.

Magis scientiae nocet falsa philosophia quam necessitas impugnandi baereses. Haec acuit ingenia et perpolit

nonnas ; illa scientiam destruit dum errore pervertit etiam bonorum mentes.

4. Tn omni aetate debellandus fuit quidam rigorismus, qui ipsa severitate sua a religione avertit.

Articulus VI. — Ordo dicendi.

25. — Omnis theologia moralis hanc primam divisionem admittit qua generalior seu *fundamentalis* a speciali distinguitur.

Quid generalis morum theologia contineat, ex ipsa theologiae moralis definitione facile colligitur. Fundamentalis enim theologia quaedam istius definitionis explicatio dici potest.

Etenim agendum nobis erit totidem tractatibus :

1° De homine elevato et reparato, seu de *subiecto cui* theologia moralis scribitur ;

2° De eius *actibus humanis,* quos diximus esse obiectum remotum theologiae moralis ;

3° et 4° De *regulis* quibus actus isti ordinandi sunt : scientia enim regulatrix regulas istas nosse et applicare debet. Atque ex ipsis articulis fidei docemur, actus humanos secundum duplicem regulam ordinandos esse: *remotam,* qualis est *lex,* et *proximam,* qualis est *conscientia* :

5° Libertas nostra deficiens actus habet malos qui tractatum postulant de *peccatis* ;

6° Ad actus bonos faciendos iuvamur variis *subsidiis* actualibus et habitualibus, de quibus erit tractatus sextus.

Theologia specialis binas magnas partes complectitur. Altera est de *virtutum* exercitatione et de oiliciis coniurictis ; altera de recto usu *sacramentorum.* Placuit enim divinae munificentiae nobis, ex meritis Christi, fontes gratiarum in sacramentis aperire, atque actionibus saeramentalibus actiones nostras humanas iuvare, confirmare, perficere.

His partibus accedere solet, per modum cuiuspiam appendicis, tractatus de canonico ecclesiasticarum poena-

rum argumento, cum poenae istae actione nostra humana fugiendae sint, et rectum sacramentorum usum non parum afficiant.

Sed tractatus *de legibus, de sacramentis* et *de poenis* locum sibi vindicat non secundarium in iure canonico, quamvis respectus diversus fuerit. Quare separatum volumen do positivis Christianorum obligationibus, de sacramentis et de poenis adornavimus *canonico-morale,* ut utrique scholae utile esso possit.

Idem quidem consilium sumi potuit de *Legibus,* in univorsum. d»· quibus eadem valebat ratio. Notiones tamen de legibus adeo sunt necessariae ante tractatum gravissimum de iustitia ; et in tota theologia morali tam frequentes reperiunt applicationes. — eum ubique ius naturale misceatur iure positivo sive divino sive humano, — ut tractatum istum a theologia morali separare non simus ausi.

Praeterea do loco quo opportunius proponatur tractatus de Castitate et de vitiis oppositis ambigi poterat, (’um rectus facultatis generativae usus statui coniugali reservetur, eius normae non bene capiuntur antequam sufficiens de statu matrimoniali notitia comparata sit. Quare plures delicatum istud argumentum bis adeunt : inter tractatum de virtutibus de solo vitio carnali agunt ; quisnam usus facultatis sit honestus et laudabilis : id in tractatu de matrimonio explicant. Haec imius argumenti divisio ; haec inter virtutes interpositio vitii, mirae sunt nec carent incommodis. Rursus tamen, tractatus qui totus est moralis inter partes potius canonicas non bene collocatur. Ideo, omnibus perpensis, praetulimus libellum separatum isti tractationi destinare.

SUMMARIUM.

26. — *Pars scientiae theologicae* quae *moralis* dicitur, quaerit et proponit dictamina practica quibus, in praesenti ordine naturae elevatae et reparatae, secundum fidem et rationem, actus humani regulandi sunt.

II. A *theologia dogmatica* differt per suum obiectum materiale : i. e. actus humanos, eosque regulandos, dum theologia dogmatica versatur circa ipsas veritates fidei, qua tales, systematic© proponendas intellectui ; a iure *canonico,* per iustitiam quam consectatur, quae est iustitia in foro interiore seu coram Deo, dum ius canonicum civem iustum facit in foro exteriore Ecclesiae ; a

scientia *asectica. mystica* et *pastorali,* per maiorem extensionem obieoti, quod est omne honestum et non tantum melius bonum, et per propositionem magis speculativam, dum asectica et mystica scientia, de perfectione sollicita, et *pastoralis* theologia, simul vias inquirunt consequendi sua obiecta. Scientias omnes humanas, ipsam Ethicam transcendit suo *obiecto formali,* quod in articulis fidei repent.

Quamvis autem *scientia iuris* ut *scientia morum* distinguendae sint, non sunt tamen ita separandae, ut iuris peritus a veritate morali abstrahere possit. Qui talem separationem praedicant, errorem spargunt antinaturalem et societati damnosum.

Infra theologiam dogmaticam, theologia moralis sibi subaltornat scientiam asceticam, cui ministrat principia fundamentalia. quamvis fine suo scientia ascetica sit ei gradu superior.

III. *Fontes* theologiae moralis sunt fontes communes omnis theologiae : *Verbum Dei, Magisterium Ecclesiae. Auctoritates humanae* et *ratio.* Quamquam, pro obiecto materiali suo, theologia moralis saepius quam dogmatica ad rationem provocare deliet.

Inter auctoritates eminent S. *Thomas et* S. *Alphonsus,* quorum tamen singulae sententiae minime imponuntur sequendae; quorum commendat io theologos a nulla personali investigatione dispensat, Auctoritates autem simul acceptam Ecclesiae doctrinam iostantur et proprio labore scientiam ditant.

IV. *Methodus,* quae scholastica vel casuistica esse potest. erit potius scholastica, quatenus intrinsecis conclusionum rationibus quaerendis operam dabimus. Brevis tamen erit nostra tractatio, quia ad tractatus speciales cum hoc nostro opere coniunctos, fusiorem expositionem et polcmicas disputationes amandabimus.

V. *Historicae notae,* lam in ipsis sacris Novi Testamenti litteris inultae partes morales sunt in quibus legimus principia, praecepta, consilia, reprehensiones et definitiones auctoritatis. Patres aetatis Apostolicae sunt hortatores ; in secundo et tertio saeculo sunt hortatores et apologetae ; dein, in aurea periodo quae a saeculo iv ad medium saeculum v decurrit, doctrinam morum nobis tradunt c fontibus revolatis haustam, et simul contra invadentes mores paganos luctantur ; in subsequenti periodo, Patres potius conservant et colligunt, ante dicta, quae dein Patres minus proprio dicti (a saec. vu medio in Occidente. vili in Oriente) magis methodice ordinant, dum scholis abbatialibus et episcopalibus praeparatur aetas scholasticorum medii aevi (a saec. xm ad xvi). Tunc studio (etiam nimio) dialecticae

et philosophia Aristotelis exculta ingenia doctrinam moralem subsidiis rationis humanae perfecerunt. Doctrinam sic iamoxpositam ampliore expositione et magis studiosa ad facta applicatione adornant scholastici aetatis modernae, qui in sacculo xvi et xvit floruerunt, ita ut aetas ista dici possit aurea theologiae moralis. Successit tunc iam a medio saeculo xvn, propter nimis subtiles lucubrationes et luem lansenianam, aetas quam a bellis intestinis vocare possumus, cum ipsi catholici scriptores tam acriter inter se de probabilismo et administrationo sacramenti paenitentiae decortarint. Prudens scientia et labor S. Alfonsi animos ad concordiam revocavit, simul auspicatus aetatem potius practicam quam doctrinalem. Sperare iam licet novam aetatem auream, in qua, ducibus S. Thoma et S. Alphonso, cum maiore penetratione principiorum coniungatur moderna eruditio, animi ad sectandas positivas partes iustitiao Christianae fidentius excitentur, et ipsum examen applicationum psychologica observatione compleatur.

Numquam tamen defuero controversiae : disputatum est de valoro baptismi haereticorum, do paenitontia, de virginitate et viduitate, do ordinatione simoniaca, do voluntaria paupertate, de mysticisme, de usura, do probabilismo. Hodiernae quaestiones sunt, do virtutibus «activis» cum americanismo, do methodo ascotica, de liturgica informatione pietatis, de matrimonio et officiis ooniugum, do cooperatione ad libertates modernas.

Postquam, sacc. xn separatum est ius canonicum a disciplina morali, utraque scientia tamen modo satis parallelo evoluta est : non raro iidem fuere moralistue qui cauonistac egregii. Decretum Gratiani cum libris sententiarum ; Decretales Gregorii IX cum Summa S. Thomae in lucem odita sunt ; et nunc Codex iuris canonici, recens promulgatus, conceptam de theologia morali spem adauget.

Id quoque facta historica demonstrant : solidae scientiae monili minus impugnandae haereses quam dissensiones catholicorum ; minus calamitates exteriores quam oblivio sanae philosophiae nocent.

Indiget autem theologia moralis et fidei documentis et labore rationis; principiis annecti debent applicationes ad casus concretos.

Hodie vero necesso est magna cura conclusiones catholicas demonstrare ; sollicitudinem de perfectione cum responsis dc stricte necessariis coniungere ; nec solas consideraro personas singulas, sed magis ad sociales respectus attondero.

VI. Theologiae generalis is erit *ordo* naturalis, ut successive agamus : do *subiecto cui* theologiae moralis, seu do homine elo-

vato ot reparato ; do cius *actibus humanis :* de regula remota et proxima istorum actuum, seu de *legibus* ot *conscientia,* denique de *peccatis,* ot de *subsidiis* recti usus nostri liberi arbitrii.

Ad praecavenda fallacias et errores, praemonuimus prudentem usum faciendum osse *regularum iuris,* ne appellentur ultra quam ratio cui innituntur id sinit, vel ubi locus earum non est. Quod demonstravimus dc his tribus effatis : In dubio standum est pro valoro actus ; Caritas non obligat cum nimio incommodo, seu cum gravi ct proportionate ; In pari causa melior est condicio possidentis.

Do recto usu celebratissimae distinctionis *per se* et *per accidens,* quae ad pluralitatem casuum vel ad ipsam causalitatem referri potest otiam diximus, observando nullam excusationem oriri si condicio honestatis accidentaliter defuerit, bene voro si offectus consequens accidentaliter sit impeditus ; effectum autem malum qui causae concurrenti tribuendus sit ei non imputari qui istum effectum malum vitavit quantum positivo id curandi officio tenebatur.

Domum, ne decipiamur in allegandis propositionibus damnatis, observandas diximus varias notas quibus propositiones inuruntur, et ipsam strictam significationom thesis quae i inprobatur.

Ita autem aditum paravimus ad ipsam theologiam generaliorem seu fundamentalem.

TRACTATUS PRIMUS.

DE SUBIECTO CUI THEOLOGIA MORALIS SCRIBITUR.

Utilitas tractatus. Cuinam regulae morales proponendae et accommodandae sint, id in primis nosse iuvat.

2T. — Subiectuni theologiae moralis est *homo, in praesenti sua viatoris condicione.*

« *Homo* », inquam, i. e. creatura rationalis, persona, et pars generis humani divisi in societates perfectas.

« *Creatura* » : ergo plene constit utus sub Deo. a quo esse recepit cum obligatione absoluta servandi ordinem a Deo, sive in ipsa natura humana, sive superaddita positiva voluntate promulgatum.

« *Rationalis* » : ergo formalis laudator Dei. qui ad Deum referre debet se ipse et mundum.

« *Persona* », i. e. exsistens sibi, seu factus propter finem seu beatitudinem personalem, atque intimo appetitu, qui se prodit in omni studio quo quaerit verum, bonum, pulchrum, tendens in Deum.

« *Pars generis humani divisi in societates perfectas* » : proin, salva personali dignitate, subordinatus societati cuius est membrum.

« *In praesenti sua· condicione* » hominis elevati et redempti a Christo. Qua elevatus, homo est vocatus ad immediatam Dei possessionem, quae nunc per gratiam sanctificantem inchoatur, plene autem in caelo per gloriam perficietur. Qua redemptus a Christo, est eius frater adoptivus, vocatus ad assimilationem Filii Dei, quocum, tamquam capite, unum corpus tamquam membrum fiat.

« *Viatoris* », i. e. sc moventis versus terminum, seu entis nondum perfecti, quod se perficere seu complere debet.

28. — Ne tamen existimes varias istas rationes et conexas functiones esse oppositas seu disparatas. Contra, in miram unitatem conspirant. Cuicumque congruenter intendat, homo reliquas omnes implet. Sic. qui Deo oboedit, Deum laudat, fit beatus, tendit in Deum, servit societati, imitatur Christum, seipse perficit. Nec potest quis societati debito modo utilem se reddere, quin simul se perficiat et reliqua omnia praestet vel obtineat. Perinde dicas de eo qui propriam perfectionem vere conseetetur.

29. — Homo *perfectus in termino* est homo visione beatifica deificatus. Homo *perfectus in via,* est homo qui totus ad illam deificationem est dispositus, plena voluntate ad illam conversus. Perfectio enim imperfecti est dispositio ad perfectionem. Disponitur autem homo ad deificationem, quatenus se Deo conformem reddit ea parte quam Deo coniungere vel a Deo separare in eius potestate est, i. e. *voluntate.* Quod nunc, ut postea videbimus, fit per caritatem.

Idem hoc alio et fortasse meliore modo ostenditur. In praesenti elevationis nostrae condicione, perfectio nostra minus est opus nostrum, quam a nobis acceptandum beneficium divinum. Quare, dispositio ad deificationem stat in aptatione nostra ad voluntatem Dei, quae sicut sola dedit vocationem, sola eandem beatifica Dei possessione complere potest. Estquo etiam ista perfectio imitatio Christi, qui oraro nos docuit : « Fiat voluntas tua » ; et ab initio suae vitae mortalis, perfectissimus fuit voluntatis divinae sectator, secundum illud : « In capite libri scriptum est do me, ut faciam, Deus, voluntatem tuam » (Ilebr. 10,7).

30. — Corollarium. Si ita res se habent, theologia moralis est simul scientia *rectitudinis, perfectionis, beatitudinis.*

SUMMARIUM.

Homo, creatura rationalis, persona et simul pars societatis perfectae, in praesenti sua viatoris condicione, tum Deo et societati servire, tum sibi consulere et imitari Christum debet : quae tamen functiones tam arte inter se sunt coniunctae, ut unius exsecutione formali, aliae simul materialiter impleantur. Viatoris autem perfectio est ut se disponat ad deificationem per conformitatem cum voluntate divina. Quatenus haec docet, theologia moralis est simul scientia rectitudinis, perfectionis et felicitatis.

TRACTATUS II.

DE ACTIBUS HUMANIS (1).

TITULUS I.

Notiones et divisiones.

Utilitas. Accuratis notionibus distincta rerum cognitio intellectus praeparatur. Potissimum attendee sunt notiones actus imperati et actus eliciti, ac libertatis moralis.

3Î. — Notio actus humani. Actus dicitur humanus, qua *voluntarius,* i. e. quatenus a voluntate cum adver-tentia rationis ad humanam finalitatem procedit.

Ad specificam enim animalis rationalis dignitatem pertinet, ut conscia ratione et voluntate agat. Actus quibus simili modo quo cetera animantia operari videmur, actus *hominis* vocari consueverunt. Cf. S. Tιγομ. 1,2, q. 1 art. 1.

Actus itaque plene humanus est actus plene *voluntarius.*

In praesenti nostra vita, actus simul humanus et liber est. Namque in caelo, actus plenissime voluntarius adhaerendi Deo, fini nostro beatifico, *psychologice* liber esse nequit.

Novimus enim ex philosophia, *psychologice* liberum esse agentem qui, positis omnibus ad agendum requisitis, actionem facere vel omittere (libertas *contradictionis),* hanc vel diversam eligere (libertas *specificationis)* potest.

Actus potestne esse libor sino aliqua attentione *ad finalitalem,* seu ad ordinem rationis ; an, quando solae utilitates tem-

(1) Recens faso et erudite disserit Fhinb S. I. *Dc actibus humanis,* 3 voi. Friburgl Drisgovlac, 1897-1004.

porales advertuntur, tunc maiorem utilitatem necessario amplectimur : id controvertitur. Qui attentionem istam non requiri putant, admittunt actus humanos qui non sunt morales. Nos. sicut ex ipsa nostra definitione actus humani constat, potius contrarias partes tenemus cum S. Thoma, l. c. cf. Suarez, *De bonitate et malitia humanorum actuum,* d. 1, s. 1, n. 9. 10.

32. — Notio actus moralis. *Moralis* dicitur actus, quatenus ad mores pertinet, seu ad humanan vitae rationem et consuetudinem. Sunt itaque actus formaliter morales, quatenus vitae dant qualitatem et valorem in rationali existimatione (1).

Secundum S. Thomam, ibi incipit genus moris ubi dominium voluntatis primo invenitur. Quare omnes actus humani sunt simul morales. Cf. 1, 2, q. 18 art. 5. 9 ; et q. 19 art. 1, ad 3.

Itaque *duplex* etiam erit *divisio* actuum humanorum, altera *psychologica,* qua in sua physica constitutione, seu tamquam *actus,* altera *moralis,* qua in sua rationali existimatione, seu tamquam *humani,* considerantur. Tertia divisio, *ex ejicientia,* non est omnibus actibus communis.

33. — I. Divisio psychologica actuum humanorum. 1. Actus humani sunt *interni* aut *externi.* Priores potentiis internis perficiuntur, nec ullo modo exterius apparent : cogitare, imaginari. Posteriores, vel aliquo signo sensibili manifestantur, vel ad potentias externas progrediuntur : voces quibus affectus interiores exprimuntur ; genuflexio ad adorandum.

Stricte loquendo, actus qui externus dicitur, vocandus esset *mixtus* : nisi enim voluntas in eo partem haberet, non foret humanus.

2. Actus sunt *naturales* vel *supcrnaturales.* Priores, per solas potentias naturales, cum ordinario Primae Causae concursu liunt ; supcrnaturales fiunt cum auxilio gratiae transferentis actum ad ordinem supernaturalcm.

(1) In explicanda moralitatis notione, theologi satis laborant. Cf. Lehmkuul, I, 93.

Conceduntur praeterea gratiae quae dicuntur *médicinale*,* quatenus robur conferunt ad vitanda peccata. Suntne tamen pure medicinales, ita ut, quando dantur infidelibus, actus his gratiis consentanei naturalem ordinem non transcendant : multi, fortasse ploriquo, tales gratias pure medicinales admittunt ; nos potius in partes negativas inclinamus.

3. Actus humani sunt *eliciti* vel *imperati.*

Imperare est aliquem ad aliquid agendum movere, ipsi rem faciendam intimando vel denuntiando (proponendo), ut si dixeris : *Fac hoc.* Nobis et aliis imperare possumus. Aliis tamen tantum si sint nobis inferiores ; et exterior nostrae voluntatis manifestatio est tunc necessaria.

Bifariam autem sunt actus eliciti vel imperati.

a) Attenta *causalitate sua efficiente, eliciti* sunt actus qui, nullo alio actu imperati, consummantur in ipsa voluntate quae se ad agendum determinavit: talis esse potest actus amoris Dei ; *imperati,* contra, qui, ex voluntatis imperio ab aliis potentiis, sive internis, sive externis, immo ab ipsa voluntate efficiuntur. Cogites varios actus cultus divini quos voluntas exercet per mentem et corpus : orationem, psalmodiam, capitis inclinationes.

b) Attenta *causalitate finali,* seu *motivo,* eliciti dicuntur actus respectu motivi *proximi* ; imperati, respectu *alius motivi* quo agens ad actum sub suo motivo proximo faciendum movetur : ut si ex timore facias actum caritatis.

Cuin agatur de causalitate finali, non do officiente, actio nobilior inferiore imperari potest. Liquet autem, ut efficax sit imperium, praesto esse debere vires ad actum nobiliorem faciendum, seu, in exemplo allegato, gratiam ad faciendum actum caritatis.

Actus potest fieri sub suo motivo proprio, et etiam simpliciter sub motivo nobiliore. Sic, miser a me eleemosynam petit. Possum ex mera caritativa benevolentia eleemosynam ipsi largiri ; et eadem caritas imperare mihi potest affectum misericordiae seu compassionis, sub quo, imperante caritate, eleemosynam largiar. In posteriore casu actus est stricte imperatus ; in priore, late tantum, quia non ipsa misericordia sed sola caritas in eo exercetur.

[32. 33.]

34. — Divisio moralis. Qua morales, actus human, possunt esse *recti,* vel *pravi,* prout secundum ordinem rationis sunt facti, vel praeter aut contra istum ordinem.

Sunt *liciti* vel *illiciti,* prout praecipienti vel etiam consulenti legi consentanei sunt, aut praecipienti legi repugnant.

Sunt *boni* vel *mali,* attenta proportione quam habent ad agentem, cui convenire vel disconvenire possunt.

Non addimus *indifferentes,* quia, ut in sublecto recipiuntur, eum non possunt nisi bene vel male afficere. Indifferentes tamen dicuntur qui, attento obiecto seu genere eorum, nondum boni vel mali denominari possunt.

Quatenus ad alterum referuntur, iidcm actus sunt *imputabiles* in laudem vel vituperium, in praemium vel poenam, ac proin, *meritorii* vel *demeritorii.*

35. — Libertas moralis. Sicut cum psychologica actus humani ratione cohaeret libertas psychologica, sic cum eiusdem ratione morali conectitur libertas *moralis.*

Haec tamen dupliciter intellegitur.

1. Usu frequentiore, moralis libertas negat *obligationem* voluntatis : habeo moralem libertatem orandi, studendi, ambulandi.

2. Usu minus frequenti, negat *impedimentum* voluntatis, quando, quantum ipsa velit, tantum se explicare potest. Negat ergo plures istas, plus vel minus plenas, servitutes concupiscentiarum vel corporalis ponderis, quas gementes subeundas habemus, ut dum conquerimur animum nobis defuisse surgendi hora statuta.

Moralis haec libertas peccato originali sauciata est, non tamen destructa. Ideo damnata est propositio quod, in statu praesenti. homo, sibi relictus, non valeret nisi ad peccandum. Cf. propositiones 25. 27 et 65 Ba h, inter propositiones damnatas a S. Pio V. ut respective « haereticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas et in pias aures offensionem immittentes». 1 oct. 1567. Prop. 25: « Omnia opera infidelium sunt peccata, et philosophorum virtutes sunt vitia ». Prop. 65: « Non nisi Pelagiano errore admitti potest usus aliquis liberi arbitrii bonus sive non malus :

et gratiae Christi iniuriam facit qui ita sentit et docet ». Prop. 27 : « Liborum arbitrium, sine gratiae Dei adiutorio nonnisi ad peccandum valet ». *(Denz.,* n. 1025, 1917, et 1065.)

Quare amor caritatis, in caelo, simul erit psychologice necessarius et moraliter summe liber : amando ibi Deum voluntas perfecte efficit quod efficere vult.

36. — Divisio actuum quorundam ex efficientia. Non omnes actus sed non nulli fiunt minus propter se quam propter ulteriorem efficaciam : sic emptor et venditor faciunt contractum venditionis ad habendam rem vel pecuniam. Actus isti distinguuntur *validi* vel *invalidi.* Priores habent quae essentialiter requiruntur ad istam efficaciam ; posteriores elemento essentiali destituuntur. Ipsi actus validi sunt alii auctoritate humana *rescindibiles* : v. *g.* plures contractus, propter alterius partis laesionem ; alii rescindi nequeunt ; idque vel *absolute,* ut matrimonium consummatum ; vel *minus absolute,* ut matrimonium ratum, quod, collata divinitus potestate, a S. Pontifice destrui propter iustam causam potest.

Do non paucis actibus non modicae quaestiones fiunt in iure et in theologia morali, utrum sint ipso facto et a principio invalidi, et quo iure, divino vel humano ; an tantum iudicis sententia vel legitimi superioris auctoritate infirmari possint.

Non omnis actus *validus* est *licitus* : puta matrimonium contra legitimam prohibitionem factum ; nec *illicitus* est omnis actus *invalidus* : puta testamentum informe. In iure tamen ecclesiastico actus invalidus dicendus est per se prohibitus.

37. — Varia notanda. 1. Voluntas tum agendo tum actum omittendo ordinem rationis observare vel violare potest. Quare, nomine *actus* humani venit etiam omissio conscia et libera, quae bona et meritoria, mala et digna poenis esse potest.

2. Quamvis actus humanos ad voluntatem referamus, etiam intellectus suas partes in his habet. Nulla cetera

est mera intellectio, nulla mera volitio ; sed utraque facultas vario gradu, in omni actione, conspirant.

3. Neque actus exsistunt separati sicut illos consideramus ; sed in continua quadam actionum serie praeparantur, et variis consectariis perficiuntur. Nullus est sine anterioribus radicibus, nullus sine effectibus posterioribus. Sed non minus quam scientia physica, debet scientia moralis motum continuum tamquam seriem infinitam motuum disjunctorum seu momentaneorum aestimare, ut aliquo imperfecto modo eosdem cognoscere et explorare possit.

38. — Dispositio tractatus. Actus humanus est essentialiter voluntarius. In praesenti condicione nostra est simul liber, moralis et imputabilis. Per se tamen non repugnat eius essentiae ut sit psychologice necessarius ; et exemplum adduximus visionis beatificae. Pariter observatio praeceptorum erat Christo psychologice necessaria. Quocirca libertas, moralitas, et imputabilitas ad meritum vel poenam, potius dicendae sunt proprietates actus humani qualis fit a viatore. Nihilominus libertas magis cum voluntarietate coniungitur, ita ut separata expositio libertatis et voluntarietatis esset sine utilitate et non sine incommodo. Quare haec erit dispositio tractatus, ut agamus: 1. Do actu humano qua voluntario et libero ; 2. De impedimentis actus humani ; 3. Do actu humano qua morali ; 4. De actu humano, qua imputabili.

SUMMARIUM.

39. — I. *Actus humanus,* quo nomine venit etiam omissio, est actus qui a voluntate cum advertentia rationis procedit. In hac vita, actus isto est psychologice liber; qualifient, secundum aestimationem rationis, nostram vitam, unde dicitur moralis: atque est, prout ad alterum refertur, meritorius vel domeritorius.

II. *Psychologice distinguitur,* attenta potentia exsequento, internus vel externus ; attento principio subiectivo, naturalis vel supernaturalis. Attenta eius consummatione in voluntate vel in potentia per voluntatem mota, aut etiam attento motivo proximo vel remoto sub quo fit, dicitur elicitus vel imperatus.

III. Qua *moralis,* actus esse potest, attento ordine rationis, rectus vel pravus ; attenta lege, licitus vel illicitus ; attenta pro-

portione ad agentem, bonus vel malus (in subiecto, nullus est indifferens) ; attenta relatione ad alterum, meritorius vel demeritorius.

Cum hac notione conectitur libertas quae moralis dicitur, quatenus vel liceitatem vel humanam possibilitatem significat.

IV. Attenta *ulteriore efficacia,* alii actus sunt validi, alii invalidi. Validi possunt esse rescindibiles vel non. Actus invalidus non est necessario illicitus, nec licitus semper est actus validus.

V. Intellectus non agit sine voluntate, et vice versa ; nec actus separatim exsistunt a continua actuationo energiae humanae ; et nullus est quin influat in dispositionem sequentem.

VI. Ratio sequendi ordinis statuitur.

TITULUS II.

De actu humano, qua voluntario et libero.

Utilitas. — Ad divisiones voluntarii frequenter in theologia morali recurrendum est, potissimum in quaestionibus de imputatione, de peccatis, do castitate et vitiis oppositis, de legibus et de sacramentis. Maximo refert distinctam possidere notionem intentionis, electionis et permissionis ; ot accurate secernere voluntarium virtualo, habituale et interpretativum seu praesumptum de futuro. Condiciones libertatis cognoscendae sunt, ut melius intellegantur impedimenta actus humani.

Articulus 1. Voluntarii et involuntarii notiones et divisiones.

40. — I. Notio voluntarii. Voluntarium est *«cuius principium est in ipso agente, sciente singula in quibus est actio* » (1) ; seu, ut brevius ait S. Thomas (2), « cuius principium est intra, cum additione scientiae ».

Porro voluntarium istud dividitur : ex obiecto, ex modo quo obiectum attingit, ex sua figura seu subiectiva ratione essendi, ex sua manifestatione, demum ex sua perfectione obiectiva.

(1) Arist. *Elhic.* 3 c. 3. — (2) 1, 2, q. 6 art. 1.

41. — II. Divisiones. 1. *Ex obiecto.* Voluntas, cum sit appetitus rationalis, formalem finis et medii propositionem sequitur, ita ut actus habeat alios circa finem, alios circa media.

a) Circa "*finem* haberi potest : Simplex voluntas, seu *complacentia* in obiecto quod apprehenditur ut conveniens subiecto, seu per se amabile (S. Th ., 1, 2, q. 8).

Dein *intentio,* aliquo modo prosecutiva rei. Finis enim est « cuius gratia aliquid fit ».

Tum *fruitio,* i. e. quies in fine obtento seu possesso bono (1). In fruitione sua, voluntas approbat, ratam habet finis consectationem (seu factos conatus) et consecutionem.

b) Circa *medium* seu *media* haberi potest : *consensus,* quo adhaeretur iudicio proponenti quod consequendo fini utile visum est (1, 2, q. 15) ;

Vel *electio,* qua, cx pluribus mediis, unum praefertur (1, 2, q. 13):

Et *usus activus,* quo potentiae ad agendum applicantur.

Igitur voluntariam habemus *complacentiam, intentionem, fruitionem, consensionem, electionem, exsecutionem.*

Itaque voluntarii esse possunt non soli actus voluntatis, sed etiam actus aliarum potentiarum seu effectiones ; *formaliter* tamen voluntarii sunt soli actus voluntatis ; ceteri sunt voluntarii *denominative.*

Haec praeterea de istis actibus observanda sunt. Usus pertinet ad ordinem *exsecutionis,* ceteri omnes ad ordinem *intentionis* (2). Si usus defuerit, non erit voluntarium factum externum, v. *g.* mors inimici. Haec tamen potest esse obiectum complacentiae, fruitionis, et sic terminare voluntatem. Si eam sic terminaverit, olim, magis quam hodie, mors ista dicebatur *volita,* quamvis non voluntaria (3).

Intentio distinguitur *perfecta* seu *efficax,* et *inefficax.*

(1) 1, 2, q. u,

(2) No ergo confundumua cum inlenHone striote diota» *ordinem* intentionis, qaoo intentionem, electionem et consensam complectitur.

(3) Sic Italice *volita* dicitur pluvia ab agricolis concupita.

Efficax de se cum exsistentia obiecti conectitur, quia inedia sunt in potestate voluntatis et haec omnia necessaria admittit vel eligit. Si, contra, necessari i inedia admittere neglegit, dicitur *velleitas*.

42. — 2. *Ex modo quo obiectum attingitur. a)* Voluntas, ut est *appetitus,* habet, sine transmutatione organica, actus *prosccutivos* et *aversativos,* quibus undecim passiones appetitus sensitivi denominantur : amorem et odium, desiderium et fugam, spem et desperationem, timorem et audaciam, iram, delectationem et tristitiam (1). Itaque, quatenus haec scienter procedunt a voluntate, haec omnia voluntaria esse possunt.

6) Obiectum attingi potest *in se* vel *in alio* obiecto. In se attingitur id ad quod voluntas immediate afficitur. *In alio* attingit voluntas quod vult tantum ut conexum cum obiecto quod vult in se. Conexum porro esse potest tamquam *pars·,* ut obligatio alimentorum pars est vitae coniugalis ; tamquam *accessorium :* ut votum castitati» accedit ad subdiaconatum ; tamquam *effectum* (stricte vel late dictum) praevisum cum re ad (piam voluntas afficitur : ut rixae, blasphemiae quae praevidentur ex ebrietate secuturae.

Si agitur de effectu qui praevidetur secuturus sed qui non amatur, voluntarium strictius dicitur in *causa tantum,* et effectus vocatur mere *permissus.* Itaque, quod probe tenendum, voluntas nec intendit nec eligit quod mere permittit, sed permissio dicit meram praevisionem sine affectu. Permissio est *activa,* quando fluit ex actione propter concursum alius causae quae impediri nequit ; est *passiva,* quando offectus mere non impeditur.

43. — 3. *Ex subiectiva ratione essendi, seu voluntarii figura* distinguitur :

a) Voluntarium propter *actionem,* seu *positivum,* et voluntarium propter *omissionem,* seu *negativum,* ut cum

(1) S. Thom. 1, 2, q. 22 art. 3, ad 3; et q. 23 art. 2. c.

quis impedire omittit quod impedire debebat : v. g. damnum per animal a se possessum (1).

Et dum agimus, ipse noster *actus* dici potest *positive* voluntarius ; dum agere nolumus, nostrum *non-agere* erit *negative* voluntarium.

N. B. De significatione et usu plurium vocabulorum non omnes consentiunt : quod, in legendis scriptoribus, est attendendum. Sic, alii *directum* voluntarium vocant quod est a voluntate posirive operanto ; *indirectum,* quod eatonus est a voluntate quatenus obligationem agendi praetermittit. Dum alii directum vocant voluntarium *in se,* indirectum vero, voluntarium *in alio.*

b) Voluntarium *explicitum,* quod in se menti obversatur, et *implicitum,* quod in priore continetur. Sic voluntas doloris de peccato continet propositum non peccandi ; voluntas diligendi omnes, voluntatem diligendi inimicos. Sic volunt?s legisl toris implicite vult legem secundum sensum verum. Satis affinis est haec divisio distinctioni voluntarii *in se* et *in alio·,* sed hic magis ad *attentionem* quam ad *intentionem* respicitur.

44. — 4. Ex *manifestatione,* habenas voluntarium *expressum, tacitum, praesumptum {dc praesenti). Expressum* est quod voce vel alio signo ad id ordinato manifestatur ; *tacitum,* quod ex concessione expressa vel aliquo facto aut facti omissione colligitur. Superior iter permittens tacite consentit ut modo consueto tibi pecuniam quaeras ; Dominus, qui facile dissentire potest, tacite consentit in quempiam, a se observatum, rei suae usum. *Praesumptum* de *praesenti* est quod ex inclinatione, dispositione animi vere nunc adesse conicitur. Amicus episcopi a quo per litteras iurisdictionem statim ad se mittendam postulavit, missam post receptas litteras iurisdictionem conicit.

Praesumptum *de futuro* idem est quod *interpretativnm,* de quo n. 46, c.

(1) Id quod omissionem consequitur dicetur *voluntarium,* quando sequitur *per se; permissum,* quando sequitur per *accidens.*

45. — De adagio « *Qui tacet consentire videtur* » (R. I., 43 in 6°). In *dubio,* dummodo nulla ratio oppositum suadeat, qui tacet consentire videtur » (1) : «) In re quae tacenti prodest sine onere ; *b)* Quando aliqua necessitas contradicendi simul cum expedita contradicendi facultate coniungitur. Huc spectat dictum : « Scientia et patientia habetur pro expresso consensu (2) ». Id saltem valet in robus modici praeiudicii. — c) Ubi plures conveniunt ad deliberandum de sententia communi. Consentientibus censebuntur tacentes, per se, astipulari.

46. — 5. Divisio *τοϋ* voluntarii *ex obiectiva eius perfectione.*

a) Voluntarium esse potest *perfecte* et *imperfecte deliberatum.* Prius, quod vocatur quoque *perfectum,* plenam cognitionem et deliberationem postulat. Plena dicitur cognitio, quatenus moraliter omnes lei notae cognoscuntur et mens non est subiective impedita. Imperfecte deliberatum in repentinis motibus, in magno passionis aestu, in partiali vigilia habetur :

b) Voluntarium *simpliciter* et *secundum quid.* Prius ex obiecto quale existât, alterum ex nota peculiari quae ei inest aestimatur. Matrimonium, praeter communem coniugatorum vitam, consuetudinem cum parentibus inducere solet. Haec grata vel ingrata esse potest. Si appetibilis fuerit, matrimonium erit simpliciter et secundum quid (i. e. secundum illam notam) voluntarium ; si ingrata, erit simpliciter voluntarium, non autem secundum quid.

Satis saepe voluntarium *secundum quid* vocant, cum negatur consensus rei cuius tamen aliqua nota placet : ut si rem quam acquireres ut pretiosam, possidere nolueris quia aliena ; sed usus isto minus rectus osse nobis videtur. Nam cum nihil a voluntate proficiscatur, nihil voluntarium praoter complacentiam do ista nota habotur.

c) Voluntarium *formale* et *interpretativum.* Prius adest, cum voluntas rei ab intellectu propositae vere ad-

(1) Regula luris (142 Dig. L, 17) haec habet: ‹ Qui tacet utique non fatetur ; sed tamen verum est, eum non negare ».

(2) Nota marg. ad Glossam In § Caius, lex 25, *Dc legatis* (D. 31, 1).

haeret. Alterum, quando consensus nullus quidem nec luit nec est, sed ex inclinatione animi, ex convenientia rei cum perspecto appetitu rationali conicitur futurus fuisse si obiectum propositum esset. Interpretativa voluntas dicitur interdum *praesumpta de futuro*. Haec, quia nulla actu est vel fuit, nihil efficere potest. Quare dispensatio, quae legis vinculum solvere debet, numquam sic praesumi potest ; sed praesumi potest licentia, quacum actus, do cetero validus, debitum modum subordinations ad voluntatem superioris obtinet ;

d) Voluntarium *actuale, virtuale, habituale. Actuale* dicit assensum qui nunc deliberate adest ; *virtuale* se prodit in effectu anterioris voluntatis actualis ; *habituale* denotat voluntatem praeteritam et *non retractatam,* quamvis in nullo effectu perseveret.

Sic, ex voluntate tendendi pedibus ad S. Potri, quispiam, qui bene viam novit, sine conscia viarum electione, plura mente volvens, cum socio confabulatur, et iter facit : is virtualitor basilicam visitare vult. Qui formaliter petiit extremam unctionem et doin sensibus destituitur, habitualem sacramenti voluntatem habot.

Voluntas virtualis eandem atque actualis efficaciam possidet. Habitualis ad quosdam effectus iuridicos vel spirituales *qui actionem non postulant* sufficere potest.

Lugo (1) *(Ve Sacr. in genere,* d. 8,15 ; *De Paenit.* d. 7, n. 40, existimabat voluntatem virtualem esse praesentem, sed confusam ct vix perceptibilem, scu, ut nos diceremus, subconsciam. Verum alia explicatio praeferenda videtur. Consociatio idearum ct imaginum nobis hanc facilitatem affert, ut uno imperandi actu omnem seriem actionum partialium quas satis saepe fecerimus determinaro possimus. Sub dato imperio, omnis series quae praevisa est et illo imperio est effecta, simili modo voluntaria est quo voluntaria dicetur explosio quam in profunda cavea determinat is qui, extra caveam positus, contactum electricum officit. Illud tantum differt, quod in potestate nostra manet ut conscio modo imperatam seriem abrumpere possimus. Itaque, quamvis in serie exse-

(1) Ei adhuc adhaeret Frinh, *De actibus humanis,* I, 53.

qucnda voluntates actuales facile misceantur, virtualité! tamen est serios voluntaria, quatenus a primo imperio derivat; et, secundum legem actionis humanae, voluntarietas ista prorsus sufficiens est.

4Î. — De involuntario. Simul novimus quid sit *involuntarium,* ct quomodo dividatur. Id unum observabimus: stricte dicitur *involuntarium,* quod fit contra voluntatem : *non voluntarium,* quod fit praeter voluntatem, quatenus res a voluntate non pendet, quamvis ipsi grata esse possit. Latiore significatione utrumque dicitur involuntarium.

Articulus II. — Ds sctu humano qua libsro.

48. — I. Voluntarii et libertatis conjunctio. In praesenti hominis viatoris condicione, actus voluntarius simul est psychologice liber. Sol-', beatitudinis appetitio ipsi est necessaria « quantum ad actus determinationem, qui; non potest velle oppositum ; non autem quantum ad exercitium actus, quia potest aliquis non velle tunc cogitare de beatitudine, quia etiam ipsi actus intellectus et voluntatis particulares suut » (1).

Nec apud Aristotelem vox occurrit qua liberum a voluntario distinguatur. Unde, in hoc articulo, mere sub alio respectu actum voluntarium consideramus, ct ab hoc principio proficisci possumus : quantum deficiat voluntarium, tantum libertas deficit ; et omnis defectus libertatis actum imperfecte voluntarium dicit.

De libertatis condicionibus et impedimentis agendum nobis est.

49. — II. *Libertati» condiciones.* Usus liberi arbitrii postulat :

1. Ut ratio, habitu ct actu, *copiam habeat indicandi* de bono formaliter sumpto et de proportione qua bonum particulare quadrat ad subiectum eiusque inclinationem seu appetitum. Sin minus, obiectum nequit proponi ut indifferens, i. e. ut tale quod simul sit appetibile et incapax

(1) S. Th. *De Malo,* q. 6 art. unio. Cf. in 1, 2 dfct. 25, q. 1 art. 2.

ad satiandum appetitum. lam vero in illa indicii indifferentia prima radix libertatis consistit.

2. Ut ratio *expedita sit* ad sequendam voluntatis directionem, sub cuius directione res sub vario aspectu considerentur et diversa indicia practica efficiantur. Cum voluntas enim sit appetitus rationalis, homo nihil vult vel praefert quod simul non arbitretur volendum vel praeferendum : quare inter nostrum *velle* et nostrum ultimum *practice iudicare* est necessaria concordia. Itaque, nisi ipsum indicium sit in potestate voluntatis, neque actus proprius volendi in eius potestate erit.

3. Ut obiecti et actuum *reflexa cognitio* habeatur. Sine enim conscia possessione, usus dominii haberi nequit.

Ut idem brevius dicamus : liberum arbitrium postulat intellectum evolutum et expeditum ad repraesentandum, docilem ad obtemperandum, et reflexam conscientiam. Itaque :

a) quidquid vincit intellectum ;

ft) quidquid abripit voluntatem, usum liberi arbitrii impedit ;

c) nec liberum esse potest quidquid a voluntate nostra non proficiscitur.

Illa liberi arbitrii impedimenta et fines, prius in homine sano deiu in homine infirmo seu male affecto iam nobis consideranda sunt.

SUMMARIUM.

50. — I. *Voluntarium,* seu « cuius principium est intra cum additione scientiae », sub vario respectu dividitur.

II. *Prout* voluntati obiective *proponuntur finie et media,* voluntas potest finem simplici complacentia amare, eundem intendere, eo obtento frui ; media vero vel, consentiendo, mere acceptat ut sunt proposita, vel inter plura consultando eligit meliora ; demum utitur potentiis ad media adhibenda.

III. *Pro modo attingendi obiecta;* iam, sine corporali mutatione, habet undecim motus prosecutivos vel aversativos appetitus sensitivi ; praeterea, qua rationalis appetitus, quaedam vult in se, seu directe, quaedam in alio seu indirecte. Ac permissus (ac-

tivo vel passive) dicitur effectus cum actione vel omissione praevisus nec tamen amatus.

IV. *Ex specie externa,* distinguitur voluntarium positive, per actionem, et negative, per omissionem : quod non nulli vocant voluntarium indirectum.

Dein voluntarium explicitum, et implicitum, quod in prion; continetur.

V. *Ex manifestatione sua,* voluntarium potest esse formaliter expressum, vel tacite in aliquo facto vel omissione significari, vel de praesenti praesumi, i. e. conici ex inclinatione animi.

Inde prudens usus colligitur adagii : Qui tacet consentire videtur.

VI. *Pro varia perfectione sua,* distinguitur voluntarium perfectum, cui nec cognitio nec deliberatio deest, et voluntarium imperfecte deliberatum ; dein voluntarium simpliciter, quod obiectum, ut est in concreto, amplectitur, et secundum quid, quod idem amplectitur sub definita nota ad quam attenditur. Est quoquo voluntarium formale seu verum, et voluntarium interpretativum. quod non est sed esset si obiectum esset propositum : dicitur praesumptum de futuro. Demum est voluntarium actuale, in actu praesenti, virtuale, in serie efficaciter imperata, et habituale, qui more fuit et non est retractatus : hoc voluntarium ad nullum offectum physicum, bene voro ad effectus iuridicos valere potest.

VII. Ex voluntario novimus quid et quotuplex essot involuntarium.

VIII. Libertas *psychologica,* quae nunc in omni actu humano habetur, postulat tamquam condiciones, intellectum evolutum et expeditum ad repraesentandum, docilem ad obtemperandum, et reflexam conscientiam.

TITULUS III.

Impedimenta et fines liberi arbitrii.

Utilitas. — Non modici momenti, nec modicae saepe difficultatis est ut theologus moralis, v. g. in sacramento paenitentiae, reatus discernere prudenter queat, et do valoro promissionum et susceptarum obligationum iudicare. In hunc finem praesens titulus conscriptus est.

51. — Impedimentorum ratio et divisio. 1. Quamvis de impedimentis intellectus et voluntatis dicamus, spirituales tamen facultates nec aegrotare, nfcc impedimento intrinseco affici proprie possunt. Omnia ergo impedimenta cohaerent cum praesenti nostra necessitate utendi corpore et viribus materialibus etiam ad actus nobilissimos. Iisdem itaque vinculis quibus sensus, sive interiores sive exteriores vinciuntur, ipse intellectus externe vincitur. Distinguimus autem impedimenta et fines liberi arbitrii in *homine sano,* et impedimenta quae *morbido statui* sunt ascribenda. Priora sunt vel *communia omnibus,* quatenus omnes homines per se istos status experiuntur in quibus facultas superior, suo actu impedita, nullum actum liberum, saltem perfecte, facere potest ; et impedimenta *accidentalia,* ut ignorantia, quae efficiunt ut, non quidem per se, sed per accidens, facultas, etiam quando expedita est ad actus suos, nihilominus quaedam agat involuntarie.

CAPUT I.

Fines liberi arbitrii et impedi II enta in homine sano.

Articulus T. — Fines et impedimenta omnibus communia.

Distributio argumenti. — Tum aetato, somno, tum statu ebrietatis liberum etiam hominis sani arbitrium communitor impeditur. Varii praeterea motus appetitus praovortunt deliberationem, ultra quam libertas psychologica se extendero nequit.

Inde :

52. — I. Impedimenta communia. 1. *Puer* non est liber. Deficiente enim cerebri evolutione, caret conscia possessione notionum universalium.

2. *Dormiens* liber non est. Etenim, pro varia somni perfectione, sensus plenius vel minus plene impediuntur. Nec ullo somnio libertas restituitur. In somnio enim phantasmata fatali ordine quo vel iam antea colligata erant,

vel facto quopiam accidentali, utputa audito sonitu, aut rei gravis vel frigidae contactu colligantur, alia aliis succedunt (1) ; et, abrupta normali communicatione inter centra superiora et externas perceptiones, conscientia de statu obiectivo diiudicare nequit ; omnis demum conscia directio voluntati eripitur. Si deliberare, libere agere interdum nobis videmur, usum liberi arbitrii potius somniamur quam re vera habemus. Si suggestioni pravae renitimur, indicium est virtutis quae, diuturna exercitatione confirmata, satis valida habet suorum actuum phantasmata, ut simul cum phantasmatibus passionum et inferiorum propensionum praesententur. Magis tamen instinctu quam acquisita virtute homines per somnia duci consueverunt. Nec somniorum iussiones exsecutione complentur.

3. *Perfecte ebrius* liber actu non est, quamvis ebrietas voluntaria esse potuerit.

4. *Jmperjccte vigil* nondum expedito usu sensuum exteriorum et sensus interioris fruitur. Atque istis sensuum impedimentis potentiae superiores sibi comparare prohibentur supplementa virium quae tentationi seu suggestioni vincendae necessaria forent (2). Deficit ergo efiicacia imperii, et nondum adest perfecta conscientia rerum et sui. Quare, si respectus bonitatis vel malitiae moralis menti non est obversatus, nulla tunc erit libertas ; si vero cogitatio de bona actione vel de morali obligatione mentem subierit, voluntas quae dimidiatis viribus tentâtionem superat, valde mereri poterit; si autem tentationi cesserit, non poterit graviter culpari. Quam diu enim homo finem ultimum pro sua dignitate et congruente efficacia aestimare et intendere suo statu subiectivo prohibetur, de illo line per actum proprium statuere nequit, ita ut eius inordinatio non sit nisi venialis.

(1) Saepe duae recentes memoriae miscentur. Occurrit amicus; dein. cum alio quaestio mota est do prandio : somniamur nos cum amico prandero.

(2) Subsidia quaeruntur divertendo montem ad alia, renovando proposita vel vota.

53. — De motibus non deliberatis. 1. In *ipso sensu,* variae concupiscentiae (1) apprehensionem sensibilem ultro sequuntur. Hae non sunt a voluntate. Quare liber tantum esse potest actus quo concupiscentiae istae dein aut admittuntur seu aluntur, aut repelluntur. Quanam repellendi obligatione : id loco proprio dicetur.

2. Ipsa voluntas, ut est appetitus hominis, experitur in se spontaneos affectus ad omnia quae etiam ratione inferiore quadantenus ut hominis bona proponuntur. (Rationem inferiorem eam vocamus quae motiva proponit ex praesentibus huius vitae et mundi bonis desumpta ; quae ceterum bona, adiuvante sensu, vividius repraesentantur.) Motus illi voluntatis, cum collationem cum motivis rationis superioris seu considerationes boni honesti praecedant, non sunt a voluntite ut est appetitus rationalis. Quare motus isti, qui *primo-primi* dicuntur, sunt extra fines libertatis, nec lege morali reguntur.

3. Habet praeterea voluntas, etiam in statu vigiliae, propter animi distractionem vel vim concupiscentiae involuntariae, *actus imperfecte deliberatos,* de quibus sicut de actibus hominis semisomnis pronuntiandum est. Quare motus isti *secundo-primi,* si boni, valde laudabiles erunt, si in malum tendant, gravem reatum inducere nequeunt.

Articulus II. — Fines et impedimenta accidentalia.

Ordo dicendi. — Tum *ignorantia,* quao voluntarium in radice sua cognitionis intellectualis attingit ; tum *concupiscentia,* quatenus interiorem motum dicit distinctum a voluntario ; tum *aliena actio exterior,* quae *vi* et *metu* voluntatem determinaro tentât, voluntarium varie impediunt vel afficiunt. Eorum itaque influxus ordine exponendus est.

(1) Non agimus hic do concupiscentia quatenus, pro sua vi, impeditiorem facit usum liberi arbitrii, sed do concupiscentiis spontaneis quao possunt etiam appetitum honestum adiuvaro: puta motum amoris erga prolem.

§ 1. — De Ignorantia.

I. *Nolio et divisiones.*

54. — Ignorantia est privatio scientiae aliquo modo debitae ; et sic differt a *nescientia,* quae est simplex scientiae negatio. Error autem est falsum indicium. Laicus nescit, confessarius theologiam moralem ignorat. Ambo errant, cum fornicationem pro peccato veniali habent. Inadvcr-tentia demum est actualis inconsideratio seu oblivio scientiae habitualis.

55. — Ignorantia dividitur respectu *subtecti* ignorantis eiusque adiunctorum ; respectu *obiecti* ignorati ; et respectu *actus* voluntatis ad quem refertur vel quem afficit.

1. Respectu *subiecti,* ignorantia *invincibilis* est quae ullatenus vel saltem *morali* diligentia depelli non potuit. *Moralis* diligentia non requirit ut omnia media adhibeantur, sed humanum dicit diligentiae modum, nostrae condicioni accommodatum, quem, varium pro varia rei gravitate, prudentes in rebus suis adhibere et ab aliis exigere solent. Invincibilis itaque esse potest non sola ignoratio perfecta, quae suspicionem veritatis excludit, sed etiam imperfecta, quae cum dubio componitur quod spernendum aestima-tum est.

Vincibilis est, quae morali diligentia tolli potuit. Rursus haec ignorantia est *neglegentiae,* cum quis a studio cognoscendi variis aliis rationibus avertitur ; est *affectata,* cum quis directe vult ignoraro. Ac nomen affectatae igno-rantiae reservari consuevit ignorantiae quae culpanda est. Voluntas tamen quaedam ignorandi laudabilis quoque es-se potest. Quamvis enim scientia per se sit bona et expe-diens, in praesenti nostra infirmitatis condicione quaedam feliciter ignorantur, v. gr. ad maiorem castitatis custodiam, ad faciliorem caritatis erga proximum exercitationem.

Pro gradu neglegentiae, ignorantia est *crassa* vel *su-pina,* quae ne facilem quidem sciendi occasionem arripuit ;

est simpliciter *vincibilis,* quae solam applicationem suï cientem omisit. Theologus qui scientiae acquirendae nullatenus studet, eam crasse ignorat ; qui non satis diligens est, eam simpliciter ignorat. Crassa ignorantia decipitur qui, utrum inedia nox necne transierit nosse debens, ne horologium quidem consulit quod ipsi adiacet ; simpliciter vincibili laborat qui e lecto surgere et paucos passus facere ad consulendum horologium neglegit.

2. Respectu *obiecti,* ignorari potest *ius, jactum, poena.*

Ignorantia *iuris* bifariam habetur : magis stricte, cum id quod lege continetur ignoratur ; minus stricte, proprie tamen, cum ipsa legis exsistentia non cognoscitur. Ius istud potest esse naturale, positivum divinum, positivum humanum : sive ecclesiasticum, sive civile.

Ignorantia est *facti,* cum condiciones applicationi legis postulatae adesse ignoratur.

Ignorantia *poenae* est illa iuris ignorantia qua fit ut nescias cuipiam delicto peculiarem poenam annexam esse.

Luris ignorantia laborat qui ignorat postulantes intra monialium clausuram recipi posse et debere (c. 540, § 3), vel legem exstare pontificiae clausurae pro monialibus; *facti* ignorantia, qui ignorat talem domum religiosam esse monasterium monialium; *poenae* ignorantia, qui ignorat violationem istius clausurae esso excommunicatione sancitam.

3. Respectu *actus voluntatis,* ignorantia potest antecedere vel consequi actum voluntatis, prout causam habet voluntariam vel non ; potest esse causa [removens prohibens (1)] actus qui sine ignorantia factus non esset, vel nullam causalitatis rationem exercere, seu mere comitari actum qui, attenta dispositione voluntatis, cognitione legis vel facti non prohiberetur.

Est itaque duplex respectus : priore, *origo* ignorantiae, altero eius *effectus* consideratur, unde haberemus bis bimembrem divisionem. Recepto tamen usu una trimembris

(1) Ignorantia, cum eit non-ens, nihil positivo ofllcit, sed removet obstaculum quod scientia opponeret. Ideo dicitur removens prohibens.

divisio binis bimembribus surrogatur hoc modo : *Antecedens* dicitur ignorantia quae est invincibilis seu involuntaria et simul causa volendi ; *Concomitans,* quae non est causa volendi ; *Consequens,* quae directe vel indirecte est voluntaria et simul est causa volendi.

II. — *Quaenam ignorantiae invincibiles exsistere queant.*

56. — Leges *positivas* invincibiliter ignorari posse, extra controversiam est et per se patet. Esse *remotas iuri naturalis conclusiones* quae invincibiliter ignorari queant, non minus manifestum est. Plures enim quaestiones sunt v. g. de obligatione restituendi in hoc vel illo casu ; de origine talis impedimenti matrimonii (v. g. consanguinitatis in primo gradu lineae collateralis) de quibus ipsi docti a saeculis disputant inter se nec consentiunt. Contra, prima quaedam principia et fere immediatas conclusiones, v. g. bonum faciendum esse, malum esse fugiendum ; homicidium, adulterium generatim non licere (1), ab omnibus sanae mentis hominibus cognosci, etiam non ambigitur. Restant tunc principia plura vel corollaria non ita proxima nec ita remota, quorum ignoratio severius ab aliis quam ab aliis aestimatur. Atque hodie potius in benigniores partes inclinamus. Sic fere nemo iam dubitat malitiam pollutionis ab adolescente vel iuvene diu ignorari posse. Nec desunt qui existiment abusus quosdam onanisticos inter coniuges, in certis saltem adiunctis, bona fide excusari posse.

57. — Quid operetur habitus. *Habitus* sufficientem cognitionem actus boni vel mali plerumque non tollit (2). Attamen « potest contingere quod aliquis habens habitum vitiosum interdum non ex habitu operetur, sed ex pas-

(1) Adulterium quidem loge naturali *numquam* permittitur; sed absolutam istam prohibitionis universalitatem iam non nulli ignorare possunt : quare solummodo a *ytntrali* eius prohibitione invincibilem ignorantiam exclusimus.

(2) CL S. Alphonsum. *De actibus humanis,* XIV ; *TheoL mor.t* 1. 8. n. 127; 1. 6» n. 4, § tertio.

sione insurgente vel etiam ex ignorantia ». (S. Tn. 1, 2, q. 78, art. 2). Quod iis facilius contingit qui habitum corrigere volunt et tamen quaedam verba blasphema vel etiam scurrilia impatientes vel distracti effutiunt, aut breves tactus in se exercent. De qua re istud quoque observandum videtur cognitionem quae ad actum bonum satis sit facilius cum actu bono manere, quam cum habitu malo servatur cognitio quae ad actum saltem graviter malum necessaria est : tum quia probus vir uti habitu suo magis formaliter cupit, ita ut « ex habitu ipso operari » a S. Tn. l. c. diceretur ; tum quia minus perfecta deliberatio ad actum bonum quam ad actum graviter malum requiritur.

« Obvia aliqua circumstantia malitiae, quam agens habitualiter scit, vix umquam ita oblivioni vel inadvertentiae tradi potest, ut non sit sufficiens cognitio ad malitiam contrahendam. Ita, v. g. quis non rideat sacerdotem vel religiosum qui contra castitatem peccaverit, dicentem se ad votum sive ad statum sacrum nullatenus attendisse ». (Lehmkuhl, *Theol. mor.* I, 77, 3.)

III. *Reatus ipsius ignorantiae vincibilis, quando mala· est.*

58. — 1. Gravitas istius reatus ex conscio neglegentiae gradu aestimanda est. Porro, neglegentia ista potest esse omissio *actualis considerationis,* cuius necessitatem tamen quispiam animadvertit, sive id ex habituali et conscia inconsiderantia profluat sive non ; et potest esse *habitualis* ignoratio rerum quas, sive ex obligatione communi sive ex speciali status obligatione, quis *secundum omne tempus* scire debet. (8. Tu., *De malo,* q. 3 art. 8.)

Culpandus igitur esse potest qui praeceps agere solet nec suae emendationi studet, et qui, prae ignavia sua, scientiam munere suo requisitam non adipiscitur.

59. — Quot sint peccata numero, in posteriore casu non ita facile definitur. Quotiens enim quis voluerit ignorare, vel formaliter vel virtualiter occasionem discendi neglegendo, totiens ob ignorantiam peccabit.

Praeterea, quotiens ignarus se periculo probabili commiserit damni inferendi, v. g. exercendo munus, totiens quoque peccabit nisi necessitate excusetur. Quare is exercendo munere abstinere debet, donec sine periculo probabili illud exercere queat. Cf. Ballerini-Palmieri, *Op. th.*, I, Tr. 1, c. 3, n. 55.

60. — Quod ad speciem peccati, vel habetur praeceptum speciale cognoscendi, et tunc ex natura istius praecepti eius violatio speciem habet. Quare culpanda ignoratio articulorum fidei ipsi fidei adversabitur, quamvis formali haeresi non peccet ignarus, nisi sit ita actu dispositus, ut non adhaereret etiam notae definitioni Ecclesiae (1).

Vel praeceptum istud non exsistit ; et tunc ignorantiae peccatum speciem accipit a transgressionibus quae in confuso secuturae praevidentur. Omnis enim lex quae opus praecipit vel vetat, implicite, in ordine ad illud opus, sui cognitionem imponit, Cf. Bucceroni, *Institutiones theol. mor.,* I, 52.

IV. *Quid ignorantia operetur.*

61. — Effectus ignorantiae in voluntarium. 1. Ignorantia *antecedens* efficit ut simpliciter involuntarius sit actus bonus vel malus qui ab ignorante productus est. Nec in se enim est voluntaria, et talem dicit agentis dispositionem, ut sciens aliter egisset.

2. Ignorantia *concomitans, qua talis,* reddit actum non voluntarium quamvis non involuntarium (2). Involuntarium enim stricte est quod repugnat voluntati. Quod autem fit cum concomitanti ignorantia fieret etiam scienter.

3. Ignorantia *consequens, qua talis,* facit actum voluntarium *in causa,* in se tamen involuntarium, cum, scientia praesente, omitteretur.

(1) Cf. Luao, *De fide,* d. 20, n. 182. 191.
(2) S. Th. 1, 2, q. 0 art. 8.

Quid autem si sit *affectata,* seu directe in se voluntaria î Ignorantia illa, si est de rei moralitate, in se est peccatum quod, pro re de qua agitur, grave vel leve esse potest. Quod actum reddat magis voluntarium quam ignorantia simpliciter vincibilis, id per se est manifestum. *Signum* praeterea est magnae propensionis ad id cuius rei gratia quispiam vult ignorare : v. g. ad legendum librum de quo vult nescire an sit prohibitus ; et hac ratione, augere voluntarium satis improprie dicitur. Ad ipsam autem violationem legis prohibentis cui ignarus se exponit, prodit affectum maiorem vel minorem quam si scienter peccaret, pro motivo quo ducitur. Si ex contemptu auctoritatis qua talis, signum erit peioris affectus ; si, contra, ignorare vult ne aliquo modo, rei conscius, a peccato retardaretur, affectus potest esse minor quam scienter peccantis. Cf. Ball.-Palm., I, tr. 1, n. 51 ; Lehmkuiil, I, 76.

Etiam in actibus bonus ignorantia directe voluntaria magnum affectum ad laudabilem actionem demonstrat. Sic valde beneficum animum prodit qui mores mendici ignorare vult ne, detecta fortasse aliqua eius malitia, minus prompte eleemosynam daret.

Universali demum ratione, actus cum ignorantia factus minus quam qui scienter fit est voluntarius. Excipe tamen ignorantiam ideo directe electam, quia nota ignorata prorsus posthabetur. Magis enim v. *g.* vult actionem bonam qui periculum eius considerare renuit, quia cum omni periculo infirmis assistere vel pro patria se devovere intendit ; magis praeceptum transgredi vult, qui ex contemptu praecepti eius ignorantiam affectat.

62. — Effectus ignorantiae in meritum et peccatum. Quia condicio meriti et peccati est voluntarictas, ignorantia, ceteris paribus, tollit, minuit vel auget meritum aut peccatum, eadem prorsus ratione qua tollit, minuit vel auget voluntarium. Quare ignorantia *invincibilis,* sive iuris, sive facti, sive antecedens, sive concomitans fuerit, peccatum necessario tollit.

Undo Augustinus: « Usque adeo i centum voluntarium est malum, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium. Et hoc quidem ita manifestum est ut nulla huic doctorum paucitas, nulla indoctorum turba dissentiat (1).» Id tamen Baius negabat de infidelitate, prop.® 67 : « Infidelitas pure negativa in 1rs (in) quibus Christus non est praedicatus, peccatum est », quam S. Pius V.. Bulla *Ex omnibus afflictionibus,* I oct. 1567, inter proscriptas tamquam « haereticas, in pias aures offensionem immittentes» damnavit. *(l)cns.* n. 1068) ; Baiani vero ct lansenistac idem negabant dc omni iure naturae, prop.® 2, ex 31 quae ab Alexandbo VIII, docr. 7 dec. 1690, «tamquam temerariae... et haereticae » proscriptae sunt, et sic sonabat: «Tametsi detur ignorantia invincibilis iuris naturae, haec in statu naturae lapsae operantem ex ipsa non excusat a peccato formali » *(Denz.* n. 1292).

Ne ideo tamen existimes ignoratum naturae ius sine detrimento violari. Non tantum enim ignarus merito et connatural! quoque influxu actionis bonae privatur, verum etiam, cum omnis actus materialiter sed intrinsece malus, sit innaturalis seu contra naturam, per vestigium quodpiam quod omnis actio in homine relinquit, agentis bono et felicitati opponitur. Errant itaque qui de peccato ignoranter commisso gaudeant, vel qui doleant se non versari inter gentes minus cultas, ubi plura ignoranter contra legem naturae exercere possint. Ignoratio legis naturalis numquim ut bona apprehendi potest.

Ac simili modo actus materialiter bonus non est ignaro inutilis, quamvis ignorata bonitas meritum non pariat.

Ignorantia autem simpliciter *vincibilis* meritum vel peccatum minuit. I. e. qui agere quidpiam proponit quod suspicatur esse bonum vel quod timet ne sit malum, hac intentione vel meretur, vel peccat, minus tamen quam si bonitatem vel malitiam perspexisset: nec ad meritum vel peccatum refert actum re vera esse materialiter bonum vel malum. Verum enim obiectum voluntatis est actus ut intellectu apprehenditur.

(1) *J)c veru rehj ^nr,* c. 4. n. (P. L. 34. !$$.··

Ignorantia demum *directe voluntaria* plerumque minuit, interdum auget meritum vel peccatum, sicut supra de voluntario explicatum est.

63. — Effectus ignorantiae in poenas fori exterioris. Hodiernae leges *civiles* nullam poenae mitigationem propter legis vel poenae ignorantiam statuere solent.

Apud illas ignorantia iuris nocere dicitur. Inde tamen, in pronuntianda poena, quampiam ignorantiae excusationem iudex admittere non prohibetur ; in re quoque fiscali, amicae compositiones propter actus illiciti ignorationem admittuntur.

In foro autem *canonico,* longe maior ignorantiae ratio habetur, saltem si haec satis evinci possit, namque « ignorantia vel error circa legem aut poenam generatim non praesumitur » (c. 16, § 2).

Principia porro haoc ponuntur. C. 2199 « Omnes causae quae augent, minuunt, tollunt dolum aut culpam, eo ipso augent, minuunt, tollunt delicti imputabilitatom ».

C. 2201, § 1. «Violatio legis ignoratae nullatenus imputatur, si ignorantia fuerit inculpabilis ; secus imputabilitas minuitur plus minusvc pro ignorantiae ipsius culpabilitate ».

C. 2218, §2. «Non solum quae ab omni imputabilitato excusant, sed etiam quae a gravi, excusant pariter a qualibet poena tum latae tum ferendae sententiae etiam in foro externo, si pro foro externo excusatio evincatur. »

Do poenis porro *latae sententiae* haec statuuntur : 1. Ignorantia affectata sive legis sive solius poenae, a nulla excusat. 2. « Si lex habeat verba : *praesumpserit, ausus fuerit, scienter, studiose, temerarie, consulto egerit,* aliavo similia quae plenam cognitionem ac deliberationem exigunt, quaelibet imputabilitatis imminutio sive ex parte intellectus sive ex parte voluntatis eximit a poenis latae sententiae ». 3. Si verba illa non habeat: ignorantia crassa vel supina a nulla eximit ; non crassa vel supina sive logis sive solius poenae excusat a medicinalibus, non autem a vindicativis. Cf. c. 2229.

Quaenam sint istae poenae, postea dicetur. Observemus tantum excommunicationem semper esse medicinalem poenam.

64. — Effectus ignorantiae in valorem quorundam actuum.

Quatenus voluntarietas ad valorem requiratur, eatenus, nec plus nec minus, ignoratio valori actus obstare poterit. Sic praecepto audiendae missae satisfacit qui missam audiat ignorans esse diem dominicam : quia intentio implendi praecepti non est ipsa praecepta ; valide baptizat qui ignorat baptismum esse sacramentum, dummodo, peragendo ritum essentialem, facere velit quod facit Ecclesia : quia nihil plus voluntarium esse debet ; valide sibi conferunt sacramentum nubentes baptizati qui nesciunt matrimonium esse sacramentum, quia volunt contractum qui est sacramentum : invalide vero matrimonium contraxerint qui ignoraverint matrimonium esse societatem permanentem inter virum et mulierem ad filios procreandos (c. 1082, § 1), quia substantia contractus voluntarie admissa esse debet ; invalide vovet semisomnus, quia perfecta deliberatio ad votum requiritur.

65. — Quaecumque diximus de *ignorantia habituali,* valent de *inadvertentia* ; immo nullos effectus habet ignorantia, nisi quatenus gignit inadvertentiam.

§ 2. — De concupiscentia et accedente consuetudine.

Ordine dicemus de concupiscentia, dein de accedente vi consuetudinis ; tum de quibusdam supplementariis observationibus.

I. *De Concupiscentia.*

Concupiscentiae trademus notionem et divisiones, dein effectus.

A. Notio et divisiones.

66. — I. Xotio. Hoc loco, concupiscentia esse intelligetur *motus appetitivae virtutis sensibilis qui est ex imaginatione boni* (1).

Complectitur itaque passiones appetitus inferioris. Ap-

(1) Cf. S. Th. 1, 2, q. 30 art. 1 ; et in I. 3 Sent d. 20, q. 1 art. 1.

petitu isto ad bonum sensibile persequendum ac proinde ad fugiendum malum sensibile inclinamus. Est nobis auxilio ; et, in praesenti nostra condicione, quoque impedimento. *Auxilio* est, quatenus variis corporis necessitatibus, quibus inserviendum est, et variis officiis coniungit allectationem ; quatenus motu consentaneo voluntatem confirmat huicque oboedit. *Impedimento* est, quando, indicium rationis praevertens, caeco impetu fertur in delectabile etiam vetitum. Et tunc habetur concupiscentia *pressiore significatione,* quae fomes iste est, ab Apostolo deploratus, pravarum cupidinum et stimulus peccatorum. Officium et nobile studium habet voluntas hunc coercendi, et dominandi passionibus.

67. — Divisiones. Distinguitur itaque *antecedens* concupiscentia, (piae consensum voluntatis praecedit eamque ad consentiendum trahit; et *consequens,* quae, ordine c usalitatis, voluntatis actum sequitur, idque bifariam : per meram *rcsultantiam,* qua actus superiores ad potentias inferiores redundant, ut cum affectu erga Deum Christum sensibiliter commovemur, vel per *studiosam excitationem,* ut cum S. Ignatius, in contemplatione de passione Domini, nos hortatur ut magno nisu nos excitemus ad dolendum, tristandum et plangendum. *(Exerc. spir.* Tertia hebdomada, de ultima coena.)

B. Effectus in voluntarium, meritum et peccatum.

68. I. Effectus in voluntarium. Tanta vis esse potest concupiscentiae, ut nullam deliberationem esse sinat. Quod sic agimus, voluntarium vel liberum in se esse nequit (1, 2, q. 77 art. 7), sed solum in causa, si occasionem voluntarie adiverimus.

Hoc excepto casu, actus ad quem ferimur concupiscentia antecedente, minus totus est a voluntate, ac proin, quo maior et fortior est concupiscentia, eo minus per se est actus voluntarius. Quia tamen concupiscentia nullam efficientiam in intellectum et voluntatem exercet, sed mere

illecebris obiecti intellectum percellit et voluntatem intentionalitcr rapit, ambae istae facultates intactae manent et liberum arbitrium servant. Quare in Incta resistere et subsidia sibi quaerere possunt.

Plene voluntarius sane est actus *contrarius* concupiscentiae ; sed cum ex toto sit influxu concupiscentiae solutus, de eo non est hic proprius locus.

Concupiscentia *consequens per resultantiani,* intensam voluntatem demonstrare solet, et sic dicitur augere voluntarium. Quamquam sensibilitas, pro ipso temperamento et corporis condicione, in alio promptior, in alio tardior est ad actum.

Consequens demum *per directam intentionem,* voluntarium auget, cum ipsum motum concupiscentiae voluntarium efficiat.

69. — II. Effectus in meritum et peccatum.

Concupiscentia antecedens per se non tollit sed minuit meritum actus boni ad quem sensibiliter allicimur, et peccatum ad quod trahimur, eadem ratione qua voluntarium minuit.

Concupiscentia *consequens* per rcsultantiam, tunc tantum stricte auget meritum vel peccatum, cum ei consentimus, ut consentire solemus, quando concupiscentia cum voluntate conspirat; consequens per *directam intentionem,* meritum vel peccatum necessario auget.

II. *De accedente vi consuetudinis.*

T0. — Consuetudo, sicut per facilitatem agendi parit inconsiderantias et obliviones, sic etiam gignit propensionem ad similes actus repetendos. Inde firmata consuetudine virtus efficit interdum ut etiam in somno suggestiones pravas repellamus. Contra autem, propensio mala tanta interdum facta esse videtur ut, per aliquod tempus, consuetudinarii quadam *morali impotentia* vitandi omne grave peccatum ex culpa sua laborare videantur.

Impotentia moralis ea est quae ad singulos quidem actus

linquit sufficientem libertatem recte agendi, ita tamen ut si series tota habeatur, i. e. in casu, si series tentationum se explicet, in morali existimatione certo constet fore ut homo in non nullis deficiat seu peccet. Pia tunc perseverantia vel maiorem gratiam impetrabit, vel normales conditiones paulatim restituet, ita ut speciali auxilio iam non sit opus.

III. *Supplementariae observationes.*

A. Praesens hominis infirmitas.

71. — Gratia medicinalis. Tanta est praesens infirmitas, ut ad superandas graves tontationes opus habeamus gratia quae *medicinalis* dicitur, quatenus hominem expeditum efficit ad tentationes vincendas. Gratia tamen ista, saltem in iustis et fidelibus, est ipsa actualis gratia ordinis supernaturalis. Ac valde dubitamus an gratiae puro medicinales uinquain admittendae sint.

B. Varia de concupiscentia praecepta et consilia.

72. — 1. De motibus et phantasmatibus pravis. Cum in solis facultatibus superioribus deliberatio de fine hominis institui possit, inordinatio circa finem, seu peccatum mortale, in parte sensitiva per se haberi nequit. Quare si quis motus pravos vel phantasmata libidinosa quorum non est causa experiatur, et passive se habeat, i, e. illa nec repellat nec admittat, per se graviter culpandus non est. Si tamen graviora vel incentiva fuerint, debebit, no in proximum consensus periculum incurrat, saltem actum displicentiae elicere, vel adeo attentionem ad alia convertere. Haec resistentia indirecta et quieta saepe efficacior et utilior est quam directa per actus etiam exteriores, quam turbatio comitari solet. Laudandus tamen est qui turpem motum physico cohibet vel inflicto doloro exstinguit, quamvis id per se non praecipiatur. Immo tentationi diuturnae continuam opponere resistentiam, etiam per solam voluntatis dissensionem, non est nccesso. Atque his qui tontationibus vexari consueverunt saepe istud consilium magis proderit, ut extra tentationem, v. g. mane vix vigiles, animum proposito et oratione firment, sensus diligenter custodiant, et doin, in tentatione, animum ad honesta, consueta studia, negotia, sino an-

Kieiate applicare conentur. Maxime proderit quoque amorem eae bitatis meditatione, cultu B. V. fovere, et exercere actu?, humilitatis et mortificationis sensuum. Praecluso etiam consensils periculo, qui motus inordinatos permittit quos facile impedire potest, ob toleratam istam inordinationem venialiter peccare videtur

Magis practice quam speculative concordant auctores catholici. Cf. Laymanx, l. 1.lr. 3, c. 6, n. 8: La Croix. 1.5. η. 109-112.

2. De motibus volnnta'is in rem malam perinde dicendum not est: illos pose plenam advertentium non abrumpere esset eosdem continuare, ac proin reddere deliberatos ; quod in maceria gravi grave foret. Cf. Lehmkuhl, I, 83.

73. Resistentia passiva vel non. in tenrationibms c: rnalibiis et contra fidem, genus quoddam positivae resistentiae prorsus improbandum, hoc est. ut lentatio voluntarie excitetur ad illam dein fortiter repellendam. Nec ubi gravius periculum est culpae mortalis, suadenda est voluntaria cuiuslibet tentationis quasi repetitio. Verum in rebus minus periculosis impatientiae, modicae aversionis, irae, invidiae, gulae, etc. concupiscentias excit, re et quasi ad certamen provocare licebit, ad illas fortius debellandas, donec plena victoria reportetur. Invabit quoque actus contrarios passionibus opponere. (Cf. librum *II combatiimeuto spirituale.* c. 13.)

71. Affectus consequentes non sunt ficticii. Non desunt hodie qui artificiales et paene ficticios esse existimant affectus sensibiles qui ad res bonas et sanctas voluntario conatu obtinentur, quasi spontaneus sensuum motus solus sit naturalis. Verum si naturalis unitas et perfectio hominis inferiores appetitus superiori subicit, nihil magis naturale in homine est quam ut sensus imperium rationis et voluntatis sequatur. Tunc tantum ficticia erit excitatio, si falsis rationibus aut imn sincera volim ate offecta sit.

§ 3. — De VI SEU VIOLENTIA.

I. *Notio et divisio.*

75. — I. Notio. – *Dum spontaneum* dicitur quidquid fit secundum tendentium naturalem, vis seu coactio est *motio cuius principium est extra, in contrarium renitente eo qui patitur.*

II. *Divisio.* Coactum *absolute* seu simpliciter est istud cui plene sed frustra resistitur. Cf. Wernz, *Matr.,* n. 260. 261. Coactum vero *secundum quid,* est quod maiore resistentia impediri saltem partim potuit ; vel quod patiens, quamvis resistere non possit, non plane invitus patitur.

Voluntas *cogi* nequit : qui vult non resistit ; cogi possunt potentiae exteriores, ut est manifestum ; atque etiam interiores facultates : phantasia, appetitus sensibilis, v. g. per angelum bonum vel malum. Quamvis enim coactus actus appetendi fiat secundum appetitus inferioris tendentiam, producitur tamen invita seu reluctante voluntate, ita ut *homo* coactionem patiatur.

II. *Effectus in voluntarium et in meritum vel peccatum.*

T6. — *Vis absoluta* efficit *involuntarium* (Cf. can. 2205, § 1). *Coactio secundum quid* voluntarium plus vel minus *minuit,* prout ipsa exstiterit maior aut minor, vel prout voluntas plus vel minus acquieverit (Cf. S. Th. 1, 2, q. 6 art. 5 ad. 2).

Omissio resistentiae pro varia causa potest esso culpanda, inculpanda, laudabilis. Ac perinde dicas de assensu quem voluntas confert, non quidem agendo, sed volendo pati. Sic Christus et plures Martyres libontissima voluntate qua necem subierunt maxime meriti sunt. Contra, peccat virgo vi oppressa, quae interne consentit : quamquam non peccat peccato complicitatis.

77. — Quaeres quantum vim inferenti et inhonesta proponenti *resisti debeat* ? Etenim qui vim infert interdum ipse solus actionem malam perficere cogitat. Sic agere solet fur, homicida ; sic egerunt occisores Christi Domini : tunc obligatio resistendi, fugiendi, alia est in alio casu, et potest quoque esse nulla (1). Interdum vero participatio (2) actionis malae exigitur : utputa, ut patiens thus idolis of-

(1) Ita, in Platonis dialogo *Crilon,* Socrates refertur noluisse fugere, ne legem contemnere videretur.

(2) Moraliter aestimandum est quid possit, sine scandalo omissionis quae videatur voluntaria, positive praestare : v. g. ascendero scalam, etc.

ferat, ut fornicationem vel adulterium admittat. Tunc non satis est ut vim patiens interne dissentiat, sed praeterea omni actione abstinere debet qua pravo consilio favere videtur (1), et omnem resistentiam positivam opponere quae utilis sit vel quae scandalum consensus aut periculum consensus avertat. Ideo censent mulierem oppressam per se obligari ut clamore et viribus corporis se defendat. « Verum si haec resistentia positiva inutilis vel nimis difficilis, immo riculosa sit, ab ea adhibenda excusatur, dummodo vitare possit consensum ». Noldin, *De act. hum.*, η. 58.

§4. — De metu.

I. *Notio et divisiones.*

T8. — Notio. Non omni vi absolutae, sed condicionali seu secundum quid, conectitur, ut effectus ordinarius, *metus,* qui definitur: *instantis vel futuri periculi causa mentis trepidatio* (L. 1. D. IV, 2). Quocirca vis et metus coniuncte tractari consueverunt. Damnum in rebus propriis periculo personali, observata proportione, aequiperatur.

T9. — Divisio. Metus dividitur: 1. Ex *gradu* vel *qualitate* : in *perturbantem* usum rationis, qui voluntarium tollit, et in *non perturbantem,* qui locum dat deliberationi et consensui; cuius motivum est apprehensi periculi aut damni fuga, flic posterior rursus dividitur in *gravem,* qui *absolute* seu perspecta natura mali, vel *relative* seu, attenta aetate, sexu, indole personae, animum vehementer afficere solet ; et in *levem,* qui est exigui periculi vel etiam magni sed non probabiliter impendentis formido. Absolute gravis in virum constantem cadere dicitur.

Metus *rcvcrentialis* seu timor displicendi patri, Superiori, vel eum offendendi in sa levis est ; sed facile cx adiunctis additis minarum, precum importunarum, diuturnarum inimicitiarum

(1) Visi agatur do bonorum exteriorum violatione, et possit quis propter intentas minas, sine formali iniustitia, cooperari latroni.

quao futurae prospiciuntur, in gravem convertitur. Controversiae delatura metus revercntialis. potius quam obiectiva rei obscuritate, confusis notionibus explicandae sunt.

2. Ex *causa,* in metum ab *intrinseco* vel ab *exlrinseco,* prout causam habet timenti interiorem vel exteriorem. Sed causa exterior necessaria, ut incendium, naufragium, ad causam interiorem practice assimilatin'.

Metus ab exrrinseea causa libera incussus rursus distinguitur *instas* vel *iniustus:* iustus est si, attenta re et modo, metum incutiens iure suo usus est ; iniustus, si, saltem ratione modi, iustitiam violavit. Sic qui, accepta offensa, minatur offensori litem et poenas legitimas, metum iustum incutit ; qui minatur gravem vindictam privatam, iniuste agit ratione modi.

Interdum praeterea dispiciendum est lueritne necne metus incussus ad consensum in quampiam rem certam extorquendam.

11. *Influxus in roluntari/um et in actus.*

80. — I. Influxus in voluntarium. Omisso metu quo ratio perturbetur, quae fiunt ex metu sunt *simpliciter* voluntaria, et plerumque involuntaria *secundum quid.* Simpliciter voluntaria sunt, quia deliberatio non deficit ; plerumque involuntaria sunt secundum quid, quia quod ex solo metu lit, per se non est amabile, immo tristitiam affert. Aliae tamen rationes praeter metum accedere possunt, propter quas actio grata fiat : et ipsa ratio metus postulare potest ut omne involuntarium excludatur. Sic dolor peccatorum qui ex metu divinae ultionis elicitur omnem affectum ad peccatum virtualiter excludit. Subsistente enim affectu ad peccatum, ultio divina formidanda manet.

81. ——П. Quomodo operetur. Metus quoque ultra virtutem suam tamquam causa impulsiva operari potest, dummodo aliunde vires suppeditentur. Sic, quamvis actus caritatis in metus virtute non contineatur, metu ad gratiam actus caritatis acceptandam homo moveri potest.

82. — IJ J. Reatus agentis ex metu. Qui ex metu gravi *male egerit,* minus peccat, graviter tamen, manente gravi obligatione quae ex metu posthabetur: atque etiam in (oro exteriore, plus minusve dignus venia censetur. Canone 2205, §§ 2 et 3, haec principia statuuntur: '(Metus... gravis, etiam relative tantum... plerumque delictum, si agatur de legibus mere ecclesiasticis, penitus tollunt. St vero actus sit intrinsece malus (1) aut vergat in contemptum fidei (2) vel ecclesiasticae auctoritatis (3), vel in animarum damnum (4), causae de quibus in § 2, delicii imputabilitatem minuunt quidem sed non auferunt . Semper autem agens excusabitur, si lex verbis « si praesumpserit vel similibus plenum voluntarium postulet (e. 2229, 2°).

Quare, attento metu, index poenam temperabit (canon 2218): et metus gravis a poenis latae sententiae excusabit, nisi tamen « delictum vergat in contemptum fidei aut ecclesiasticae auctoritatis vel in publicum animarum damnum » (2229, 3°).

83. — IV. Actus ex metu invalidi, lure saltem positivo, plures actus ex metu facti *invalidi* fiunt :

a) « Invalidum... est *matrimoniiini* initum ob vim vel metum gravem ab extrinseco et iniuste incassum, a quo ut quis se liberet, eligere cogatur matrimonium » (c. 1087 § 1°) ;

/>) ı Invalide ad *noviciatnin* admittuntur... qui religionem ingrediuntur vi. metu gravi... inducti, vel quos Superior eodem modo inductus recipit. » (c. 542. 1) ;

c) Ad validitatem ‹ *uiusvis professionis religiosae* requiritur ut... 4° Professio sine vi aut metu gravi... emittatur (c. 572 § 1) :

d) ‹ Votum metu gravi et iniusto emissum ipso iure nullum est. » (c. 1307 § 3) ;

(1) Puta blasphemiam (v. 2323).

(2) Si ad tldem irridendam iubcutur quis prandere vinum bibere, ei dein missam celebrare.

(3) SI sacerdos Jubeatur interdictum violare ad evacuandam aucto» ritalem episcopi.

(4) In quibuRdain adinnetis non licebit (uprre persecutionem ; si grex inde animum perderet

e) « Renuntiatio ox metu gravi iniusto incusso... irrita est ipso iure. » (c. 185). Agitur ibi do renuntiatione officii; atquo idem do beneficii renuntiatione valet.

84. — V. Quamvis valere dicantur per metum gravem extortum iurainentum et metu accepta ordinatio sacra, nihilo minus iurainentum « a Superiore ecclesiastico relaxari potest » (c. 1317) ; et qui, postquam ordinem sacrum metu gravi coactus recepit, ordinationem, remoto metu, ratam non habuerit, nullam coelibatus et horarum canonicarum obligationem contraxit, et obtinebit a iudice ut ad statum laicalem redigatur (c. 214, § 1).

Regula demum generalis haec statuitur : « Actus positi ex metu gravi et iniuste incusso... valent, nisi aliud *iure* caveatur ; sed possunt, ad normam c. 1684-1689, per iudicis sententiam rescindi, sive ad petitionem partis laesae, sive ex officio ». (c. 103, § 2).

N. B. De singulis casibus quibus actils propter metum gravem lege saltem positiva infirmantur, suo loco distinctius agetur.

III. *De vitandis « phobiis ».*

85. — Nomine « phobiarum » vulgo veniunt timores in se vani quibus non pauci hodie percelluntur et a variis actibus impediuntur. *Vani* autem sunt, quatenus ultra meritum causae vel etiam sine causa exsistunt. « Phobiae » istae in subiecto physice debiliore per occasionem cuiuspiam facti, casus, narrationis, quibus valde commotum fuerit nasci solent. Actu non raro invincibiles sunt, ac tunc a peccatis omissionis excusabunt. Prudens psychotherapia, quae plerumque non erit nimis directa aut violenta, ad illas auferendas, minuendas, aut saltem cohibendas ne peiores fiant, adhibenda est.

Verum magis utile erit sapienti educatione animum ab illis in antecessum immunem facere. Ideo parentes curabunt ut nullis fabulis pueri ad vanas formidines inducantur vel disponantur; ipsis libros aut spectacula prohibebunt quibus phantasia nimis excitetur ; immo ipsos ad quan-

dam moderatam audaciam provocabunt. Atque in propria nostra causa, prima initia nimii timoris fortiter ipsi impugnabimus, nihilque neglegemus ut mala praesentia potius parvipendamus, omnem « egoismum » seu nimiam proprii corporis, propriae utilitatis sollicitudinem deponamus, et robur animi nobis comparemus. Cf. quae de voluntatis institutione utiliter a pluribus scripta sunt.

Istud tamquam principium est tenendum : In manu nostra positum est ut iugum mali physici subeamus vel excutiamus. Si subeamus, erimus infelices, et saepe moraliter impotentes ; si excutiamus, erimus moraliter liberi atque intactam felicitatem servabimus.

In re quoque religiosa, si terrores quidam, veris tamen argumentis et non aliis incutiendi, utiles actu esse possunt, habitualis terror nocivus est. Timere quidem Deum iubemur, sed timore filiali qui componatur cum spiritu adoptionis filiorum, in quo clamamus « Abba » Pater. (Eom. 8, 15).

§ 5. — De dolo.

86. — T. Notio. Dolus non est quodlibet mendacium, sed dicit artes mendaces ad fallendum alterum adhibitas. Dolus per se gignit errorem : inde eius efficacia in voluntarium aestimanda est. Fit autem ut ultra conaturalem erroris vim, actus lege positiva infirmior fiat.

In iure *poenali* dolus est deliberata voluntas violandi legem (c. 2200) ; atque etiam in foro civili damna voluntate nocendi illata aestimantur a dolo profecta ; qui dolus sic distinguitur a simpliciter culpanda neglegentia.

Codex can., c. 103, § 2, de dolo idem quod de metu gravi et iniuste incusso statuit : actus ex dolo factos valere nisi aliud iure caveatur, sed actioni rescissoriae locum dare. Invalide tamen ad *noviciatum* admittuntur qui dolo inducti religionem ingrediuntur vel quos Superior eodem modo inductus recipit (c. 542, 1°) ; ad validitatem cuiuslibet *professionis religiosae* requiritur ut sine dolo emittatur (c. 572, § 1) ; renuntiatio officii vel beneficii, dolo facta, irrita est ipso iure (c. 185).

SUMMARIUM.

87. — I. Liberum arbitrium hominis est tinitum ; atque etiam intra fines suos, *impedimentis* supprimitur vol minuitur. *llominibus sanis,* de quibus primo dicimus, sunt impedimenta. communia et impedimenta accidentalia.

88. - II. Propter impedimenta *communia,* carent libertate : puer, dormiens, perfecte ebrius ; deminuta libertate, quae gloriosam efficit victoriam superantis tunc tentationem. sed peccando mortaliter non sufficit, utitur semi-vigil.

III. Quod ad *fines* quibus liberum arbitrium concluditur: deliberationem praevertunt motus concupiscentiae inferioris, et etiam ipsius voluntatis motus qui dicuntur primo-primi. Secundo-primi non dant locum nisi imperfectae deliberationi.

81). - IV. *Impedimenta accidentalia.* I. *Ignorantia,* seu. privatio scientiae, differt a simplici nescientia et ab actuali oblivione seu inadvertentia.

a) In subiecto distinguitur invincibilis et vincibilis, prout morali saltem diligentia depelli non potuerit vel potuerit. Vincibilis tribuitur vel neglegentiae, quae potest esse crassa, supina vel simplex, prout omissa est facilis occasio sciendi vel sola sufficiens diligentia ; vel directae voluntati : dicitur tunc affectata. Ignorari potest exsistentia vel sensus legis : ignorantia juris ; vel condicio applicationis : ignorantia facti.

Potest actum voluntatis antecedere vel sequi ; esse causa, removens prohibens, vel nullam causalitatem habere. Antecedens dicitur ignorantia quae simul est involuntaria et causa volendi : concomitans, quae non est causa volendi ; consequens, quae simul est vincibilis et causa volendi.

b) Invincibiliter ignorari possunt leges positivae, et etiam conclusiones non ita remotae legis naturalis, si paucas demas nimis vicinas primo principio : bonum esse faciendum, malum esse fugiendum.

Ipso habitus potest parere inadvertent]am : id tamen efficere non praesumitur.

c) Gravitas ignorantiae vincibilis ex conscio neglegentiae vel malae voluntatis gradu aestimatur. Qui culpandam gerit ignorantiam habitualem, peccat quotiens vult ignorare et. quotiens

se periculo erroris damnosi exponit. Peccatum vero opponitur vel speciali praecepto sciendi, vel speciem trahit ex transgressionibus quae praevidentur secuturae.

d) Ignorantia antecedens facit involuntarium ; concomitans, non voluntarium; consequens facit voluntarium in causa, non tamen in se. Affectata signum est magnae propensionis ad rem cuius causa aliquis vult, ignorare ; minuit tamen vel auget voluntarium pro motivo quo determinatur voluntas ignorandi. Notes affectatam etiam esse posse laudabilem, sicut omnis ignorantiae rationem. In genere ignorantia saltem minuit voluntarium.

e) Quod efficit in voluntarium efficit quoque in meritum vel demeritum.

/) Poenae canonicae, non item plerumque poenae civiles, propter ignorantiam iuris minuuntur vel etiam tolluntur. A nulla poena excusat ignorantia affectata; excusat omnis ignorantia non affectata si lex verba habet : praesumpserit, etc. vel similia ; simplex ignorantia, non autem crassa, excusat a poenis medicinalibus latae sententiae.

g) Quatenus voluntarietas ad valorem requiratur. eadem ratione ignorantia valori actus obstare poterit.

Λ) Dicta de ignorantia habituali valent quoque de inadvertentia.

90. — 2. *Concupiscentia,* seu motus appetitus sensibilis, est nobis simul et per se auxilio : per accidens autem impedimento

a) Est antecedens vel consequens, prout voluntatis actum praecedit aut sequitur. Consequens esse potest per meram résultaittiam vel per directam excitationem. Affectus sic excitatus minime est ficticius.

b) Concupiscentia deliberationem tollere potest. Per se tamen libertatem intactam esse sinit ; sed actus ei conformis esi minus voluntarius et liber si concupiscentia fuit antecedens. Consequens per resultantium est signum intensae voluntatis ; per directam autem voluntatem, auget voluntarium. Eadem ratione minuit vel auget meritum vel peccatum. Consentiendo tamen concupiscentiae resultanti, tunc augemus meritum vel peccatum.

Actus bonus contrarius concupiscentiae erit de se magis voluntarius et meritorius: sed is non est effectus ipsius concupiscentiae.

c) *Consuetudine* pariuntui obliviones et etiam propensiones quae moralem impossibilitatem. paulatim sanandam.creare possunt.

d) Propter praesentem infirmitatem, opus nobis est gratia medicinali ad superandas graves tontationes.

e) Passiva tolerantia motus sensibilis, non item indeliberati motus voluntatis, nequit in se esse peccatum grave. Manet tamen obligatio vitandi occasionem proximam quam ipsa concupiscentia tolerata adducere potest. Resistentia tentationibus interdum positiva, interdum negativa consulenda est. Semper commendetur quieta, non anxia.

91. — 3. *Coactio* est *motus cuius principium est extra, in contrarium renitente qui patitur.*

a) Voluntas cogi nequit ; cogi possunt facultates sensibiles et actus exteriores.

b) Distinguitur vis absoluta, quae officit involuntarium; et vis secundum quid, quae maiore resistentia quadantenus vinci possit.

c) Omissio resistentiae potest esse culpanda vel laudabilis. Absolute neganda est omnis participatio actionis intrinseco malae, nisi, cum agitur do bonis exterioribus, ipsa participationis malitia, propter primam destinationem bonorum, cessare possit. Λ resistentia inutili abstineri potest, dummodo scandalum et periculum consensus vitetur.

92. — 4. *a) Metus,* seu *mentis trepidatio ab apprehensione periculi* orta, omne voluntarium, perturbando rationem, tollere potest. Si vero ratio non perturbatur, distinguitur *gravis, levis,* idquo absoluto, vel relative ad personam quae timet. Motus *reverentialis* per se est levis, sed facile, propter adiuncta, in gravem convertitur.

b) Metus por se linquit sufficientem locum deliberationi, ita ut actus sit voluntarius et iuridice validus. Qui tamen absolute vel relative gravis fuerit, si per causam liberam sit incussus, — qui motus dicitur *ab extrinseco,* — praebet legi rationem cur actus plures reddantur nulli vel rescindi biles. Cf. cc. 185. 642. 572, § 1; 1087, § 1; 1307, § 3.

Iu se autem spectatus, actus factus ex motu est simpliciter et plerumque, non tamen semper, involuntarius secundum quid. Potest quoque motus, ut causa impulsive, ultra virtutem suam operari, si vires actui nobiliori praesto sint : ut cum actus caritatis metu imperatur.

c) Actus malus, metu positus, minuit peccatum, non ita tamen ut fiat ox mortali veniale. Minuit quoquo imputationem

canonicam ; immo, cum agitur de legibua mero ecclesiasticis, plerumque delictum tollit ;

d) Phobiae sedulo sanandae sunt ; melius autem sapienti institutione sunt praeveniendae.

98. — 5. a) *Dolus,* seu *artes mendaces ad alterum decipiendum adhibitae,* voluntarium impediunt, quatenus gignant errorem. Positiva logo canonica dolus assimilatur motui, et invalidât, ipso iure, professionem religiosam et renuntiationem officio vel beneficio.

b) In iuro poenali, dolus est deliberata voluntas violandi legem ; in foro civili, cum agitur de damnis sarciendis, dolus dicitur voluntas nocendi, ot distinguitur, ut causa damnorum, a neglegentia

CAPUT II.

Impedimenta liberi arbitrii in homine aegroto.

Ordo dicendi. — Pro fine nostro et praesentis operis ratione, satis erit ut, praemissa notione generali, singulos morbos, eommque vim in liborum arbitrium brevissime attingamus.

Duo erunt articuli istius capitis. In priore varias notiones trademus ; in altero, perpendemus molestos casus qui in re libidinosa occurrunt.

Articulus 1. — De variis animi morbis breves notiones (1).

94. — I. Quid morbi animi. De illis infirmitatibus hoc loco agimus quae liberum arbitrium permanenter vel transitorie tollunt aut minuunt, et dicuntur *morbi animi,* non quod ipse animus seu spirituales facultates in se aegrotae esse possint, sed quia, propter male affecta centra cerebri et potentias sensitivas, praesertim phantasiam, quibus utuntur, subiective in actione sua impeditae sunt. Immo, praeter pravos eius habitus, qui libertatem non tollunt,

(1) De isto argumento utiliter adeuntur tractatus quidam speciales, quales scribunt R. P. Gemelli, O. M in Italia, prof. Xavier Francotte, in Belgio. Cfr. quoque L. Boole S. I. */letporuabilitS normale et pathologique.* Revue des Questions scientifiques, 1908. - *Let quetliont de respontabillle,* Nouvelle Revue theolooique, t. 42 (1910), p. 1 et as.

voluntas non aliter atque impedito intellectu impeditur. « In quantum ratio manet libera et passioni non subiecta. in tantum voluntatis motus qui manet, non ex necessitate tendit ad hoc ad quod passio inclinat ». Sic iam accurate scribebat S. Th. 1. 2. q. 10 art. 1.

II. Divisio. Morbi isti dicuntur *organici,* quando laesio quaedam in materiali organo deprehenditur ; *junctionalem* vero, quae corpus vere vel apparenter intactum esse sinunt.

Ad duplicem formam genericam reduci possunt, cum aliae magis directe facultates superiores afficere videantur, aliab potius indirecte, quatenus impetu virium inferiorum eas imperiose trahi dixeris. Non trahuntur autem nisi quia subiectivo impedimento facultates superiores debiliores factae sunt, ita ut vires inferiores iam cohibere nequeant. Quare unius tandem generis sunt varii isti morbi. De plerisque haec pauca tradamus.

95. — Phrenetici falsa proferunt indicia quae radicitus insanabilia sunt, quia perpetuis vel temporariis alucinationibus decipiuntur, aut saltem perturbatas habent consociationes phantasticas, ita ut eorum vita psychica vitae somniantium aequiperari possit. In ipso delirio, etiam si uno argumento (monomania) circumscriptum videatur, liberi non sunt. Per deliriorum intervalla, nihil *per se* libertati officit.

!M›. — Dementes laborant quadam saepe crescente mentis imbecillitate et hebetudine. Sive sint « idiotae ›. sive senio vel infirmitate exhaustae sint vires, magis perpetua liberi arbitrii privatione laborant.

91.— Obsessio mentem ita occupat ut obsessus quibusdam rebus cogitandis aut faciendis astringatur. Ac indicium practicum satis turbat, ut levi tantum culpae locum esse sinat, λ erum, praeter obsessiones perpetuas, aliae in quibusdam tantum adiunctis gignuntur. Quare, extra statum obsessionis, possunt infirmi libere violare praeceptum de fugiendis occasionibus morbidae excitationis ad inhonesta patra nda.

Cum agitur de obiecto ad quod non est inclinatio natur.il·.->. potest infirmus repetitis actibus ipsa obsessione postulatis, hanc quasi fatigare, exhaurire, ita ut morbida anxietas tollatur et sic agens obsessione liberetur. Sed simul per repetitos actus augetur propensio si qua per se ex obiecto nascatur. Quare methodus ista adhiberi non potest in re sexuali, ut ipsi monent medici Pit r es et Re g is (1).

98. — Huc referuntur impulsus qui dicuntur invincibiles; et tales in statu morbido esse possunt : sive actum obtineant immediatum et non deliberatum, sive actus post frustraneam resistentiam eliciatur. Supponunt personam passivae inductionis peculiariter capacem, seu » suggestibilem ». Ximia ista docilitas pendet ad abnormi intensitate (« développement ») cuiuspiam phantasmatis : si istud est actionis faciendae vel motus, impulsum inexsuperabilem facile gignet.

Laudati medici Pit r es et Re g is distinguunt : Impulsionem *motriccm,* mere mechanicam, quae saepe est sine affectu, ut v. g. apud idiotam ; – impulsionem *psycho-motricem,* quam comitatur distinctior rei perceptio et fortior commotio appetitus ; - impulsionem *psychicam :* tunc actus non lit semper aut necessario ; iu potestate agentis est ut impulsui resistat.

Itaque non facile dignoscitur utrum necne fuerint impulsus irresistibiles. Tales aestimandi sunt, quando actio naturali concupiscentia explicari nequit. Invincibilis quoque impulsus adesse videtur, si, post actionem malam, animus quietus et contentus manserit. Sed longe magis incerta res est, quando propensio ad ea fertur ad quae sani quoque homines proclivi sunt.

99. — Aboulia voluntatem efficit impotentem ad volendum vel ad efficaciter imperandum : sive otiosa maneat, sive, quasi invit a, contra iudieia practica sua. quaedam quaerere vel fugere cogatur. Qui priore infirmitatis ratione

(1) *Lu Obtuùoiw ei lu Impulsion**. Pari*. 1902.

(95-99.J

est affectus saepe a pluribus officiis positivis excusatur. De altera redeunt dicta de impulsibus caecis vel invincibilibus.

100. — Epilepsia, non ea quae consuetis phaenomenis morbi comitialis proditur, sed quoe larvata seu recondita vocatur, ad varia mira, turpia, atrocia patranda impellit. Liquet agitationem epilepticam, vel hystericam cum gravi reatu componi non posse. Sed extra furorum tempora, mens fit sana.

101. — In hypnotico statu, quatenus quis vere imperio alieno agitur potius quam ipse agit, libertas quoque tollitur. Statu isto artificiosa docilitas ad credenda, ad sentienda, ad agenda quae alius esse affirmat vel fieri iubet, in idoneas personas inducitur.

Ac saepe permanet nimia ista dependentia ab altero. Hnec tamen vitari potest suggestione libertatis seu independentiae, in finali imperio superaddita. Fit quoque moderata suggestio conformis ipsi utili optato personae aegrotae, quae, hac ratione, velit a quibusdam propensionibus minus bonis sanari vel fortiorem voluntatem acquirere (1).

102. — Neurasthenic! satis facile excusari possunt, quando cedunt taedio cuipiam quo, tamquam nimium onus, praecepta quaedam positiva, praesertim si mere ecclesiastica sint, neglegunt. *Per se* tamen peccare iudicandi sunt si, prae tristitia, quaerant turpes delectationes ad quas morbus ipse non impellit.

N.B. De *scrupulosis* infra, ubi de conscientia.

Articulus II. — De molestis casibus qui in re libidinosa occurrunt.

103. — Prior casus. 1. Personae quaedam, in quibus nec pietas nec studium virtutis desiderantur, interdiu omni prava actione satis facile abstinent ; verum noctu,

(1) Cura novae viae explicationis tententur, haeo interea circumspecte proferimus.

postquam se in lectura receperunt, pravae consuetudini indulgere videntur. Non statim enim, sed post longam moram somno comprehendi consueverunt ; vel certe, post aliquot horas, somno solutae, vigilias nocturnas experiuntur. Per partes autem noctis quas insomnes ducunt impuris phantasmatibus vexantur, nervosas excitationes sentiunt, donec pollutionem masturbatione adduxerint. Varia ceterum est istorum actuum frequentia, cum alii bis in mense, alii vero fere singulis noctibus, immo pluries eadem nocte se inquinent. Si qui actum exteriorem malum non fecerint, ii, ex ipsa actus omissione demonstrantur immunes a peccato mortali, quamvis tentationem completam experti sint in qua videantur sibi habuisse complacentiam.

Procurata pollutione, alii statim dolent et paenitentiarn agunt, dum alii animo tranquillo manent.

Se reos alii sponte sua fatentur ; alii, contra, existimant· se, quamvis vigiles, mente perturbata vix uti posse, atque in condicione insolita versari. Metu tamen peccati non sunt levati, ac se de re dubitare neque eam dirimere velle facile protestantur. Pravi adulescentiae usus plerumque in causa culpandi sunt. Fit tamen quoque ut post insontem juventutem, vitium istud ab aetate virili initium capiat.

De iusta causae aestimatione, de prudenti ratione agendi, quid dicemus ?

a) Confessario in primis inquirendum est, utrum haec vere vigiles patrarint, an semisomnes et in condicione fere somnambula. Si quaedam alucinatio vel deceptio cernatur ; si absurdus quidam error (v. gr. se nunc his rebus sine peccato indulgere posse) vel mirae rationes imperfectam vigiliam demonstrent, personae istac sine ambagibus a gravi reatu immunes judicandae sunt. Atque, in dubio, ii quibus praesumptio favet potius excusandi sunt.

Iis vero qui exporgef icti talia exercent, quaedam suffragantur, quaedam contraria sunt. Suffragantur pura diurnae vitae ratio, optimus voluntatis habitus atque ea quam dixeris orationis inefficaciam, si ante decubitum et in ipsa

tentât ione preces fuderint. Contra tamen faciunt status vigiliae et ipsa pugna e qua victi discesserunt. Agitur enim de personis etiam sanis. Ipsa diurna puritas nonne ex parte explicatur quia propter nocturnam satisfactionem appetitus factus est remissior ? In lecto dein calor, commodior situs, carnem stimulant ; phantasia autem, diurnis euris soluta, tentationibus magis palet. Bona ceterum voluntas, preces diu sine manifesta ut ilitate fusae, observantur quoque apud eos qui in die peccare solent, inter quos etiam non nulli dicent se. dum tentatione premuntur, diversimode esse affectos, nec sibi mortale videri peccatum prorsus externum, immo cum complice patratum. Etenim minor nobis est aversio ab inordinatione quae sine aliena iniuria admittitur ; atque in aestu concupiscentiae corpus et indoles peculiariter afficiuntur et paene mutantur. Et cum in omnibus magna propensio ad tales actus per se insit, ineluctabilem perversi instinctus vim hic appellare non possumus.

Quocirca, haec erit conclusio nostra. Tales in universum et per se excusari non possunt : quod homo vigil fecerit, compos sui fecisse praesumendus est. Minoris tamen culpae indicia haberi poterunt : indoles quae aliunde appareat male temperata vel hysterica ; velocitas qua actio cogitationi successit; magna ab initio perturbatio animi, quae exiguum deliberandi spatium vel copiam esse sinat ; magnae diurnae tentationes, quae strenue superatae fuerint.

luvabit quoque eos interrogare qua egerint conscientia, qua morali reflexione, qua liberi arbitrii persuasione : persuasionem dico spontaneam et quasi immediatam, non autem longiore ratiocinio vel alieno consilio comparatam. Reatus enim aberit ab eo quem conscientia sponte sua absoiverit

Copia certi iudicii non ita raro deerit. Sed cum moralitas actus facti tota pendeat a subiectivo consensu, nec proin nostra opinione afficiatur, nullus hic locus est probabilismi, et simili obligatione proximam certi et dubii consensus occasionem fugere debemus.

Prudens agendi ratio. Sedulo confessarius curare debet ut personae istae a nimia securitate simul et ab animi abiectione protegantur : qui se culpa vacuum putat et qui animum despondet, ambo contra consuetudinem niti desinunt. Quare confessarius neque severus sit in absolvendis huiusmodi recidivis : difficultas resistentiae et generalis eorum bona voluntas eos saltem dignos reddunt ut magna benignitate et misericordia tractentur, et multa patientia in valida pugna confirmentur; neque illos inducet ut se innocentes indicent. Persuasio enim ista saepe sufficienti argumento destituitur, confidentia autem vim concupiscentiae augere et ad actus magis magisque temerarios impellere solet. A frequenti, immo cotidiana communione vel a sacri celebratione confessarius ipsos non avocabit : *regulariter* tamen non permittet ut sine sacramentali confessione sacris operentur vel eucharistica dape refici ntur. Praeter enim sacrameutalis gratiae virtutem, frequens rei detestatio et renovatio propositi, in optimis mediis sunt emendationis ; atque ipsum incommodum adeundi confessarium animum a spontanea propensione avocare potest. Quod tamen superest dubii in ipso reatu diiudicando, sinit ut facilius adesse existimes inopiam confessarii quae accessum ad s. communionem, praeposito solo contritionis actu, excuset. Patet autem illos graviter corripiendos esse qui interdiu legendis rebus lascivis, turpibus colloquiis, delectatione morosa serotinas excitationes quasi praeparent. Nec iam leve detrimentum parit, si legendo, imaginando, recogitando, praesertim vespere, foveantur affectus molles et teneri, quamvis non stricte turpes. Haec igitur confessarius et rescire et resecare studeat. Valde praeterea proderit, ut personae istae voluntatem ad robur et magnitudinem animi omni modo exerceant. Saepe, vespere praesertim, expressum et serium propositum cum oratione coniungant ; firmam cuiuslibet propositi exsecutionem sibi procurent; nec in deliberando diu ancipites haereant. Scriptores legant, socios frequentent qui firmi sint animi. Sale quodam mortificationis cotidianos actus condiant, ut sic corpus ad oboedientiam, voluntas autem

ad imperium exerceantur. Nec physica media neglegenda sunt: abstinentia cibi et potus quibus vis concitatrix inest; usus lecti durioris, temperata quaedam corporis defatigatio ; occupatio mentalis (vespere tamen post cenam, ab intenso labore dehortandi sunt, sicut ab omni nimia lassitudine vel animi anxietate) ; immo certae medicinae *(lupulin, bromures, hydrothérapie, suggestion).* Quare, si fieri potest, utile valde erit ut probus et peritus medicus simul cum confessario operam in curationem conferat.

Facilius, ut patet, excusandus est nervosus quidam motus (puta artiorem crurium coniunctionem, corporis rigiditatem) qui, in media excitatione, ipsis nervis vel brevi animi distractione explicari potest, quam actus exteriores qui vel gressum aut manuum contrectationem exigunt : ut si solida corpora amplecti studeant, proprie dictam masturbationem fecerint.

104. — Alter casus. Sunt qui, post intervalla, diu quasi physica necessitate ad veneream voluptatem impelluntur. Dixeris ipsos hac satisfactione veluti egere. Continua invitatione premuntur, donec post pugnam, per phires interdum protractam dies, peccaminoso actu paci et quieti restituantur.

Hoc hominum genus saepe morbo nervoso et hysterico affectum est. Nec raro talia experiuntur mulieres ea aetate qua steriles fieri solent *(ménopause).*

Non omnes tamen in statu morbido versantur. Sed omnes maxima misericordia digni sunt. Atque evenire quidem potest ut, post diuturnum certamen, animo quasi impotentes facti sint ; et ad horam insanientes rem malam perfecerint. Sed, excluso hoc casu, seu per se, libero arbitrio destitui non videntur. Confessarius igitur sit benignus et comis ; cos bono animo esse iubeat ; curet ut morales et physicas medicinas adhibeant, nec frequentem absolutionem deneget.

N. B. – Qui huiusmodi propensiones experiuntur a religione ingredienda et maxime a statu sacerdotali postulando dehortandi sunt. Immo, ubi culpa certa et satis

frequens esse videatur, *per se* positive vetandi sunt ne sacerdotium capessant, cum ad debitae castitatis officia explenda non sat proximam aptitudinem habeant.

105. — Generalis observatio. Plures sunt casus quos prudens confessarius divino iudicio committere debebit, id simul procurando, ut animis vires addat et ab omnibus maximam quae sperari potest resistentiam obtineat. Cum medicis quidem imminutam ex pravis consuetudinibus, ex animi propensionibus et morbis culpam admittet, non ita tamen ut omnes aegrotos a gravi reatu immunes temerarie pronuntiet. Atque illud, saltem personis sanis, fortiter inculcabit, nullam esse consuetudinem quin constanti voluntate superari queat. Cf. de eodem argumento Noldin, *Principia,* n. 61. 62 et allegatas ab ipso auctoritates.

106. — Discrimen utriusque fori. In qua re observandum quoque est quid inter forum poenale civile et forum conscientiae intersit. Belgicae leges, v. g. inter *delicti* condiciones requirunt, ut ab homine qui *integrae* mentis sint committatur. Quare, cum nullus integrae mentis sit qui definito morbo psychologico laboret, quotquot habituali morbo affecti sunt *ab omni* delicto excusari consueverunt. Sit v. g. homo delirio insectationis *{délire de la persécution)* affectus: in foro poenali abibit immunis, etiamsi eo modo deliquerit qui nihil cum subiectivo suo errore commune habeat. Quamquam recens de alia ratione disputari coeptum est qua societas a noxiis hominibus quos damnaro renuit efficaciter protegatur.

SUMMARIUM.

107. — I. Psychologica libertas tollitur vel minuitur variis morbis, qui dicuntur *morbi animi,* quia, propter male affecta centra cerebri vel potentias sensitivas, superiores facultates in actione sua impediuntur.

Organici morbi in laesione materiali organi deprehenduntur, dum nulla apparet laesio quae prodat morbos *functionales.*

Morborum genera sunt *apparenter duo,* oum alii directa debilitate virium superiorum, alii impetu inferiorum manifestentur. Sed ipse impetus tantus est quia debilitatis facultatibus superioribus non cohibetur ; ita ut unum revera sit morborum genus.

II. *Phrenetici* alucinationibus decipiuntur. Quare in omni delirio, etiam si videatur partialis (monomania), omni libertate carent. *Dementes* insanabili imbecillitate et hebetudine montis usu liberi arbitrii privantur. Invincibile esse potest imperium *obsessionum* et *impulsuum*. Non facile tamen invincibiles pronuntiandi sunt impulsus qui cum naturali concupiscentia conspirant ; et occasiones interdum libero vitari possunt et debent. *Aboulia* a cortis officiis positivis implendis excusare potest. Nec cum agitatione *epileptica,* etiam larvata, libertas componitur; nec cum vero *hypnotico* statu (de quo novae fiunt investigationes). Satis facile excusari quoquo possunt *neurasthenici,* cum propter *taedium* quaedam officia neglegunt.

III. Occurrunt quoquo molesti casus personarum quae, genoratim bono affectae, vol noctu patrant inhonesta, vol post corta intervalla diuturnum sentiunt impulsum ad vonoream satisfactionem donoc oi concesserint. Prudenter confessarius agere debet, ita ut nec desperatione nec falsa securitate aegroti in peius ruant. Conotur quam maximam obtinere resistentiam. Plura autem divino iudicio committere debebit.

Moralis autem excusatio propter morbidas difficultates saepe non est nisi partialis, dum in foro extorno, eaedem excusationes non raro penitus a poenis male affectos liberant.

TITULUS IV.

De actu hu ano qua morali.

Utilitas istius tituli, cum sit de cognoscenda re quae adeo nostra est ut ab ea disciplina nostra nomen trahat, demonstranda non est. Faciendae considerationes sunt vore essentiales.

Tituli distributio in partes. Tria magni momenti successive agere debemus : 1. Accurata moralitatis notio tradenda est. – 2. Quam late pateat moralitas investigandum est. – 3. Fontes moralitatis cum sua cuiusque propria vi indicandi sunt.

CAPUT I.

Quid et quotuplex sit II oralitas.

108. — I. Vis vocis, attento agente. *Moralitas* immediate designat illam proprietatem actus libere facti secundum normam « activitatis » humanae, qua aptus est ad inchoandam vel confirmandam consuetudinem agendi quae homine digna est seu ipsi convenit. Consuetus enim modus libere agendi proprie *moris* nomine appellatur. Et quamvis perversi quoque actus habitudinem inducere possint, mos tamen ille accidentalis dici potest, quia innaturalis et violentus, fere sicut in ordine logico accidentalis dicitur et precaria certitudo subiectiva intellectus errantis. Ceterum, quid prius dicatur morale et quaenam sit essentia moralitatis non convenit inter doctores.

Norma actioni humanae praeposita, ratione cognoscitur, unde moralis dicitur sub alio respectu actio quae *fit secundum ordinem rationis*. Normam autem sumimus qualis exstat homini sicut nunc est, elevato et redempto, i. e. subiecto theologiae moralis.

É09. — II. Quotuplcx sit moraliias. 1. Quamvis autem actio moraliter bona et moraliter mala esse queat, proprie actio bona, est sola actio moralis. Nec duplex *genus* moralitatis admittendum est, cum moralitas mala, qua talis, per privationem a bona distinguatur. Consonat usus vulgaris, qui *immoralem* vocat actum malum, hominem male moratum.

2. Moralitas *formaliter* est *subiectiva,* seu actibus inest; *denominative* praedicatur de obiectis. Inde, affini sed non eadem significatione, moralitas *objective* seu *materialis* ea est quae obiectum lato sensu sumptum afficit in se, non considerata persuasione agentis ; *subiectiva* vero ea est quae ex persuasione agentis exoritur. Sic abortus voluntarius

est moralitatis obiective malae, subjective tamen bonae in pluribus qui bona fide illum ut honestum vel adeo praeceptum in certis adiunctis aestimabant.

3. Moralitas *intrinseca* inest actui genere suo vel natura sua ; *extrinseca* aliunde accedit, utputa ex praecepto Superioris.

SUMMARIUM.

Proprie moralis non est actus humanus, nisi qui homine dignus sit et ordini rationis consentaneus. Duplex tamen distinguitur moralitas : bona et mala ; sed ex mala moralitato actus dicitur *immoratis*. Moralitas est formaliter subiectiva ; denominative tamen habetur quoquo moralitas obiectiva, quae intrinseca seu essentialis est ; et extrinseca seu aliunde atque ex natura manare potest.

CAPUT II.

Quam late pateat moralitas.

110. — Nullus actus humanus moraliter indifferens. Quamvis, quod ad *genus* operis, plures actus nihil contineant quod ad ordinem rationis pertineat et proin sint indifferentes, nullus tamen actus deliberatus *in individuo,* seu ut ponitur, moraliter indifferens esse potest. Ordinate enim vel inordinate a ratione procedit : si ordinate, moraliter bonus erit ; si inordinate, erit malus. Cf. S. Tu., 1, 2, q. 19 art. 9. Si nulla autem attentio ad ordinem moralem fuerit, actus non erit moralis ; sed, nostra sententia, tunc nec humanus erit seu liber.

Suntne autem actus boni qui supernaturaliter indifferentes sint ; id infra, ubi de merito, dicetur.

111. — 1. Actos externus, sicut denominative est humanus et liber, sic *denominative* est *moralis*. Et talis est a voluntate qua fit et sustinetur. Additne autem quidpiam actus externus ad moralitatem actus interioris voluntatis unde pendet, seu qui ad eum terminatur ? Id non leviter inter Scotistas et Thomistes disputatur ; sic autem sol-

vendum nobis videtur. Quia actus externus non est moralis nisi ex voluntate qua informatur, nihil in se habet qua *externus,* unde formaliter quidpiam ad moralitatem conferat (1). Praebet tamen materiam informandam actu voluntatis ; atque, ut ipse actus externus sequatur, opus est perseverante ac proin magis intenso actu voluntatis. Unde, propter actum externum habetur moralitas magis extensa et intensa. Quare actus externus *materialiter* et *specifieative* ad moralitem actus interioris addit.

2. Et si quaesieris utrum actio efficaciter proposita sed impedita et actio exsecutione completa eiusdem sint valons in eodem subiecto morali, id, stricte loquendo, negandum est. Ipsa enim voluntas, dum propositum exsequitur, in variis imperiis durat, repetitur, perficitur. Alia est in fine actus atque erat initio. Quare actus externus moralitatem quam ex voluntate possidet· ad interiorem propositi actum addit ; nec plene probare possumus quae habet Noldin, *Prine.,* n. 78. 79, quatenus videtur ibi aequiperare actum.externa actione completum et actum internum, si omissio sit involuntaria. Sane nihil de actu interne imperante detrahitur ; sed desideratur actus externus informans interiorem.

Sic homo est ab anima ; aliud tamen est anima separata, aliud homo.

Verum siquidem est, in actionem *quae fit,* meritum ex intentione derivari, sed intentio stricte non supplet actionem *quae non fit* (2). Praeterea saepe accedens meritum boni exempli proprium est actus exterioris.

Hactenus do actibus qui in virtute unius propositi includi possunt. Sed unum propositum, una voluntas ad plura non valet. Sic efficaci desiderio ducendi vitam missionarii, religiosi, longa series actionum difficilium et sacrificiorum profecto imperari nequit : vis haec angelica foret, non humana. Ne ergo aestimemus merita talis vitae nobis competere ex quo eam amplecti vere pa-

(1) Cf. S. Thom, ia 1. 2. *dent.* d. 40, q. 1 art. 3.

(2) Dici possit : intentio definit actionem quae fit : actionem vero quae non tit non supplet.

rati eramus ; sed ipsam facultatem exsequendi bona quae proponebamus tamquam novam divinam gratiam magni faciamus.

3. Multo minus actibus aequiperabimus desideria *incfficacia,* qualia saepe in *formulis oblationum,* consecrationum exhibentur : vellem ubique scandala reparare, omnibus missis interesse. In his protestationibus, valor inest boni affectus qui pro varia intensitate aestimandus erit. Perinde dicas de pluribus piis sed arbitrariis pactionibus quae interdum commendantur : quotiescumque pectus meum tetigero, intendo affectum amoris exprimere. Intentio illa nihil operatur in tactibus qui ad eam virtualiter referri nequeunt.

4. Denique pia voluntas efficaciam ex *opere operato,* quae sacramentis et etiam aliquo modo martyrio competit nullatenus supplere potest.

112. — Actus qui, attenta voluntatis dispositione, fieret sed non est factus nullam moralitatem sive bonam sive malam subiecto confert. Ex praesenti non ex interpretativa voluntate diiudicandi sumus.

SUMMARIUM.

Moralis est actus *internus* et etiam *externus.* Is formaliter nihil moralitatis influit ; materialiter tamen producit moralitatem magis extensam et intensam. Quare, intentione etiam efficaci, multo minus inefficaci et formulis oblationum, actio externa vel effectus ex opere operato suppleri potest.

Nullam autem moralitatem confert actus qui fieret.

CAPUT III.

Undenam moralitas aestimetur seu De Fontibus moralitatis.

113. — Principium. Cum volendo bonum vel malum, et non aliter, ipsa voluntas fiat bona vel mala, valet quoque in ordine morali istud : *Actus specifleatur ab obiecto.* Unus itaque dici potest fons moralitatis, seu id unde moralis

qualitas actus dignoscatur. Verum tunc obiectum sumitur plena sua significatione : est quidquid per intellectum voluntati proponitur, seu obicitur amplectendum aut fugiendum. Hac significatione complectitur *finem, obiectum* strictius sumptum, et *circumstantias* quibus obiectum vel actus vestitur. Atque tres fontes moralitatis distingui consueverunt, de quibus iam singulatim dicendum est.

Nihil magis terminat voluntatem quam finis seu bonum propter quod voluntas agit. Quare finis est principalis fons moralitatis. Quia tamen obiectum, etiam si ut medium eligitur, confert immediatam moralitatem a qua praescindi nequit, — ita ut si mala sit, ipsam impediat moralitatem quam actio ex fine bono mutuaretur, — et quia obiecto inest per se ratio finis intrinseci, ideo, cum S. Thoma, prius dicemus de obiecto, dein de fine, tum de circumstantiis.

§ 1. — De obiecto strictius sumpto.

114. — I. Notio. Obiectum presse sumptum dicitur id quod quasi materia suae actionis voluntati praesentatur. Spectatur autem a nobis non *ontologice* seu secundum esse suum physicum, sed *moraliter,* seu prout a voluntate cum advertentia ad normam honestatis attingitur. Sic fit morale, sic moralitatem in actum inducit. Cf. Sertellanges, O. Pr. *La philosophie morale de S. Thomas,* c. 3, n. 1.

Bonum dicitur obiectum quod honestatis regulae consentaneum est ; *malum* vero, quod ab eadem regula discordat ; *indifferens,* quod neutro modo se habet.

Bonitas vel malitia est *intrinseca,* quae ex ipsa rei natura atque ordinis exigentia oritur ; *extrinseca,* quam lex positiva confert. Ordo cui actio ex ipsa natura repugnat divinae potestati subesse potest, si habetur ordo superior cui derogatio priori ordini utilis esse possit ; vel idem ordo est absolute indispensabilis : quo casu, malitia strictius intrinseca denominatur. Ratio discriminis ex dominio quod Deus in res creatas exercet repetenda est. Sic sanctitati divinae non repugnat ut Deus, in aliquo casu, fornicationem

permittat vel iubeat, eam ad ordinem superiorem referendo (1) ; repugnat autem ut umquam blasphemandi aut mentiendi copiam faciat.

115. — Efficacia obiecti in moraiitatem actus. Quia actus sunt immediate propter obiectum, etiam de obiecto stricte dicto valet istud : *Actus specifleantur ab obiecto* ; atque obiectum dicitur primam et essentialem moraiitatem actui tribuere. Quod tamen ita intellegendum est : *a)* ut obiectum sumatur non materialiter, sed formaliter, cum illa sua relatione ad ordinem rationis seu ad honestatis regulam quae apprehenditur et animadvertitur ; *b)* ut obiectum qua tale ametur. Si enim non amatur, i. e. si finalitas intrinseca neglegitur, non declinabitur quidem mala obiecti moralitas ; sed moralitas bona non participabitur, quia bonum est ex integra causa.

§ 2. — De fine.

116. — Notio ct divisiones. Primo voluntati praesentatur *finis* ; est enim id propter quod aliquid fit. Rationem autem agendi habere, proprium est entis rationalis. Quare finis dicitur primus in intentione ; nihil magis voluntarium est, ac proin nihil magis morale.

Finis distinguitur *operis,* seu *internus, intrinsecus,* ad quem opus per se, seu natura sua in morali existimatione tendit, ut v. g. levamen indigentiae est internus finis eleemosynae ; et *operantis,* seu *externus, extrinsecus,* quem, eundem vel diversum, sibi operans praestituit, ut si eleemosynam offerat in suffragium pro animabus purgatorii.

Proximus est qui immediate, seu nullo alio mediante intenditur; *remotus,* qui mediante alio fine intenditur. Operarius parcius vivit ut servatis pecuniis paulatim copiam habeat acquirendae domus: asservatio pecuniae est eius finis proximus; comparatio domus est eius finis remotus.

Intermedius est qui, sive proximus sive remotus,

(1) S. THOM. 2, 2. q. 154 art. 2, ad. 4.

propter ulteriorem tamen intenditur. Sic, in allato exemplo, si operarius ideo illam domum vult ut honeste nubere possit, asservatio pecuniae et emptio domus sunt fines intermedii. *Ultimus,* contra, est qui ad alium non refertur ; *simpliciter* ultimus est, qui, nec in eadem nec in alia actionum serie, ad alterum finem ordinatur ; ultimus *secundum quid,* qui seriem aliquam concludit, rationem tamen medii servat pro alio fine. Sic scientia terminat multa studia : si propter se quaesita est, dicitur finis simpliciter ultimus ; si propter annexa praemia, honores, erit finis ultimus secundum quid. *Positive* demum *ultimus* ulteriorem finem excludit : *negative ultimus* ad ulteriorem finem non refertur quidem, hunc tamen non excludit. Sic in homine iusto, bonum peccato veniali quaesitum est finis simpliciter sed negative ultimus istius actus inordinati. Satisfactio mortaliter mala est finis simpliciter et positive ultimus peccantis.

Finis *totalis,* ad agendum movet solus ; *partialis* simul cum alio concurrit : sive ambo fines aequaliter moveant et dicantur aeque principales ; sive unus sit primarius, qui primas partes habet et solus ad actum sufficiat, et alter *secundarius,* qui dependenter a primo ad actionem movet, ut haec facilius, promptius, perfectius, fiat : is dicitur *impellens* seu causa impulsiva. Sic pio sacerdoti stipendium non erit nisi secundarius finis celebrationis ; minus pio, honesto tamen, qui sine stipendio non celebraret, fit finis primarius, non tamen unicus, cum ambo sacerdotes velint simul actum religionis exercere.

Finis ipse potest esse boni honesti seu *bonus,* vel boni delectabilis : sive delectationis coniunotae cum operatione mala, et tunc est *malus* ; sive delectationis coniunotae cum operatione bona et tunc est *bonus,* si simul operatio *qua honesta* intenditur. Si autem explicite non cogitatur nisi delectatio, tunc disputatur utrum finis iste *indifferens* dicendus sit an malus. Omissa hic disputatione, haec est brevis conclusio nostra.

117. — De actione facta propter delectationem. 1. *Delectatio* describitur *fruitio appetitus ex bono possesso;* et

maxime, fruitio sensibilis, dum delectatio quae rationem consequitur, potius *gaudii* nomine compellatur.

2. Solutioni quaestionis praenotandum est, duplicem in homine admittendam esse bonam voluntatem : voluntatem non transgrediendi ordinem rationis seu legem Dei, et voluntatem positive istius ordinis seu legis studiosam. Haec voluntas est melior ; ista tamen est iam bona, quia amat obiectum tamquam tale cui ratio vel Deus non contradicat, seu quia voluntariam continet repudiationem mali moralis: voluntaria autem omissio aequiperatur actui; et voluntaria omissio mali est quasi actus continens approbationem ordinis moralis.

3. Iam vero, ratio detegit hanc dispositionem divinae Providentiae qua delectationes cum operationibus utilibus coniunxit ut homines ad istas allicerentur. Inde percipit non esse contra ordinem rationis ut illi invitationi cedat, dummodo teneat modum temperantiae.

Observat praeterea esse homini, in praesenti vita, positive bonum ut moderate delectetur, immo id quandoque esse necessarium ut animus recreetur et ad nobiliora studia etiam virtutum valeat (1).

4. Hinc iam conscio modo homo tripliciter propter delectationem agere potest ;

a) Amando et quaerendo delectationem ut subsidium utile et paene necessarium virtuosae actionis : tunc voluntas positive est ipsius honestatis studiosa ; non agit mere propter delectationem ; et ab omnibus praedicatur bona seu honesta ;

b) Delectationem quam prius ut licitam apprehendit, simpliciter qua delectationem non malam quaerendo et amplectendo. Tunc se sistit in delectatione tamquam in

(1) Immo, in 2, 2, q. 35 art. 4, ad 2, S. Thomas refert ut dictum ab Aristotele: « Nullus diu absque delectatione potest manere cum tristitia».

In loco tamen citato *Ethic. Nicomachacorum* i. c. 1. ὁ, c. 6, Philosophus, loquens de amicitia, haec sola directo habet: Non diu ferunt quod triste est: nemo autem sufferret continuum triste, ne quidem bonum, si ipsi tri te foret: *το fié λυπηρόν όλίγον μέν χρόνον φέρουσιν, ούνεχ& 6' ούθεϊζ αν ύπομείναι* οὐὸ'αὐτὸ τὸ *αγαθόν, εἴ λυπηρόν αύτω ειη.*

fine negative ultimo, non quidem subiecti, sed talis actionis. Tunc agit propter solam delectationem, quatenus sola delectatio ipsam movet ; eum tamen non movet ut pura delectatio sed ut delectatio non mala seu cui ratio vel Deus non contradicit. Atque haec voluntas est positive bona, quatenus continet repudiationem obieeti mali et intemperantiae, seu excessus in modo ;

c) Sistendo in delectatione ut in fine simpliciter et positive ultimo, cum virtuali contemptu ordinis divini : « sive sit vetita sive non, volo hanc delectationem » : haec ratio agendi propter solam delectationem est sola peccaminosa ;

d) Si, in agendo, ad convenientiam delectationis cum ordine rationis non attendatur, tunc utique finis intrinsecus dici poterit indifferens ; sed potius dicendum est actionem, ex ista parte, non esse humanam et liberam.

Conclusioni nostrae opponi nequit haec ratio, quod Deus fecerit delectationem propter operationem, ac proin delectatio a nobis propter operationem sit quaerenda. Nihil enim nos obligat ut eadem qua legislator intentione agamus : finis legis non cadit sub legem.

Frustra quoquo allegarentur ambae propositiones damnatae ab Innocentio XI, n. 8 ot 9 : « Comedere et bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum, modo non obsit valetudini, quia licite potest (quis) appetitus naturalis suis actibus frui ». « Opus coniugii ob solam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa ac defectu veniali ». Frustra, inquam, allegarentur, tum quia propositiones istae damnatae sunt ut iaceut « ut minimum tamquam scandalosao ot in praxi perniciosae », ot sic prolatae sententiae, quibus foventur studia frenanda no modum excedamus, importunae sunt et in praxi ad peccandum ducere debent ; tum quia negari potost eum ob solam voluptatem agere qui voluptatem ut non malam amplectitur.

De isto argumento cf. Ballerini-Palmieri, *Opus, theol.,* tom. I, n. 101 et 111, n. 323 ; De la Barre, *La morale d'après S. Thomas,* p. 53. 54 ; et Noldin, *Prino.,* n. 88-91.

Quod in praesenti vita, mortificatio potius quam delectatio praedicanda sit, id minime negamus. Imprudenter

tamen omnis propter se quaesita delectatio peccati venialis argueretur. De actionibus enim quas homines quieto et simplici animo peragere solent, scrupuli iniciendi non sunt. A formidolosa enim agendi ratione, quae animum debilitat, viris bonis cavendum est.

118. — Efficacia finis. 1. Actio suo fine totali moraliter melior esse nequit. Ultra enim intentionem rd quam media referuntur non est amata voluntate, affectum voluntatis non terminat, nec proin bonitatem *moralem* habere potest: voluntas volendo bonum iit bona. Itaque, si actio flat omnis propter solum finem leviter malum, omnis erit moraliter mala. Nec refert obiectum eius esse bonum, v. gr. levamen indigentiae, cum voluntas bonum istud non velit nisi ut medium finis mali, ac proin non velit nisi malum.

2. Fines *intermedii,* qua tales, nihil ad bonitatem finalem addunt. Qua tales enim, non dilinguntur nisi ut media.

3. Fines *simultanei* et *coordinati,* i. e. quorum neuter propter alterum exsistit seu intenditur, actionem faciunt virtualiter multiplicem, quae utriusque finis moralitatem participat. Cum enim observationem ordinis rationis in una re, eiusque violationem in altera re simul velle possimus, non est absurdum ut duae actiones veluti parallelae, altera moraliter bona, altera moraliter mala, simul exsistant. Quispiam flammas exstinguere vult ad salvandum puerum et simul ad furandum. Exstinctio incendii moraliter honesta erit quatenus ad salutem pueri ordinatur; moraliter mala, quatenus ad furtum dirigitur (1). Nec res moraliter mutatur eo quod uterque finis, aeque principalis, concurrere debuerit ut actio fieret : ut si, in casu proposito, nec sola furti cupiditas nec sola spes salvandi puerum agenti actionem persuasissent (2).

Caveas ne ad meritum traducas quod hic de actione reduplicative qua morali diximus. Cf. dicenda infra.

(1) Cf. principium enuntiatum a S. THOM. 1, 2, q. 18 art. 4 ad 3 ; et Svahez, *De bonitate H malitia actuum humanorum,* d. 8, r. 1, n. 7. 14. 15. 16.
(2) Cf. Pesch, *De Deo creante,* n. 639-641 et FiUNS, *De act.* hum. II, 436 es.

4. Ex duobus finibus, quorum alter *primarius* alter *secundarius* fuerit, primarius dat moralitatem principalem, alter accessoriam seu secundum quid. Quare secundarius finis ordinis temporalis v. g. lucri, actum ex alio fine bonum non corrumpit.

110. — Corollaria. Conferendo ista asserta de fine cum regula supra tradita de obiecto, haec corollaria fiunt manifesta :

1. Actus ex obiecto bonus ad bonum finem imperatus (v. g. eleemosyna ex motivo religionis), praeter specificam obiecti bonitatem, novam ex fine acquirit.

2. Actus ex obiecto malus in malum finem directus, duplici malitia inquinatur : cogita furtum propter fornicationem patratum.

3. In finem bonum directus actus qui ex obiecto est malus non ideo fit bonus, ut infra, n. 123 dicetur.

4. Actus potiorem suam moralem speciem ex fine haurit, potius quam ex obiecto, quia finis magis est per se amatus et proin voluntarius. Quare, eleemosyna propter cultum Dei data est magis actus religionis quam misericordiae ; furtum propter fornicationem, Tqagis in specio luxuriae quam iniustitiae ponendum est.

5. Actus ex obiecto indifferens, ex fine bonus vel malus evadet.

§ 3. — De Circumstantiis

120. — Notiones. 1. *Circumstantiae* sunt quasi accidentia actuum humanorum ; sunt enim quaelibet conditiones quae, extra substantiam actus versantes, eundem aliquo modo attingunt.

2. Iam septem numero a Cicerone (1) indicabantur, quae continentur hoc versiculo :

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo quando.

In hoc versiculo, *quis* specialem *agentis* qualitatem designat : est clericus, puer, uxoratus.

Quid, specialem qualitatem sive *obiecti* sive *effectus.* (Sunt qui circumstantiam obiecti vocant *circa quid,* reservantes circumstantiam *quid* effectibus.) Qualitas *obiecti* habebitur

(1) *De inventione,* l. I et II; et *Topica.*

v. g. in dilectione inimici ; in iniuria facta personae sacrae, coniunctac ; in furto talis vel talis quantitatis. Qualitas vero *effectus* accedet, si specialis vis bona vel mala exempli fuerit ; si actio locum dederit blasphemiis.

Ubi, specialem qualitatem loci, v. g. in Ecclesia, notat.

Quibus auxiliis, ad media adhibita, ad causas instrumentales, ad complices refertur : per mortificationes, mendacia, fraudes finem persecutus sum; persona sacra, coniugata cooperata est.

Cur, memorat finem : de hoc iam egimus.

Quomodo, modum actionis appellat : v. g. caute, imprudenter, magna intensitate.

Quando, interrogat de tempore quo res peracta sit, atque etiam de spatio temporis per quod actio duravit, v. *g.* officium praetermissum est per tempus praefinitum censurae, reservation!.

Cf. de his circumstantiis S. Th. 1, 2, q. 7 art. 1.

4. Pro varia intentione seu ordinatione rationis, idem potest esse obiectum vel circumstantia. Sic unus furtum sacrilegium, alter sacrilegium furtivum eiusdem calicis ablatione committet. Cf. 1, 2, q. 18 art. 10.

121. — Effectus circunstantiarum. — Circumstantiae:

a) Bonitatem vel malitiam interdum *augent* vel *minuunt* intra eandem speciem : quinque millia vel centum millia libellarum furto sublata sunt ;

b) Interdum malitiam ad *aliam speciem theologicam transferunt,* i. e. peccatiun ex gravi fit leve, aut e converso : iniuria Pontifici vel Regi facta gravis erit, quae levis foret facta aequali;

c) Interdum *novam speciem* moralem *addunt,* v. *g.* votum castitatis in materia puritatis ;

d) Interdum *primam dant speciem moralem* : comestio carnium die abstinentiae. (Circumstantia quae speciem addit vel constituit, iam non est proprie circumstantia, ait S. Thomas, 1. 2. q. 88 art. 5.)

§ 4. — Supplementa de effato

Bonum ex integra causa, malum ex quocumque defectu.

122. — Quid moralis bonitas vel malitia postulet Ut *bonus* sit actus, oportet ut bonitas eius non tantum sit cognita, sed aliquo modo intenta, i. e. ut, saltem confuse, qua bonus, sit voluntarius. Bonitas enim ad quam non afficimur formaliter nostra non est, manet nobis extrinseca, voluntatem formaliter bonam reddere nequit.

Reflexa tamen intentio non requiritur, sed sufficit directa seu exercita, quam ille per se habet qui, conscius bonae naturae actionis, hanc efficit.

Ut vero *malus* sit actus, sufficit ut malitia sit cognita, quamvis in se displiceat. Ratio est praeceptum negativum vitandi malum, quod omni voluntaria transgressione violatur. Ceterum malitia in se non est amabilis. Unde malum non potest nisi per accidens seu ut coniunctum cum bono terminare voluntatem.

123. — Quid possit circumstantia finis. Actus ex obiecto malus ob finem bonum bonus fieri nequit. Eligendo enim hoc medium actionis malae, voluntas non est a malo penitus aversa. Quamquam ex line bono, sicut ex omni nota bona, peccatum minui potest.

Contra, actus ex obiecto bonus, propter finem malum vel circumstantias malas, fieri malus potest. Malus fit. si ad finem malum totus referatur, vel si propter circumstantiam malam ipse actus prohibeatur :'ut si sacram contionem habeat sacerdos suspensus.

Contra, sunt circumstantiae accidentales et extrinsecae quae, quamvis minus bonae, actum substantialiter bonum esse sinunt: motus impatientiae in servitio infirmorum.

124. — Effatum. Unde apparet illud quod ex pseudo-Dionysio exscribit S. Th. : *Bonum causatur ex integra causa, malum autem ex singularibus defectibus.* Ac per se mani-

festum est, cum bonum et ens convertantur, et malum absolutum, seu quod non sit nisi malum, exsistere nequeat, malum dici per privationem partialem boni. Quare ex singulis privationibus malum originem habet·, sublatis autem privationibus, obtinetur bonum sed simul integrum. Of. 1, 2, q. 18 art. 1 ; et q. 19, art. 6 ad 1.

125. — Intentio et actus exterior. Intentio tamen naturam operis *exterioris,* qua talis, mutare nequii ; nec proin iniustam reddet actionem quae secundum ius est facta. Quare iniustitiae arguendus non est index qui ex odio iustam sententiam damnationis pronuntiat ; nec dux exercitus qui occidere vult innocentes per arcis explosionem, aliunde necessariam vel licitam. Of. Bucceroni, *Institutiones,* I, n. 80.

SUMMARIUM.

. 1'26. — I. Omnis moralitas desumitur ox *obiecto* complete sumpto, cum fine et circumstantiis. Presse sumptum obiectum potest esso indifferens, bonum, malum bonitate vel malitia intrinseca, seu ox natura rei, et oxtrinseca.

Strictius dicitur malitia intrinseca, (piae Dei voluntate auferri nequit. Obiectum autem, si quam habeat, primam inoralitatem influit.

II. *Finis* distinguitur operis, operantis ; proximus, remotus ; intermedius, ultimus, sive simpliciter sive secundum quid, sive negative, sive positive ; totalis, partialis, primarius et secundarius.

Finis potest esso bonus vel malus, non autem indifferens, si actus est humanus ex fine.

III. Hinc agere *propter delectationem* quae ipsa percipitur non esse mala, noc malum est nec indifférons, sed moralitcr bonum, minus tamen quam si delectatio ad finem honestum positivo referatur.

IV. Fine suo totali actio molior esse nequit. Ad bonitatem formalem nihil addit finis intermedius mere amatus tamquam medium. Finis autem primarius moralitatom principalem confort. Ex duobus Anibus principalibus actio quasi fit moraliter duplex, cum utriusquo moralitatom participet.

V. *Circumstantiae* bonae vel malae interdum mere augent vel minuunt moralitatom ; interdum eandem transferunt ad aliam speciem sive moralem sive theologicam ; interdum primam moralitatom conferunt : sed tunc potius sunt obiectum.

VI. Quia bonitas debet esse intenta ut actio inde sit bona, dum actio fit mala sola mali electione, et quia finis et circumstantiae mala actum corrumpere, non autem, si iam malus sit ex obiecto, eundom bonum reddere possunt, *bonum* dicitur esse ex *integra causa, malum* autem *ex quocumque dejectu* Sunt tamen circumstantiae accidentales non graviter malae, quae actum sinunt osso substantialiter bonum.

Intentio mala obioctivam naturam actus externi qua talis non mutat.

TITULUS V.

De actu humano qua imputabili et ▫ eritorio.

Utilitas. — Huc tendunt actus humani et morales ut hominem perficiant. Quae hominis perfectio pendet ab imputabilitate in meritum. Indo perspicitur momentum istius disquisitionis, quae etiam exinde liquet, quod nobis occurrit explicandum principium quod perpetuum usum habet in theologia morali : principium do permissione mali et do duplici effectu.

12T. — Notiones et divisio. *Imputatio* est *attributio cuiuspiam actionis vel cuiuspiam effectus alicui ut vero auctori libero.* Qui imputat, pro vario casu, laudat, vituperat remuneratur, castigat. In eo autem cui imputatur, habetur, titulus honoris, gloriae, ignominiae, ius assequendi bonum quodpiam, vel necessitas, physica aut moralis, ferendi ingrata consectaria.

Rationem actionum exigunt tum Deus, tum publica potestas, ecclesiastica aut civilis. Hinc distinguitur imputatio *moralis,* in foro Dei et opinione hominum (1), et *forensis,* seu in foro humano, cui index attendit.

(1) Cur imputatio apud homines dicitur *morali** l Quin, sicut Deus homines non aliam, in sua opinione, normam consultant quam obiectlvam honestatis normam, qua ipsa conscientia regulatur. In foro humano consideratur lex et delictum.

[125-127.]

Pro praesenti hominis condicione, praeter generalem quaestionem imputationis *moralis,* specialis ponitur de imputatione *supernaturali,* in ordine ad meritum vitae divinae.

Articulus I. — De imputatione morali.

128. — Imputari potest actio vel *omissio propria,* eflectus actionis vel omissionis propriae, actio vel *omissio* aliena.

I. *Actio* vel *omissio propria* imputatur secundum omnes notas quae intenduntur ; immo secundum omnes notas quae obiecto inesse cognoscuntur, si agitur de malo, dummodo voluntas obiectum ut exsistens persequatur. Si ad rem abstractam afficiatur, solis notis quibus obiectum ut amabile vel eligibile componitur, actus malas inficitur.

129. — **II.** De effectu.

1. Notiones. *Effectus,* in re morali, est ulterior actionis in se completae vel omissionis efficientia seu resultantia, quae distinctum voluntatis obiectum esse potest.

Actio sumitur *moralis.* Haec non est completa sine aliqua voluntatis intentione. Quare finis qui primam moralitatem tribuit, pertinet, non ad effectum, sed ad obiectum. Cf. Noldin, *Prine,* n. 77.

Prout res vel causa examinanda id postulat, actio plus vel minus praecise sumitur, ita ut quod plerumque ad actionem pertinere dicitur, quandoque effectus reputatur. Sic occisio hominis plerumque vocabitur *actio* ; et tamen, ubi ad iniustum aggressorem repellendum neccsse fuerit, *effectus* per accidens, propriae defensionis esse a Sancto Tuoma aestimatur (2, 2, q. 64 art. 6).

Effectus *per se* est intentus, seu in se quoque est voluntarius ; effectus *per accidens* non terminat voluntatem, sed est mere permissus : sequitur invita voluntate vel saltem sine eius intentione, propter concursum causae quam voluntas impedire nequit. Et est *passive* seu *negative* permissus effectus qui omissionem sequitur, *active* seu *po-*

sitive permissus, effectus qui sequitur actionem. In posteriore casu, contra atque in priore, voluntas actione sua positive ad effectum concurrit.

Denique in re morali, contra atque existimat Kant (1), qui iansenista acatholicus vocari potest, effectus nimis remotus et effectus mere possibilis, seu cuius praevisio nullo serio motivo fundatur, neglegi possunt. Utrum imputentur necne, si intenti fuerint, in tractatu de iustitia disputari consuevit.

130. — 2. Regulae imputationis.

1. Effectus *per se,* seu intentus, semper, pro natura sua, bona vel mala, imputatur.

Ex supra dictis perspicitur, nullo effectu bono actionem malam purificari, ita ut numquam propter effectum bonum male agere liceat.

2. Effectus *bonus* non imputatur nisi praevisus et intentus: bonum ex integra causa.

3. Effectus malus *negative permissus* imputatur, quatenus obligatio exsistat illum positive impediendi. Quae obligatio in variis tractatibus theologiae moralis perpenditur.

4. Effectus malus *positive permissus* et *praevisus* imputatur, quatenus actione abstinendum est ne effectus ille sequatur. Fieri itaque potest ut non imputetur, etsi mala sit actio quam sequitur. Sic ebrietas vetatur lege temperantiae, non autem ne sequatur pollutio. Ergo mere praevisa pollutio ei qui sc inebriat non imputatur.

Praevisio; porro non requiritur distincta; sufficit ut agens aliqualiter animadvertat ex tali causa talem effectum exstiturum esse vel facile exsistere posse : aut saltem aliquo , modo obhgataonem noscat ad id advertendi. Quae praevisio adfuisse censetur, si ex rei natura, vel attenta propria experientia, talis effectus plerumque sequitur

(1). V. g. famulus, to iubonte, negat te osse domi. Qui te quaerebat abit, obvium habet quempiam quem occidit. Id tibi imputatur ut effectus tui mendacii! *(Mctaphyrik der Sitten. Elhieche Elcmentarlchre, Von der, Lüyet Casuistischc Frayen* (line)).

Semper autem effectus malus praevisus imputatur ei qui sine actionis omissione eum vitare potest. Nulla enim tunc excusatio effectus mali habetur.

131. — 3. Formulae practicae. Principium de duplici effectu. Quandonam autem actione abstinendum est ne effectus malus sequatur, id ex gravitate effectus mali, ex natura praecepti ad quod pertinet, et ex causa agendi aestimandum .est.

1. Inde regula poni solita, quam his verbis scribendam putamus. *Effectus malus qui actionem sequi permittitur, non imputatur, si diversa est efficientia immediata, et permissio ratione proportionate gravi excusatur.*

Efficientia potest esse ipsa actio, vel alter eius effectus. *Immediata* dicitur non ex intervallo temporis sed ex modo quo producitur, qui non est trans vel per effectum malum. Ratio *proportionate gravis* sic aestimanda erit :

a) Consideretur distantia qua effectus malus a causalitate actionis separetur. Quo magis fuerit effectus propinquus et necessarius, eo gravior excusatio postulabitur:

b) Perpendatur obligatio vitandi effectum malum ex principiis *iustitiae,* si alterius damnificatio meam causantatem secutura praevidetur: ex principiis *caritatis* et *pietatis ad meipsum,* si damnum proprium, v. g. vitae vel membrorum, timetur; ex principiis *caritatis erga proximum,* si is occasione meae actionis peccaturus videtur ; *correctionis fraternae,* si eius peccatum erit tantum materiale. Ubi nullum huiusmodi damnum fuerit a quo in agendo cavendum est, nulla obligatio est nisi sincere et prudenter vitandi ne malum effectum sub ementito colore, intendas vel directo causeris ;

c) Conferatur modo dicta obligatio cum sperato bono et cum iure istud persequendi : si, his perpensis, causa agendi rationabilis videatur, agere licebit, nec effectus malus agenti imputabitur.

De *ipsa obligatione vitandi effectum malum* haec praeterea notasse iuvabit. Damnum alterius vitare debemus humano modo: quare nimis remotum neglegi potest; et sine

nimio detrimento proprio, ita ut, in pari causa, agens se praeferre possit. Temporali nostrae vitae atque incolumitati prospicere debemus moderata diligentia inediisque ordinariis, non exquisitis. Positiva obligatio impediendi materiale peccatum nos non urget cum gravi incommodo. Debita autem sollicitudo ne proximus formaliter peccet variat, prout facilius vel difficilius proximus non peccare possit.

Demonstratio. Tradita porro regula hac brevi ratione demonstratui· vera, quia in casu proposito, causalitas voluntatis, in se sumpta, effectum malum neque ut intentum neque ut electum continet, et positivo praecepto curandi ne effectus malus sequatur satisfactum est. Nulla itaque causa superest, cur effectus ille in voluntatem agentis refundatur.

Idem hac altera formula reddere, solent cum dicunt ; « Licet ponere causam bonam aut indifferentem, cuius duplex sit effectus immediatus, alter bonus alter vero malus, si adsit ratio proportionate gravis, et. linis agentis sit honestus ».

Minus felicem dicimus istam formulam : *a)* quia exigere videtur causam simpliciter bonam vel indifferentem, dum satis est ut. aliunde atque ab ordine ad quem effectus malus pertinet moralitatem accipiat, ita ut sub hoc saltem respectu sit bona quamvis sub alio mala esse possit ; *b)* solos effectus comparat inter se, dum bona potest esse tam ipsa actio quam ulterior eius effectus; c) quia requirit finem stricte honestum, quod nimium est. Occisio innocentium non imputabitur duci qui ex odio arcem hostilem evertere iubot.

132. — Nulla actio efficit alterius peccatum formale. Observes autem *liberam alterius actionem,* seu, in casu, formale peccatum, numquam effectum propriae actionis esse posse. Sed propria actio, si sit scandalosa, immediate adducet. tentationein, cui alter libero cedit vel resistit.

183.— Lemmata 1. Deus nihil facit per accidens, cum omnia sint in eius potestate. Malum tamen morale permittere potest, quia ⟨ st provisor universalis secundum rationem supremam relationis ɾ⟨ rum ad Seipsum; et ipsa mali permissio in Eius gloriam

cedcre potest, i. o. ut liberam obtineat laudem ab eo qui ◊ potuit transgredi et non est transgressus ». (Eccli. 37, 10.)

2. Caveas no regulam dictam *a duplici effectu,* traducas ad casum diversum actionis quae vel hoc vel illud osso potest : v. g. id quod video est fortasse homo, fortasse bestia. Voluntaria sclopeti explosio, in istam rom directa, erit fortasse homicidium, fortasse utilis venatio. Hic non agitur do causalitate partiali qua effectus malus more permittitur, sed per causalitatom plenam alterutrum disjunctive fit. Ergo homicidium hypothetico accipitur et eligitur. Quare in hominem probabilem facere non licet quod in hominem certum fieri numquam potest. Seu universalius : « Quotiens dubitas no id quod vis forte sit aliud, utrumque in pravis vol noxiis a to volitum dici » debet. D'Annibale, I, 155.

Apprime ergo distinguamus quae probabiliter licent in hominem certum, et quae licent in hominem probabilem

134. — Quandonum peccct qui effectum male permittat.

Quando effectus est male permissus, reatus *tunc* con-. trahitur cum agens eius causam ponit, nec postea eius reatus per se augetur vel minuitur, sive effectus sequatur sive non. Sic qui ludo induisit, omissionem sacri praecepti praevidens, non minus reus fit, eo quod forte advenerit sacerdos qui tardius celebravit. Sacrum tamen illud lusor audire debebit, ne bis peccet omissione sacri : altera in alio seu indirecte, altera in se seu directe voluntaria. Fit quoque ut, propter non secutum effectum, peccatum non sit damnosum, vel casus non sit reservatus. Cogites censuram latam contra procurantes abortum... effectu secuto. (Can 2350 § 1.)

135. — III. Actionis alienae imputatio. Quamvis libera actio vel omissio aliena numquam effectus propriae actionis esse possit, nihilominus tamen quadantenus nobis imputatur propter *cooperationem,* propter imitationem *boni exempli* vel *scandalum ;* propter *-factam* vel *omissam correctionem fraternam.*

Rursus autem, actio aliena, qua *bona,* non imputabitur nisi ei qui eam obtinere vel ei favore saltem in confuso voluerit.

Qua *mala* autem, satis est ut sub praevisionem agen-

Lis ceciderit. Qua tamen ratione ostendimus activam effectus mali permissionem excusari posse, eadem vel fortiore efficitur, ob iustas causas excusari posse tum cooperationem ad malam alterius actionem, tum scandalum et omissam correctionem fraternam.

Etenim *cooperatio* secundariam tantum dicit operam, (pia causa libera principalis adiuvatur, dum in activa mali effectus permissione, actio permittentis causis saepe non liberis coniungitur, ita ut causa quodam modo principalis dici possit. Sic, in classico exemplo innocentium qui casu reperiuntur in loco explosionis.

Scandali auctor, qua talis, malo mere occasionem praebet : nullam veram efficientiam in malum exercet.

Qui *correctionem fraternam* omittit, malum mere non impedit.

In se tamen malum maius, i. e. peccatum formale, occasione scandali vel omissae correctionis fraternae exoritur : sed peccatum est proximi, non illius cuius actionem aestimamus.

Quaenam autem cooperatio, scandali ratio et omissio correctionis fraternae excusentur, propriis locis examinandum superest.

Articulus II. — De merito actionis humanae et conexa intentionis quaestione.

§ 1. De merito.

136. — Notio et condiciones generales. 1. Meritum est retributio seu quasi pretium boni operis (1). Postquam enim factum est, bonum opus est, qua *bonum,* dignum convenienti retributione, seu mercede apud eum cui aliquo modo utile et acceptum est, seu ad quem ordinatur (2); actio vero cui titulus iste inest dicitur meritoria.

(1) 1. 2, q. 114 art. 1; et q. 21 art. 4.
(2) 1, 2, q. 114 art. 2, ad. 3.

2. Communes omnis meriti *condiciones* istae esse perspiciuntur: pax inter agentem et retribuentem, nam (pie opus in statu offensae factum, acceptum esse nequit personae offensae (1) ; opus libere factum ; relatio operis in alterius obsequium; proportio inter opus et pretium; acceptatio ab eo in cuius obsequium opus offertur.

Relatio porro ad alterius bonum, vel operi insita seu *conaturalis* esse potest, vel *intentione* quadam perficienda est. Sic opera quibus famulus hero inservit, immo quaelibet praeclare gesta a filio, ad herum, ad patrem qui inde honoratur, naturaliter referuntur ; contra, litterarium opus aptum quidem est per se ut lectoribus placeat; sed iis solum honorem vel aliam utilitatem afferet, quorum gratia labor susceptus est, vel quibus legendum offertur, itaque addenda est quaedam dedicatio seu nova intentio. Haec tamen intentio, quae ad opus in se completum accedit, ab intentione quae actum constituit et spécifient sedulo distinguenda est.

13T. — Divisio. Meritum *humanum,* apud homines, vel *theologicum* apud Deum esse potest. Istud late dicitur de qualibet renumeratione divina, etiam temporali ; stricte de retributione vitae aeternae.

Meritum theologicum sic stricte intellectum distingui consuevit in meritum de *condigno* et meritum *de congruo.* Meritum de *condigno* dicit titulum alicuius iustitiae seu aequalitatis proportionis inter actionem et vitam aeternam, quatenus opus vere fit dignum vita aeterna ex ordinatione divina et operis qualitate. In operis autem dignitate, dignitas operantis includitur. Meritum de *congruo* titulum dicit partialem seu inadaequatum, cui tamen retributio ex aliqua aequitate conectenda est. Sicut ipsum meritum de condigno tum ex divina ordinatione tum ex libera hominis actione pendet, sic duplex nobis videtur esse radix meriti de congruo : altera, gratia Dei invitantis, cui consentaneum est ut quod incepit ad finem perducat ;

(1) 1, 2, q. 114 art. 2. ad 3; et q. 21 art. 4.

altera, bonus conatus hominis : decet enim « ut homini operanti secundum suam virtutem Deus recompenset secundum excellentiam suae virtutis » (1). Meritum de condigno affert infallibilitcr augmentum grati e sanctifie ntis vel gloriam; meritum de congruo auxilia actualia tribuit, sed cum gratia sanctificante non inf llibiliter coniungitur, quia homo requisitam cooperationem non necessario praestat. Ad utrumque meritum autem postulatur status *viatoriis,* cum utrumque retributionem vitae aeternae immediate vel mediate spectet.

Meritum *naturale* conveniret operibus hominis non elevati ; meritum *supernaturale* est meritum ordinis praesentis ; convenit operibus quae homo elevatus, ex gratia efficit.

1.38. — Nota de merito theologico. Aliunde iam novimus a creatura rationali nihil Deo praestari posse praeter gloriam externam quam Deus vult ut sapiens et sanctus, non autem quaerit ut indigens. Praeterea, haec de praemio vitae aeternae probe notanda sunt. Praemium vitae aeternae comparari nequit cum praemiis istis extrinsecis et accidentalibus quae homines conferre solent. Sed *essentiale* dicendum est, quatenus ad istud homo ipse totus ordinatur; quatenus, sub respectu beatitudinis, intima voluntatis inclinatione appellatur; quatenus omni actione morali amatur et quaeritur ; et est *intrinsecum,* quatenus est hominis, qualis nunc est, complementum seu perfectio. Quare qui bene agere vult, re ipsa hoc intendere intellegitur, sicut messem vult qui eam seminat.

Nec praemium est tantum futurum : iam nunc nobis confertur inchoative in gratia sanctificante, quamvis nondum modo inamissibili.

Quare, etiam sub hoc respectu, actio bona est iter ad beatitudinem iam praesentem. Nec futuram tantum Christus discipulis suis promisit per ingeminata verba: Beati qui... Beati eritis cum ».

(1) 1, 2, q. 114 art. 3.

139. — Meriti supernaturalis de condigno *condiciones* hae certo postulantur, quarum necessitas expositores dogmatis demonstrant : 1. Status gratiae ; *2.* Moralis bonitas operis ; 3. Principium supernaturale seu concursus gratiae actualis supernaturalis.

140. — De universalitate istius meriti. Controvertitur autem utrum necne praeterea specialis intentio sive caritatis sive exercendae virtutis supernaturalis agentem movere ad actum debeat ; non quod, seclusa tali intentione, actus ex gratia supernatural! factus ad ordinem naturalem detruderetur, sed quia concursus istius gratiae cum tali motivo, nexu individuo, colligatur, ita ut vel motivum supernaturale habeas cum gratia actuali, vel utrumque simul desit.

Qui huiusmodi motivum exigunt, etiam in hominibus iustis actus admittunt qui naturaliter tantum boni erunt.

Nobis pracplacet sententia quam S. Th. docuit tamquam *certam : « Omnis actus habentis caritatem vel est meritorius vel est peccatum, et nullus indifferens »* (in 2. S. d. 40, q. 1 art. 5).

Id nobis persuadet iam ipsum silentium 8S. Scripturarum. Etenim mereri vitam aeternam est omnino principale in vita Christiana. Igitur si ad merendum specialis intentio requiratur, condicio ista clare in fontibus revelatis legetur. Iam vero Scripturae sacrae honestatem moralem quae in homine iusto ad salutem non pertineat nusquam diserte commemorant ; sed, nulla mentione facta motivi supernaturalis, varia opera moraliter bona simpliciter commendant, v. g. ubi religionem mundam edicere dicuntur (1), ita ut disertis verbis ipse Christus dixerit: « Si vis ad vitam ingredi serva mandata » (2). Mere a mercede excludunt opus ex tine non recto vanitatis et hypocrisis factum (S. Mt h. 6, 1. 5. 16).

Praeter satis apertos textus plurium Patrum, v. g.

(1) S. lAC. I, 27. — (2) S. Ma TTH. 10, 7.

8. Augustini (1) quid communiter SS. Patres *l* Vitam aeternam promittunt iis qui ex fide agunt ; i. e. ut ipsi explicant, iis qui in statu gratiae versantur et honestatem in agendo sectantur.

Id nobis etiam persuadet iugis iste influxus gratiae in opera iustorum, qui, insinuatus a Christo in figura ubi se vitem et apostolos palmites esse dixit, formaliter traditur a Tridentino (S. 6, c. 16, *De iustificat.)*

Ac ratione confirmamur.

Ut ipse Lehmkuhl (I, 365) fatetur : « In honorem et laudem Dei omnes actus boni referuntur ». Propter istum respectum religiosum, omnis actus bonus ordinem ad Deum habet ; habitus dein gratiae et caritatis efficit ut actus sit amici Dei, i. e. per gratiam sanctificati et per caritatem habitualiter dispositi ad faciendos actus amicitae (2).

Consequenter autem ad dilectionem illam agit iustus quotiescumque observat mandatum, seu bonum actum facit ; nam omnis actus bonus est modus diligendi Deum : « qui habet mandata mea et servat ea, — aiebat Dominus, — ille est qui diligit me » (3) ; omniaque praecepta ad praeceptum diligendi Apostolus revocat (4). Quotiescumque ergo actus bonus elicitur vel imperatur voluntate quae caritate informatur, sicut refertur ad voluntatem liberam ut agentem, et sic est moralis, ita imputatur voluntati amicae Dei, et sic est meritorius. Haec itaque est propria vis istius habitus in voluntate, ut postulet omnes actus bonos acceptari a Deo ut actus amici Dei seu hominis supernaturaliter relati ad Deum, et hinc esse meritorios.

Ut aliis verbis utamur, de condicione hominis vera, quae est hominis elevati, nec tantum de statu naturali in quo versari potuit sed non est constitutus, valent scripta ista a S. Tu: «Ubicumque est aliquis debitus ordo ad finem, oportet quod ordo ille ad finem ducat, recessus autem ab

(1) In Pe. 30, Bormo 2, n. 10 (P.L. 30, 341).

(2) Caritas enim magis immediatum quam gratia ordinem habet ad operationem. Est in voluntate camquc reddit aptam ad diligendum Deum amore amicitiae ct ad agendum consequenter ad illam dilectionem.

(3) S. lOAXN. 14t 21. — (4) Horn. 13. 9.

ordine finem excludat... Deus autem imposuit actibus hominum ordinem aliquem in respectu ad finem boni... Oportet igitur quod si ordo ille recte positus est, incedentes per illum ordinem finem bonum consequantur, quod est praemiari ; recedentes autem ab illo ordine per peccatum a fine boni excludi, quod est puniri » (1). Homo vero qui bene agit incedit per ordinem statutum a Deo. Ergo ad finem ordinis pervenire debet, nisi obstet status inimicitiae quae a Deo avertitur. Auxilia enim opportuna seu supernaturalia dare divina Providentia non omittet.

Qui diversimode sentiunt, agenti gratis ascribere videntur positivam intentionem finis naturalis. Sed res non ita se habent. Agens moraliter bene, dum recto appetitui inservit, implicite vult meritum eius actus seu finem ad quem bona cius actio tendit, etiamsi alium respectum praeter respectum bonitatis moralis ignoret.

lidem videntur quoque nimis intentioni agentis vim dare elevandi actus, quam vim dono gratiae acceptam referre debemus. Dixeris hominem, qualem fingunt, substantialiter esse in ordine naturali, accidentaliter in supernatural!, ita ut speciali tantum conatu supernaturaliter agat ; dum homo ita, gratuito Dei beneficio, mutatus est, ut totus ad finem supernaturalem dirigatur (2). Cf. quoque Noldin, *Prino.,* n. 104.

141. — Γη peccatore, actus *salutares* seu meritorii de condigno esse nequeunt. Propter rationes desumptas ex praesenti hominis statu, existimamus ne quidem in ipsis actus mere naturales reperiri qui sint moraliter boni, sed omnes fieri ex gratia supernatural! tamquam principia paenitentiae et conversionis. Cf. S. Tn., *De Malo,* q. 2 art. 5, ad 7 ; in 2 l. S. d. 38, q. 1 art. 2, ad 4.

142. — Ultra progressus, Ripalda *(De ente supern.,* l. 1. d. 20, s. 2) tenet nullum esse conatum moraliter bonum naturae quem aliqua gratia supematuralis non praeveniat. Plerique ta-

(1) ***Summa contra Genliltt,*** c. 140.
(2) Haccfwdue tractabuntur in futuro volumine l ***Quaestionum moralium.***

mou theologi admittunt in infidelibus actus moraliter bonos ot simul supernaturaliter indifferentes. Sententiae Ripalda non repugnat Kleutgen, *Théologie der Vorzeit,* t. 2, n. 153-158. Nobis praesenti generis humani condicioni, unitati consiliorum divinae Providentiae, voluntati salvificae universali magis consentanea videtur ; ot communi quodam sensu fidelium confirmatur, qui in bonis cuiusvis hominis operibus praeparationem quandam et positivam dispositionem ad gratiam agnoscunt. Nec quominus illam admittamus obstat receptum illud, « primam gratiam esso initium fidei»; supematurale illud auxilium ad honeste agendum, dari dicemus ut infideles ad fidem perducantur ac proin initii fidei nomine venire posse. Nec difficultatem faciunt propositiones damnatae quae negabant alios actus esse praeter meritorios vel peccata ; vel distinctionem inter actus moraliter honestos et meritorios regni aeterni respuebant (1). Etenim meritum de condigno ab actibus eorum qui non sunt iusti excludimus; nec utilitatem distinguendi honestatem naturalem a supernatural! negamus. Infideles capacitatem naturalem servant faciendi actus honestos : id firmiter tenendum est ; sed concurrens Dei gratia efficit ut iidem sint supematurales et saltem de congruo meritorii.

143. — ÛV. *B.* – Conclusio nostra de iustis nullatenus in permanente virtute cuiuspiam primi actus caritatis innititur, sed in habituali gratia sanctificante et caritate, qua fit ut boni iustorum actus sint actus filiorum et amicorum Dei. Implendo tamen caritatis praecepto tenentur. Cf. 188.

144. — De meriti obiecto haec utiliter ex theologia dogmatica recoluntur.

1. *Nobis* tantum mereri possumus *de condigno.* Aleremur autem augmentum gratiae sanctificantis et vitam aeternam. Quo pacto, qua mensura gratia crescat, non convenit inter theologos: a mathematicis vel quantitativis rationibus afferendis cautius abstinemus.

Alia non meremur de condigno, quia homo per opera sua bona, ex ordinatione divina, ad haec non ad alia consequenda ordinatur.

(1) Cf. articulum 16 1. Hue, ex 30 damnatis a Cone. Constantlensi et a Martino V, 25 mart. 1418; et prop. 62 Bail damnatam a S. Pio V, 1 oct. 1567. ux *m.* n. 642 rt 1062).

2. *Nobis de congruo* mereri possumus gratias actuales seu auxilia uberiora : qua sufficientia tamen, non *qua* efficacia, quia, cum efficacia sint per consensum nostrum liberum, hunc mereri non possumus. Sed mereri possumus gratias *quae* erunt efficaces. Etiam peccatores effecti, auxilia ad resurgendum sic mereri possumus. Inter auxilia ista, etiam bona temporalia reperiuntur. Haec, *qua talia,* a Deo etiam operi mere humanae bonitatis tribui possunt. Cf. 1, 2, q. 114 art. 10.

Aliis eadem auxilia, immo ipsam primam gratiam, mereri possumus *de congruo.*

3. Nobis mereri *non possumus primam gratiam* seu primum auxilium supernaturale: deficit omnis proportio inter actionem nostram sine gratia supernatural! et obiectum supernaturale. Nec, *dum iusti sumus,* videmur mereri posse, ne quidem de congruo, restitutionem iustitiae post lapsum futurum. Hoc docet S. Th ., 1, 2, q. 111 art. 7. Sunt tamen qui diversimode sentiant.

Nec nobis nec aliis mereri possumus, ne quidem de congruo, perseverantiam finalem, quatenus est donum distinctum a gratia tum sanctificante, tum actuali. Sed auxilia ad perseverandum, seu perseverantiam materialiter sumptam, et nobis et aliis impetrare et mereri do congruo possumus.

4. Ceteris paribus, facilius nobis quam aliis meremur.

145. — Quantitas meriti pendet tum ex *dignitate* agentis tum ex *valore* seu magnitudine operis. Ex dignitate agentis : quo magis itaque is erit coniunctus Deo per gratiam sanctificantem et caritatem, eo magis, ceteris paribus, merebitur. Ilinc iam perspicitur meritum infinitum quod singulis Christi actionibus inerat. Valor porro operis cum in se consideratur tum in intentione unde manat : prout haec altior et intensior fuerit, eo magis meritum crescit. Nobilissima autem intentio est caritatis. Quo magis ergo a voluntate quae una facta sit cum voluntate divina (caritas unum efficit) effective manaverit, eo praestantior est actio.

Actio itaque *non maius formale* meritum habebit *qua difficilior,* laboriosior, sed quatenus difficultas, labor, magnum opus denotant (1). Perinde dicas de *repudiatione* delectationis : repudiatio ista non est propter se bona et meritoria, sed solum quatenus altiori bono dat locum.

146. — Utilitas petendi specialia. *Meritum de condigno non minuitur eo quod actionem dirigamus ad varias gratias aliis vel nobis impetrandas.* Immo ex bonis studiis quae sic simul foventur, meritum actionis crescere potest. Quamvis ergo iam per se Deus, qui cor nostrum intuetur, bona nostra opera acceptet non solum qua meritoria *de condigno,* sed etiam qua meritoria *de congruo* et *impetratoria,* nihilominus naturae humanae consentaneum est vota particularia distincte exprimere et sic opera bona cum formali oratione coniungere (2). Id saltem faciendum est, quantum inde iuvamur ad melius orandum et agendum, non autem quatenus scrupulosa quadam anxietate damnosum fieri possit fervori caritatis : fervor iste in re spirituali caput semper est.

141. — De fructu satisfactorio. Praeter *fructum meriti et impetrationis,* inest quoque actionibus nostris bonis, quatenus omnes sunt laboriosae, fructus *satisfactorius.* Priores omnes *abdicare* nec possumus, nec expedit ; postremum laudabiliter cedere possumus aliis ex caritate ; maxime animis in purgatorio exstantibus. S. Pontifices actum dictum *heroicum* erga purgantes animas approbarunt. Cf. de indulgentiis.

§ 2. — Formalis intentionis necessitas, puritas, efficacia.

148. — Debeinusnc cotidie actiones Deo offerre in Eius gloriam ? Verba Apostoli 1 Cor., 10, 31 : « Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in glo-

ci) 1, 2, q. 114 art. 4, ad. 3. — (2) Cf. I.EHMKünL. I, 375.

riain Dei facite»; et Coloss., 3, 17 : « Omne, quodciimque facitis, in verbo et in opere, omnia in nomine D. N. I. C., gratias agentes Deo Patri per ipsum », quae S. Thomas praeceptiva habet, S. vero Bonaventura (1) ad merum consilium pertrahit, re vera de intentione qua opus bonum peragendum sit nihil indicant.

Huc redeunt : Ita agite ut occasionem detis Deum glorificandi; agite tamquam Christiani, conscii vestrae coniunctionis cum Christo et beneficiorum quae per Christum a Deo accepistis ; ac proin, in spiritu gratiarum actionis, facite quae Christo sunt probata.

Non demonstratur itaque praeceptum quod, sequens Collet, his verbis enuntiat S. Alpiionsus, *De act. hum.*, n. XLIV : « Oportet saepius in die, saltem mane, generaliter offerre Deo omnes actus suos, ut sic adimpleatur praeceptum Apostoli, saltem intentione virtuali omnia faciendi in gloriam Dei ». Atque obligatio, quam minime negamus, offerendi opera ad Dei gloriam, haec tantum postulat :

a) Ut opera nostra Deum glorificent; Deum autem glorificant omnia nostra opera bona, nisi conaturalem istam relationem respuamus ;

b) Ut praeceptum formalis dilectionis Dei adimpleamus : de quo praecepto agemus ubi de caritate. Cf. Lehmk., I, 375.

!49. — Conaturalis glorificatio Christi, 15. II. V. et Sanctorum. Conaturali relatione omnes actus boni gloriosi quoque sunt *Christo*. Id non tantum valet de iis qui se Christianos profitentur: quod nimis manifestum est; verum etiam de aliis, cum ex gratia Christi omnia opera bona fiant (2). Formalem laudem Christo inde tribuent, quotquot, sive in caelis, sive etiam in terris, hanc causalitatem Christi noverint.

Cum, sicut non semel inculcavit Benedictus XV, omnes gratiae per *Mariam* impetrentur, omnia opera bona

(1) In 1. 2, D. 41, a. 1, q. 3 ad 1.
(2) Cf. S. THOM. 1, 2, q. 14 art. 6, c.

B. Mariae Virgini, Matri Dei et Matri nostrae, quoque conaturaliter cedunt in honorem.

Non pauca etiam conaturalem relationem habent ad *Sanctos,* v. g. religionum fundatores.

150. — Opus bonum quod ad Deum, B. M. V. vel Sanctos ordinari potest vel conaturaliter ordinatur, potest quoque ex intentione fieri honorandi Deum, B. M. V., Sanctos. Et tunc, sed tunc tantum, actus ex ista intentione speciem accipit et fit actus religionis.

Oportet autem ut actus ordinem ad Deum vel Sanctos re vera dicere possit. Unde si quis velit ad ipsam B. Virginem actum referre indifferentem, v. g. ambulationem, eum non refert nisi quatenus simul percipitur esse licitus vel, v. g. ex modo temperantiae servato, specialiter est honestus (1), vel nisi ex externa sua ratione Mariam honoret : ut si peregrinatio evaserit.

151. — Dc puritate intentionis. Duplex intentionis puritas apprime distinguenda est : puritas qua omnis ratio caritati opposita, ut vanitas, sensualitas, etc. removetur, et puritas qua intentio minus sublimis, quamvis honesta, arcetur.

Prior puritatis ratio non satis commendari potest : mixtione affectus minus ordinati, actus ex parte saltem corrumpitur.

Altera vero puritas caute proponenda est. Eo enim quod naturali propensione ad actum iuvamur, meritum per se non minuitur. Nec sine magna utilitate providus Deus huiusmodi propensiones in humanam naturam indidit. Per accidens tamen, quatenus psychologicam libertatem

(1) Specialiter moretur ex *obiecto,* qui quaerit delectationem ex bono honesto, virtute, Deo. « Gaudete in Domino semper»; ex *fine,* qui cam quaerit propter bonum honestum: quo fugiat pericula, animosior flat ad sanctum laborem; ex *modo,* qui eam *temperate* quaerit. Hoc principio utitur S. Thomas: « Qualis est operatio, talis est eam consequens delectatio ». Voluntaria autem delectatio continet approbationem oblectl do quo quis delectatur. Ideo delectatio do obiccto bono bona est.

actus minuit, actum minus meritorium facere potest. Praeterea ille qui tali auxilio opus habet minorem caritatem ac proin minus meritum demonstrat quam ille qui sublimiore affectu perfecte movetur.

Quare in neglegenda tali propensione haec utilitas incsse potest : ut actus magis voluntarius sit ; ut ex intentionis unitate ipse sublimior affectus intensior Hat.

Prudenter tamen supputandae sunt vires quae nobis praesto sunt, cum melius sit bonum agere cum naturae subsidio, quam, spreto illo auxilio, bonum praetermittere : « Natura non est contraria gratiae : unde admixtio naturae ad gratiam non facit remissionem in effectibus gratiae, quae causatur ex permixtione contrarii ». Ita, in 3 S. d. 30, q. 1 a. 3, ad 5, S. Thomas, de dilectione amicorum.

Porro intentio *beatitudinis* bonum virtutis nullatenus corrumpit, cum beatitude sit perfectio nostra; cum sit finis ad quem virtute perveniendum est. Cf. Sertillanges, *La. morale de S. Thomas,* c. 17, n. 17.

152. — Usus renovandi intentionem, v. g. per cotidian-s oblationes Deo factas universae actionis nostrae, has *utilitates* continet: ipsa oblatio est in se laudabilis actus religionis vel caritatis ; facilius, per eum, inter agendum frequens memoria fovetur intentionis religionis, fidei, caritatis, quibus honestas bonorum operum augetur; voluntatem confirmat in bonis propositis : haec, ut sumus homines, perpetua efficacia carent ac proin renovanda sunt.

Negandum tamen simul est, per huiusmodi oblationes meritorios fieri actus qui ex stricte dicta virtute talis intentionis non eliciuntur.

Nec etiamsi intentio virtualis fuerit, valebit ad tollendam *indifferentem* obiecti *naturam.* Sed, quantum actus ad id aptus est, honestatem finis *extrinseci* addere potest, magisque nobis certam reddit honestatem quam actus per se continet.

E converso, universalis oblatio facta idolo, in se quidem pessima est ; non corrumpit tamen nisi eos actus qui tali intentione vere imperati sunt.

Aliud est *meritum acquirendum,* aliud *dispositio de acquisito actionis fructu.*

Oblationes de quibus hic loquimur nequeunt quidem meritorios reddere actus in quos nullam virtutem influunt, sed sufficiunt ad efficaciter disponendum de veris actionum fructibus, v. g. pro conversione peccatorum, in favorem animarum purgatorii, sicut per voluntatem actu praeteritam et mere habitualem, missae ad varias intentiones applicantur. Res enim futura actu praesenti efficaciter cedi vel donari potest.

SUMMARIUM.

153. — 1. Imputatione *morali,* in foro Dei et in hominum opinione, actiones vel effectus auctori libero, in laudem et meritum vel in vituperationem et demeritum ascribuntur.

II. *Actio* vel *omissio propria* imputantur secundum omnes notas intentas; immo, secundum omnes notas quae inesse cognoscuntur, si agitur de re ma'a ad quam, ut re vera est, voluntas afficiatur. Si enim res ametur abstracta, solae notae amatae considerandae sunt.

III. *Effectus* seu ulterior resultantia actionis potest osso *intentus,* vel *mere permissus,* sive active, sive passive. Intentus semper imputatur. Effectus bonus non imputatur nisi praevisus et intentus; malus, negative permissus, imputatur quatenus erat positiva obligatio eundem impediendi; positive autem permissus, imputatur quatenus actione abstinendum erat ne effectus sequeretur. Semper imputatibur si vitari poterat sino actionis omissione.

IV. *Effectus malus qui actionem sequi permittitur non imputatur, si diversa est efficientia immediata, et permissio ratione proportionale gravi excusatur.* Ratio est, quia propriae voluntatis cansalitas a malitia effectus est immunis, et, propter proportionatam causam, positivo praecepto curandi ne effectus sequatur est satisfactum.

Obligatio ista positiva variat pro gravitate et proximitate effectus mali, pro natura praecepti et pro causa agendi. Reatus male permissi effectus tunc contrahitur, quando cius causa est posita, nec mutat, sive effectus sequatur, sive non. Sed ab effectu secuto vel non, pondere potest damnum vel reservatio.

[162.153.)

V. *Actio vel omissio aliena* numquam stricte dictus effectus propriae actionis osso potest. Imputatur tamen nobis propter cooperationem, propter imitationem boni exempli vol scandalum, propter factam vol omissam correctionem fraternam. Haec tamen, si agitur do mala actione alterius, excusari possunt simili et fortiore ratione qua permissio effectus mali excusatur.

154. — 1. Meritum *est retributio operis apud eum ad quem dicit ordinem*. Communes meriti condiciones sunt pax, vel saltem inchoata pacificatio, inter agentem et retribuentem ; opus libere factum ; relatio vel conaturalis vel explicita in alterius obsequium ; operis acceptatio a praemiante, proportio inter opus et praemium.

II. Meritum distinguitur *humanum* et *theologicum* seu apud Deum. Hoc est de condigno et do congruo. De condigno dicit titulum alicuius iustitiae ; do congruo non dicit nisi titulum partialem : speratur ex perseverante beneficio gratiae invitantis et ex bono hominis conatu. Nullum meritum est nisi in statu viatoris. Meritum nunc est supematurale ; naturale conveniret operibus hominis non elevati.

III. Praemium caeleste ad quod tendimus est nobis essentiale et intrinsecum ; iam nunc confertur inchoativo.

IV. Meritum do condigno postulat statum gratiae, moralem operis bonitatem, principium supematurale. Non videtur postularo specialem intentionem referentis opus ad Deum. Quare meritorius est omnis actus non malus et moralis hominis habentis caritatem.

Nec in peccatore ; immo nec in infideli videntur esse actus supernaturalitor indifferentes, seu sola naturali bonitate donati.

V. Nobis tantum mereri possumus do condigno ; nempe, augmentum gratiae sanctificantis et gloriam caelestem ; de congruo nobis meremur gratias actuales qua sufficientes ; immo gratias quao erunt efficaces. Et peccatores offecti morori possumus auxilia ad resurgendum. Nec primam gratiam, nec, dum sumus iusti, restitutionem iustitiae post futurum lapsum mereri possumus. Idem dicatur de perseverantia finali.

Aliis oadem auxilia, immo primam gratiam do congruo morori possumus.

Nobis et aliis possumus mereri de congruo et impetrare auxilia ad perseverandum. Ceteris paribus, facilius nobis quam aliis moremur.

VI. Quantitas meriti pendet ex dignitate agentis, et ex valore operis, considerati, tum in se, tum in intentione unde emanat :

nobilissima autem est intentio caritatis. Meritum de condigno non minuitur eo quod actionem dirigamus ad varia nobis et aliis impetranda.

VII. Fructus meriti et impetrationis non possumus omnes abdicare ; nec istud expediret. Possumus autem laudabiliter fructus satisfactorios aliis cedere, potissimum animabus purgatorii.

VIII. Omnes actus nostri boni glorificant Christum eiusque Matrem ; multi etiam sanctos.

Nullum est praeceptum cotidianae oblationis actionum Deo faciendae.

Formalis intentio honorandi Deum vel B. Virginem per actum congruentem addit novam speciem bonitatis.

IX. Omnis intentionis impuritas purganda est; prudenter procuranda est intentio magis sublimis.

X. Usus renovandi intentionem bonam est valde utilis animae ; non tollit tamen indifferentiam obiecti, sed addit honestatem finis cxtrinsoci, et magis certum reddit meritum honestatis intrinsecae. Pessima oblatio universalis facta idolo non corrumpit tamen nisi actus vere tali intentione imperatos.

Possumus autem per unam oblationem efficaciter disponere de fructibus alienabilibus actionum nostrarum.

CONCLUSIO.

Nostrae disquisitionis fructus is videtur esse potissimus. ut magni faciamus moralem libertatem agendi bene, sine qua psychologica libertas pretio et decore caret, immo fere et usu. Perpetuus influxus gratiae Dei nos laeta spe incrementi fere continui meritorum replet, simul nos hortando, ut intendendo et extendendo imperium nostrae voluntatis, deliberatas actiones, in quibus nostra vita vere humana fere tota consistit, indesinenter multiplicare conemur, profligato vitio inconsiderantiae, atque excusso iugo passionum.

TRACTATUS III.

DE LEGIBUS.

Introductio.

De Dei ordinatione et obligatione humana.

155. — Intentio introductionis. Nobis nunc non est propositum ut quaestiones de Lege divina et de humana obligatione, quae ex professo in philosophia morali examinantur et disputantur, hic fuse et polemice, recitatis et repudiatis diversis opinionibus, pro merito tractare conemur. Deo favente, velimus tantum distincta quarundam notionum prolatione et expositione viam sternere ad scientificam legum et peccatorum notitiam nobis comparandam.

156. — Divinitus constitutus ordo. Entia non rationalia, physica agendi necessitate seu determinatione ad finem suum a provido Deo perducuntur; homo autem partim necessitate morali seu obligatione, partim moraliter libera optione qua, subordinate, i. e. intacto ordine divinitus constituto, ipse ordinem vel subditis suis vel sibi praefinit. Sicut enim esse receptum habet, sic a Deo. provisore universali, ordinem reperit constitutum ad commune bonum totius generis humani, immo universi mundi creati. Ordo ille ab aeterno, purissimo et immutabili actu divino qui est ipsa Dei essentia, praestituitur: modo autem quo, propter imbecillitatem nostram, actum divinum explicare et quasi « humanum » reddere cogimur, idem ordo resultat ex aeterna ordinatione divina, ac proin formaliter ex aeterno imperio quo intellectus divinus, sub motione voluntatis divinae amantis infinitam suam bonitatem imitandam in mundo creato, ipsam creationem efficaciter decernit. Quatenus enim ordo *essentias* rerum afficit, una eademque in-

tellectione et voluntate mundus creatur et ordinatur, seu Deus est creator et ordinator.

Fide praeterea docemur *positiva* Dei voluntate, in immensum benefica, creaturas rationales vocatas esse ad finem supernaturalem i. e. divinum, et ideo sublimiorem mundi ordinationem in locum mere naturalis successisse.

Denique, aeterna praevisione divina, lapsui seu culpandae degradationi humanae consultum esse per meliorem ordinem *mundi reparati,* cui Christus tamquam caput et finis assignatur.

Age porro, intellectus humanus essentialem seu naturalem et necessarium rerum ordinem percipit ; et sic ratio humana aeternam rationem divinam ipsa cognitione participare dicitur. Simul percipit necessitatem se conformandi huic ordini; quam necessitatem exprimit mysterioso isto verbo: *debeo,* et quidem *absolute,* independenter ab omni condicione seu suppositione.

157. — Formulis et expressa subiectio. Praeterea qui in ordine isto ordinationem divinam formaliter agnoscit, statim, ultronea intellectus conclusione, eodem verbo *debeo* necessitatem reddit formalis subiectionis sub imperante voluntate Dei.

Subiectio porro illa ad ipsum ordinem *positiva* Dei voluntate constitutum se extendit : necessitas enim parendi Deo elevanti et reparanti hominem, in ipsa lege naturali contenta demonstratur.

Praeterea autem praestitutus ordo complendus apparet et perficiendus, respectu habito tam *societatis* humanae seu vitae communis hominum, quam respectu *vitae singularis* uniuscuiusque. Sic autem humana ratio, activa facultate providendi ordini, activam excellentiam divinae rationis ordinantis participat.

Quae tamen activa ordinatio componenda est, ut modo monuimus, cum necessaria observatione ordinis iam a Deo necessario vel libere constituti, ita ut sit non subversio istius ordinis, sed contra, eiusdem completio seu perfectio.

158. — Praesens quaestio de obligatione. Si homo in ipso Deo universalem ordinem intueretur, sane Illum formaliter ut auctorem ordinis agnosceret et adoraret, ac necessitatem parendi formaliter ut theologicam seu ut exsistentem erga Deum conciperet.

Nunc vero ordinem in ipsLs rebus creatis et in natura sua legit. Unde sine expressa et formali agnitione Dei pronuntiatur et concipitur mysteriosum illud *debeo.* Unde quaestio nec recens nec levis suborta est : quid psychologice contineat rô « debeo », et qua causa in nobis gignatur ; seu quaenam sit eius ontologica seu obiectiva explicatio.

Quae quaestio *jormaliter* differt ab hac altera : quotiescumque homo agit diversimode atque ex conscientiae dictamine agere debet, peccatne annon *theologice.* Prior quaestio huc pertinet ; altera ad tractatum do peccatis opportune differtur. Eam tamen a priore virtualiter pendere non negamus. Quocirca mere *formale* discrimen utriusque quaestionis affirmavimus.

Descriptio obligationis, seu nominalis eius definitio satis convenit inter doctores. Dicit *necessitatem obiectivam absolutam, voluntati impositam. Obiectiva* necessitas opponitur *subiectivac* coactioni vel determinationi ad unum, estque necessitas quae quasi obiectum intellectu percipitur et voluntati exhibetur. *Absoluta* est, quatenus aeque ac materialis seu physica necessitas omnem exceptionem excludit. *Voluntati imponitur,* quatenus voluntas simul se experitur psychologice liberam et tamen ligatam.

Cum descriptione ista concordat psychologica etiam receptiorum philosophorum analysis. Sic Rauii (1) in sensu moralis obligationis haec roporiebat : spontaneam (non liberam) ideam rei ut faciendae, conscientiam istius ideae tamquam rei liberae et tamen ultroneo rationis actu quasi extortae ; varios effectus tristitiae, pacis, tamquam signa istarum actionum.

Spontaneum istud dictamen, secundum multos, cohaeret cum quodam *innato* et *invincibili* appetitu, hac

(1) Revue de Métaphysique et de morale, 1V02, p. 653-660. Z* *gentiment d'obligation morale.*

saltem ratione invincibili, quod maneat in ipso actu quo ei contradicitur, ita ut secus agens sit quodam modo absurdus, dum eius conclusio practico-practica (seu de actione ut hic et nunc facienda) contradicit necessario indicio generaliori seu speculativo practico, quo indicat : bonum esse faciendum, malum esse vitandum.

Is autem appetitus estne formaliter appetitus *meae felicitatis,* ita ut intuitio nostra spontanea : bonum esse faciendum, malum esse vitandum, sit quaedam conclusio huiusmodi ratiocinii : Volo esse beatus ; beatus esse nequeo nisi bonum faciam et malum vitem. Ergo bonum faciendum est et malum vitandum ?

Declaratio ista ipso sensu intimo demonstratur falsa. Qui se obligatum dicit saepe a propria felicitate abstrahit. Immo solutum obligatione non se indic.t eo quod erronee existimet actionem faciendam propriae felicitati adversari. Puta quempiam materialistam, qui vitam praesentem, eam scilicet praeter quam nullam esse reputat, pro patria immolandam aestimet.

Idem dictamen obligationis cohaeretne potius cum alia voluntate profunda seu inclinatione ingenita, i. e. inclinatione ad illum ordinem quem ratio detegit, et ideo etiam *rationalis* vocatur ? Inclinatio ista ad bonum honestum est in ipsa nostra natura, quae, sicut esse divinum, sic divinam sanctitatem imitatur (1). Propter sanctitatem divinam Deus absolute vult ordinem rationis ; propter participatam Dei sanctitatem, voluntas nostra necessariam propensionem habet ad bonum simpliciter tale faciendum et ad malum contrarium vitandum.

Verum reperiemusne in quadam innata propensione seu necessaria *subiective* voluntate adaequatam *subiectivae obligationis* explicationem ? Si nosmetipsi psychologice observamus, dictamen istud : *Debeo,* plus exprimit quam ingenitam quandam propensionem seu inclinationem, utputa ad bonum honestum, quae permanet etiam quando particulari mea electione eidem contradico. Nam con-

ii) Cf. S. THOMAM, 1. 2. <l. 01 nrt. 2, c.

scientia nobis testatur plus quam istud: «ago contra inclinationem meam », quod mihi renuntiat quotiescumque appetitum quempiam abdico vel neglego. Conscientia inclinationis me duceret tantum ad condicionatum dictamen : « si vis tuae inclinationi obtemperare, ita agendum est ». Dum vocabulum *Debeo* multo magis absolutum est ; solutum est etiam ab omni inclinatione : hanc sive habeam, sive non, nihilominus *debeo.*

Si ita res se habent, non restat nisi istud : vocabulum *debeo* exprimit confuse apprehensam necessitatem *subtectionis* isti ordini ad quem habeo inclinationem; quae subiectio in natura mea creata seu dependente, immediate percipitur. Reddit igitur conscientiam cuiusdam Superioris cui parendum est. Ut aliis verbis utamur : *Debeo,* vocabulum istud non significat : *physica* necessitate *volo* : vel physica necessitate *inclino* ; sed *morali necessitate* cogor, morali, inquam, quia in percepta mea necessaria subiectione eadem percipitur : secus, male ago ; et male agere physice quidem possum, sed non possum alia ratione, quam moralem voco et quae mihi imponitur.

Itaque, *necessitas divinae voluntatis infinita* Dei *sanctitate* explicatur ; *moralis necessitas* nostrae voluntatis explicatur *nostra participata sanctitate* et percepta nostra *subtectione.* Non sola sanctitas nostra, sed sanctitas ista completa par intuitionem nostrae sublectionis, ligat moraliter nostram voluntatem.

SUMMARIUM.

159. — Eadem intellectione et voluntate qua mundum creavit, Deus eum ordinavit, ligans moraliter liberam voluntatem humanam, tam ad ordinem essentialem, quam ad ordinem positiva et munifica voluntate Ipsius superadditum. Conceptus autem moralis obligationis, quae exprimitur vocibus : *Debeo absolute,* non videtur explicari posse quadam voluntate profunda et physice necessaria appetendi, sive felicitatem propriam, sive bonum honestum ; sed exprimit necessitatem sublectionis ordini rationis, seu confusam saltem conscientiam Superioris cui parendum est.

[159.]

TITULUS PRIMUS.

De Legibus in communi.

Ordo dicendi is, naturaliter, erit, ut primo de legibus in corn, muni, dein do logo divina, tum de lego humana ecclesiastica, demum do lego civili agamus. Inter legem divinam et humanam breviter rationem iuris Gentium explicabimus.

Tituli dispositio. Primus isto Titulus in docom capita distribuemus hac ratione : I. *Legis notio et essentialia,* ubi do ipsa promulgatione dicemus; II. *Legis proprietates;* III. *Legis sanctio;* IV. *Legum divisiones* ; V. *Legis interpretationes* ; VI. *Legis auctor* ; VII. *Legis subiectum* ; VIII. *Legis observatio* ; IX. *Legis cessatio;* X. *Deminuta, legis ratio in praeceptis et consiliis.*

In generali tamen expositione, numquam istud praetermitti potest, rationem legislatoris non esso univoco in Deo et in homine, sed principaliter Deo, analogice, sub Deo, hominibus convenire.

Utilitas tractatus manifesta est, cum agatur do ipsa mensura actionum humanarum, quae sunt formalissimo obiectum theologiae moralis.

CAPUT I.

Legis notio.

160. — Ratio et Voluntas divina, quae mundum universum creant, eundem ordinant seu apte disponunt ad finem suum. Est enim mundus univorsus, cum partibus suis, totum quoddam cuius unitas et flnalitas sapienti ordinatione servandae et firmandae sunt. Apta autem dispositio erit efficax et naturae rerum attemperata» Ideo creaturae *irrationales* physica necessitate trahentur, rationales vero movebuntur quatenus in earum intellectu imprimentur, sine violatione earum naturae, dictamina practiea de ista suprema ordinatione observanda et complenda. I. e. inducendae sunt ad libere agendum et libere actione abstinendum. Et cum voluntas seu earum principium movens sit appetitus rationalis, induci sic nequeunt

nisi norma actionis intellectu percipiatur. Norma proin authentice vel auctoritative intellectui notificanda est; i. e. requiritur ordinationis divinae *intimatio* seu *promulgatio.*

Non absimili ratione, qui, sub Deo, ordinandas obtinent actiones humanas, sua dictamina practica imperative eorum quos regunt intellectui proponere debent.

Hinc classica demonstratur legis definitio: « Ordinatio rationis ad bonum commune, ab eo qni curam habet comunitatis promulgata » (S. Tu. 1, 2, q. 90 art. 4).

Ordinatio dicit dispositionem secundum principium imitatis, quod, quando agitur de universo mundo, est primario divina gloria, secundario vero, perfectio consummata seu beatitudo creaturarum rationalium.

Rationis regulantis : ratio enim dirigit actiones humanas.

Ad bonum commune, namque ipse finis ad quem diriguntur singuli homines est bonum eorum commune, sive Deum consideres, sive societates quibus homines ascribuntur.

Ab eo gui curam habet communitatis, sive titulo dominantis, sive titulo repraesentantis multitudinem disponendam ad finem. Hunc titulum memorat S. Tn. 1. 2, q. 90 art. 3.

Promulgata seu intimata, i. e. imperative communicata intellectui, in quo proin exsistit participative ordinatio ipsius legislatoris.

161. — Corollaria. I. Essentialia legis quatenus est ad bonum commune. Ad ipsum legis valorem requiritur : *negative,* ut sit *honesta·,* seu non inducens ad aliquid contra ordinem sive naturae sive legis divinae positivae ; ut sit *insta,* i. e. ut, quantum bonum commune permittat, iustitiam distributivam in bonis et oneribus communibus partiendis servet, et sic nullius ius laedat.

Positive opus est ut ad bonum commune conducat, ac proin, non solum physice sed etiam moraliter sit *observatu possibilis,* seu non nimis difficilis ; atque ut sit *necessaria,* vel saltem *utilis.*

De quibus condicionibus haec praeterea observanda sunt :

1. *Metaphysice repugnat ut* sapientissimus *Deus ordinet quae necessariis condicionibus non satisfaciant.* Undo hac condiciones solis legislatoribus humanis ipsa divina lege praescribuntur. In loge divina non sunt attendendae nisi, ubi ambigi possit, ad judicandum de vera origine ordinationis quae tamquam divina perhibetur.

2. *Valore* omni *destituitur lex quae inhonesta praecipiat,* neque umquam ad talem legem formaliter cooperari fas est. *Honesta* autem *esse potest* lex *quae mala quaedam non puniat, immo positive,* sine tamen formali approbatione, *permittat.* Quare, perspectis adjunctis, sanciri poterunt quaedam «libertates», v. g. preli, consociationum, opinionum, non quidem ut prava typis scribantur vel propagentur, praevidendo tamen homines multos ista facultate abusuros esse. Talia sanciri poterunt, si licentia ista magis optanda videatur quam libertatis rofraenatio.

3. Quamvis lex *iniqua* (seu iniusta), qua talis, invalida sit, fieri tamen potest ut propter partes utiles quas continet vel ad declinanda mala maiora, a bonis civibus toleranda et exsequenda sit, cum do bonis agitur quae libere abdicari possunt. Accedit tunc lex quaedam superior, ordinis naturalis, quae iubet ut propter ipsum bonum commune iniquitates istae (seu inaequalitates) tolerentur.

4. *Quacnam difficultas nimia sit,* ex personarum condicione et necessitatibus communibus aestimandum est. Sic religiosis, officialibus publicis, attento eorum statu, heroica interdum imponuntur. Sic tempore belli heroica a multis civibus exiguntur. Lex quae talia exigit fit utilis ad bonum commune, ita ut ratio cur non valeret deficere dicenda sit.

5. *Utilitas ad bonum commune* sufficit *indirecta* et *mediata.* De illa autem ipse legislator judicium fert. Quare manifesta postulatur inutilitas et quidem generalis, ut ob huiusmodi rationem oboedientia detrectari possit. Si in solo casu particulari cesset utilitas, saepe tamen lex observanda manebit, sive propter vitandum scandalum, sive quia lex ad praecavendum periculum generale lata erit. Tales sunt leges de prohibitione librorum. Tunc enim servandus est, si lex fuerit ecclesiastica, c. 21 : « Leges latae ad praecavendum periculum generale, urgent, etiamsi in casu peculiari periculum non adsit ».

Facilis praeterea est in hac re deceptio. Sic in homine valde mortificato, vel qui ecclesiam assidue frequentat, ratio praecepto-

rum do ioiunio vel de audienda missa die festivo, cessasse videri possit, dum tamen manet ratio observantiae communis.

Denique, ne maius malum sequatur, subditus quoque obligari potest ut legem inutilem observare porgat. Si tamen periculum alucinationis et scandali plane abfuerit, S. Alphonsus benigniorem sententiam non ausus sit improbare. V. g. si plane constet hominem baptizatum esse et frustra scribatur ad habendum documentum per se requisitum, poterit, ex epikeia, omitti ista documenti postulatio.

162. — II. Quatenus est pro communitate, ad eius essentiam pertinet ipsa promulgatio. « Leges instituuntur cum promulgantur», ait Codex canonicus, c. 8, § 1. Est autem promulgatio: *« Legis sollemnis intimatio ita facta ut communitati innotescere possit ».*

Non requiritur tamen ut lex stricte ad omnes pervenire possit, cum lex directe non singulos sed communitatem afficiat. Neque opus est ut iam actu *communitati* sit nota. Ex quo enim communitati innotescere potest, singulos qui legem norunt efficaciter obligare incipit. Privata autem communicatio, paucis sufficiens, ne illos quidem obligat qui legem seu ordinationem norunt. Facta autem promulgatione, non antea, lex omnes subditos obligat actu primo ; actu vero secundo eos solos qui ignorantia non excusantur, seu qui certam legis notitiam habent.

De aliis enim valet principium : « Nemo ligatur nisi per scientiam legis aut praecepti. Namque nemo quidquam homini seu rationali creaturae imperare potest, nisi dictamen eius practicum seu quod praecipere velit, cum mente illius cui imperat communicetur. Quamdiu autem hoc non vere, humano saltem modo scitur, non est communicatum nisi dubium seu suspicio dictaminis imperantis » Cf. S. Th., *De Veritate,* q. 17 art. 3.

Spectata rei natura, nam legislator de sua lege benignius statuere potest, quam late lex cognoscibilis est, tam late promulgatur et obligat in actu primo. Quare quae dubia de legis sensu poterunt studio privato enodari, per se non impedient quin lex secundum verum istum sensum promulgata sit. Et quacumque tunc via, v. g. authentica declaratione, sensus isto appareat.

excusatio ignorantiae simul tolletur. Fieri autem potest ut lex *objective* obscura vel ambigua sit, ita ut dubium inextricabile maneat. Authentica huius dubii explicatio distincta promulgatione opus habet, cum significatio ista non sit cum ipsa logo promulgata. Hinc, ex c. 17, § 2, interpretatio authentica quae logom dubiam explicet, debet promulgari.

163. — Lemmata. I. Vacatio legis. Etsi praesenti legis obligationi non sit necesse per se ut iam actu communitati innotescat, seclusa tamen peculiari ratione, humanus legislator obligationem legis prudenter differre solet, donec lex ipsi communitati moraliter innotescat. Per illud temporis intervallum, lex *vacare* dicitur.

164. — II. Leges physicae et artium. Lex dicit normam agendi. Inde, quatenus conveniunt in ratione *normae,* habentur quoque leges *physicae,* ad quas, subioctiva necessitate, irrationalia parent seu obsequuntur ; ot leges *artium,* quibus opera exteriora accommodanda sunt ut intentus finis utilitatis vel pulchritudinis obtineatur. Dum leges actionis humanae, quatenus sunt regula morum, etiam dicuntur leges *morales.*

165. — IIT. Praecepta. Etiam quae singulis imperantur facienda vel omittenda, referri possunt ad bonum commune sive immediate, ut si propter bonum commune imperantur, sive mediate, quatenus ipsum bonum privatum interest ad bonum commune. Ideo plura etiam personis singulis vel pluribus praescribuntur, quae dicuntur praecepta. (Cf. infra, accurationem notionem.)

SUMMARIUM.

166. — 1. Lex *definitur* : Ordinatio rationis ad bonum commune ab eo qui curam habet communitatis promulgata.

Ordinatio seu dispositio secundum principium unitatis, fit primario, quando agitur do universo mundo, secundum divinam gloriam, secundario, secundum bcatitudinom creaturarum rationalium.

Rationis regulantis.

Ad bonum commune, qualis est omnis finis hominis.

Ab co qui titulo dominantis vel repraesentantis multitudinem *curam habet communitatis.*

Promulgata, seu imperativo communicata intellectui subditorum.

II. *Ad valorem* logis requiritur *negative,* ut sit honesta, nihil praecipiens contra ordinem rationis vol legem superiorem, quamvis forte multa toleret mala ; ut sit, quantum patitur bonum commune. *insta,* seu servet normam aequalitatis et nullius iuslaedat; requiritur *positive,* ut ad bonum commune conducat ac proin sit observatu possibilis et saltem indirecte necessaria vel utilis. Ut communitatem regat, requiritur quoque ut per intimationem communitati innotescere possit, i. e. ut sit promulgata.

Singuli autem actu ligantur cum humanam de lege scientiam habent. Ad dissipandam veram legis obscuritatem, nova *promulgatio* est requisita.

III. *Vacatio* legis designat tempus per quod lex, benigna legislatoris voluntate, nondum obligat, quamvis sit promulgata.

Analogice sunt quoque leges mundi physici et artium.

IV. Singulis autem hominibus dantur, etiam ad bonum commune, *praecepta.*

CAPUT II.

Legis proprietates.

167. — Tamquam legis proprietates numerari consueverunt : *obligatio,* quod ad legis efficaciam, *universalitas,* quod ad subiectum ; *perpetuitas,* quod ad diuturnitatem ; extensio *ad sola Jutura,* quod ad extensionem temporalem. (Territorialitas non pertinet nisi ad legislatorem humanum.) Quatenus singulae intellegendae sint, breviter nobis est dicendum.

I. — *Obligatio legis.*

168. — Prima et communis efficientia legis dicitur obligatio. Nisi enim liget voluntatem, lex non valebit ad unitatem inducendam quam legislator praetendit. Ita quidem plerumque. Verum, ex ipsa ratione addita, perspicitur obligationem legis cohaerere cum eius efficacia, seu necessitatem

obligationis ex necessitate efficaciae derivari. Si ergo, sine proprie dicta obligatione, lex efficax esse possit, obligatio ad ipsam legis essentiam non pertinebit. Hinc distinguuntur leges *morales,* quarum transgressio culpam theologicam immediate inducit, seu quae immediate obligant; et leges *poenales,* quae mere imponunt necessitatem subeundae poenae; dum *mixtae* dicuntur quae sub peccato et poena obligant.

169. — De lege poenali. Inter scriptores Suarezio anteriores, fuere, v. g. Sylvester, qui negarunt haberi posse leges mere poenales : essentiae enim legis repugnare ut ad actum praeceptum non obligaret ; nec poenam infligi posse sine culpa, culpam autem negata obligatione excludi.

Obligatio tamen in legis definitione non exprimitur ; nec stricte in eius conceptu videtur contineri. Legislator enim qui vult ut suum dictamen practicum de re facienda a subditis evadat practicum dictamen commune subditorum, reipsa eos ordinare vult ad bonum commune. Eius itaque *voluntas* seu intentio est *voluntas legislativa.* Et si communiter efficax est ista voluntas, subditos re vera ordinat. Efficacia autem ista etiam sine obligatione seu vinculo voluntatis interdum obtineri potest ; ut si, apud studiosos perfectionis, spontaneam docilitatem a plerisque saltem obtineat; sicut etiam inulta praecepta singularia dantur efficaciter sine obligatione sub peccato, simplici voluntatis significatione. Si nunc poena quaedam exterior videatur opportuna sed sufficiens efficaci directioni, idem legislator poterit sola poena subeunda voluntatem ligare. Quae poena iusta est, quia lata est pro transgressione ordinis constituti *legitime,* quamvis non essentialis, nec sub peccato imperati. Delictum habetur in foro externo ; non est necesse ut habeatur in foro interiore. Et sic respondetur obiectioni: nulla poena sine culpa. Culpa habetur *iuridica* : quod sufficit.

Variat praeterea ipse modus concipiendi legem poenalem. In saeculo xix praevaluit explicatio per obligationem disiunctivam, quasi legislator optionem reliquerit oboedientiae vel poenae. Sic C. D'Annibale, *Summula,* I, n. 207 ; sic Bouquillon, *Thcol. Fundament.,* n. 131. Verum hodie sententia ista merito deseritur.

cum legislator minimo indifferenter velit unum vel alterum, sed immediate unum velit et imponat : oboedientiam legi suae, ita tamen ut moralis obligatio ad solam poenam subeundam vel patiendam terminetur. Namque, ut scribit Wernz (1): « Si obligatio tantum ad poenam subeundam imponitur, fieri potest ut non nisi post sententiam indicis obligatio oriatur ». Sententia ista, quae ascribitur Billuart (2), et placet Koch (3), Prummer (4), Makoto (5), iam repetitur apud Suarez (6), cum leges poenales esse dicat «obligantes sub comminatione poenae, licet non obligent in conscientia ad actum propter cuius transgressionem obligant ad poenam » ; et legem puro poenalem describit eam « quae solum habet *unum* praeceptum quasi hypotheticum, sustinendi talem poenam vel incommodum si id non fiat ».

In solis legibus humanis reperiuntur mere poenales; divinae omnes obligant conscientiam et poenis sanciuntur. In ipsis legibus humanis, Bouquillon (7) existimat leges mere poenales rationabiliter dari non posse, « nisi onus impositum ex se valeat ad specialem finem actus obtinendum, eiusque defectum aliquousque compensandum, non autem si vim mere coactivam habeat ». Sic intellegit ieiunium sub sola poena eleemosynae, tributum sub sola poena mulctae ; sed non posset usus vestis ecclesiasticae sub sola poena mulctae imponi, quia muleta non compenset rei iniunctae defectum. Id tamen non putamus constare. Suarez simplicius aestimat saepe, ad pericula animarum vitanda, expedire posse ut liat lex mere poenalis, « quia coactio aliqua est utilis ; et quod maior non fiat est etiam utile animabus et pertinet potius ad suavem providentiam quam ad rigorem » (1. c.).

170. — De gravitate obligationis moralis. Culpa sub qua lex moralis obligat ipsi materiae accommodata censetur,

(1) *Ius Decretalium,* I, n. 109. Ipso ceterum omni explicatione abstinet.
(2) *De. Lege,* dlss. 4, art. 4.
(3) *Lthrb. der Morattheologie,* P. I. S. 1. c. 2.
(4) *Manuale Theolog. moralis,* n. 209, ss.
(5) *Institutiones iuris canonici,* I. n. 221.
(6) *De Legibus,* 1. 5, c. 4, n. 1.
(7) *Theolog. mor. fundament,* n. 131,

ita ut sit gravis ubi res momenti gravis agitur, nisi legislator diversam voluntatem satis significaverit. Sicut enim ipso praecepto abstinere, sic vim sui praecpti temperare potest.

Ultra autem materiae capacitatem, seu graviter in re levi obligare legislator saltem humanus non potest.

Ipsius autem legis momentum ex obiecto et fine prudenter metiendum est, ut magis declarabitur in tractatu de peccato.

II. — *Legis universalitas.*

1T1. — «Lex est commune praeceptum » (1). Dicitur itaque universalis, quatenus, etsi plures leges nec collective nec distributive ad omnes subditos sint applicabiles, et dentur leges quae unam personam directe respiciant. v. g. Pontificem, Regem, omnis tamen lex subditos formaliter considerat non ut personas singulares, sed ut pertinentes ad communitatem, cuius sunt caput vel membra. I. e ut in allato exemplo insistamus, lex erit non de Gregorio Pontifice vel de Eduardo rege, sed de Pontifice vel de Rege in genere.

Sic autem intellecta universalitas est vera legis proprietas, cum fluat ex ipsa legis essentiali notione, qua dicitur esse ordinatio ad bonum commune.

Etenim, si est ad bonum commune, sub *respectu suae relationis* ad communitatem personas singulares vel familias vel minores coetus attinget. *Respectus* demonstrabitur vel *munere* (lex de vicario generali) vel genere seu *condicione* (lex de clericis) vel *loco* seu *habitatione* (lex de incolis, de peregrinis).

Sane ipso bono communi postulari potest ut cuidam singulari personae qua tali imperetur; sed iussio ista alio nomine vocabitur : *praecepti.*

Ne confundas itaque communitatem *pro qua* lex ferri potest, et communitatem *de qua* fit lex. Prior talis esse debet ut sit vel

(1) CI. Suarez, *De Leoibus.* L. I., c. e, n. 17.

possit esso communitas perfecta ; altera potest esse quabscumque etiam minor communitas. Sic lex non fertur pro parochia ; bene autem fieri potest lex *de tali parochia.*

III. — *Legis perpetuitas.*

172. — Omnis lex est perpetua, hac saltem ratione, quod, mortuo eius auctore, ipsa non cessat. Legis enim auctor, qua talis, repraesentat communitatem, quae morte principis non desinit.

Generatim quoque lege providetur permanenti societatis necessitati vel utilitati. Quare pleraeque leges hac quoque ratione sunt perpetuae, quod non sint factae in certam diem, sed manere soleant donec explicite vel implicite abrogentur. Hoc sensu dicuntur interdum « perpetuo valiturae ». Sed leges humanae non sunt *positive perennes.* nec perennitas in ratione legis continetur. Nihil prohibet quin leges fiant, etiam divinae, in certum tempus vel donec adiuncta perseverent. Cogita *Vetus Testamentum,* quod, translato sacerdotio, abrogatum est (1). Talis lex temporaria, teste S. Officio 20-22 mart. 1918, sunt praescriptiones de modernismo debellando (A. A. S. X., p. 136).

Positivae igitur legislatoris voluntati tribuendum est, si sanctiones temporariae, qua tales, alio ac legis nomine appellentur.

Itaque positiva perpetuitas nequit stricte exhiberi tamquam legis proprietas.

IV. — *Extensio ad sola futura.*

173. — Leges respiciunt futura, non praeterita, nisi nominarim in eis de praeteritis caveatur. Sic sapienter Codex canonicus, c. 10.

Si solum effectum *obligationis* consideremus, regula de applicatione legis ad sola futura est vera legis proprietas.

(1) Cf. eplst. ad Hebr. 7, 12.

quae nullam patitur exceptionem. Cum enim lex non possit nisi mediante promulgatione seu notificatione suam obligationem imponere, manifestum est nullam obligationem haberi posse nisi sit lege posterior. Actus facti tempore quo lex non erat, legem violare non potuerunt, vel quempiam reum constituere. Verum leges alios effectus habent permanentes in condicione juridica (v. g. administratoris, professi) cui initium dederunt. Atque in potestate est legislatoris ut novae legis regimen applicet ad praesentes effectus actuum anteriorum vel status antea possessi. Nihil ipsum impedit quin actum iuridicum, v. g. testamentum, venditionem, invalidum declaret, quia condicionibus novae legis minime sit satisfactum. Bonum tamen commune postulat ne cives in pacifica possessione rerum suarum sine speciali causa turbentur. Quare Codex enuntiat principium admissum de « non retroactivitate legum », temperatum tamen exceptionibus clare statutis.

Principii istius corollarium est, *iura quaesita* nova lege non tolli.

Omnis autem difficultas est in explicando *iure quaesito*, cui lex nova per se non derogat. Etymologice *ius quaesitum* idem est quod *ius acquisitum*. Duplicem autem iuris quaesiti explicationem tradidimus in *Epitome iuris canonici* (I, n. 45 a).

1. Ex lege antecedente qua tali, nullum ius quaesitum immediate oritur. Lex enim cognoscebatur mutabilis, et quod in sola lege fundabatur, cum fundamento seu lege corruit necessario. Sic, quaenam sit capacitas vel incapacitas personae minoris, ex lege praesenti est aestimandum. Sed habetur ius quaesitum, cum titulus diversus a lege, v. g. contractus, intervenit ad firmandum aliquam condicionem iuridicam seu aliquem honorem seu privilegium. Sic actus legitime facti a minore secundum ius praecedens, per se manebunt validi, quamvis, ex nova lege non possint iam tales actus valide ab ipsis fieri.

2. Ius quaesitum tollitur, si propter factum suum praeteritum, seu non observatam legem novam, quispiam incommodum seu detrimentum patiatur. Non tollitur vero, si lex ei applicatur, quia, independenter a facto suo praeterito, in requisitis applicationis condicionibus nunc versetur. Supponas novam incapaci-

tatem induci pro clericis vel professis : etiam qui ante Codicem facti erant clerici vel professi, hanc incapacitatem contrahent, nisi legislator positive velit benignius eosdem tractare.

SUMMARIUM.

174. — *Proprietates* legis sunt :

I. *Obligatio,* quatenus efficacia directionis eam postulat. Inde logis *morales* sub culpa, *poenales,* sub poena, *mixtae,* sub culpa et poena obligantes.

Lex *poenalis* non est concipienda ut disiunctiva ; sed eius efficaciae, per solam poenae sanctionem, sine alia obligatione prospicitur.

Gravitas obligationis moralis censetur materiae accommodata ; nec legislator saltem humanus ultra materiae capacitatem obligare potest ; ipsi tamen integrum est infra talem capacitatem obligare.

II. *Universalitas,* quatenus sub ratione communi non autein individual!, attingit subditos.

III. *Perpetuitas,* quatenus, mortuo auctore, lex non desinit. Potest autem lex fieri in certum tempus.

IV. *Extensio ad sola jutura,* quatenus per se lex non respiciat praeterita nisi id expresse caveatur. Quare iura quaesita non tollit : i. e. non supprimit titulum, diversum a lege superiore, quod condicionem iuridicam immediato fundet ; nec propter facium praeteritum molestiam seu incommodum subditis generat.

CAPUT III.

De Legis sanctione.

175. — Sanctio dicit, primo *actum jaciendi decretum* seu legem; inde, iure hodierno, non raro, hoc nomine vocatur actus quo rex vel reipublicae praeses, subscripto nomine, legem veluti complet. Dein significavit *ipsam legem* seu decretum, maxime quae poena urgetur. Et quia tam poena (piam lex decernitur seu sancitur, sanctio usurpatur de *coactione poenali* quae ad firmandam legem vel ad compensandum

detrimentum sociale, legis violatione effectum, ad legem est addita.

Poena proprie est *malum voluntati contrarium et prop ter culpam illatum*. Distinguitur *coiicomitans,* quam legis violatio secum, maiore vel minore necessitate intrinseca, affert (quare dicitur quoque sanctio interna), et *externa* seu *inflicta,* quae causam extrinsecam habet. Omnis poena, ut denuntiata, est *medicinalis,'* denuntiatur enim ut lex melius observetur : ut inflicta autem, *medicinalis* est quae immediate tendit in emendationem seu bonum ipsius delinquentis, dum *vindicativa* est in violati ordinis vindictam irrogata.

Ista legis *sanctio cum* eius *obligatione confundi non potest.* Obligatio ad directivam legis vim, sanctio ad eius vim coactivam pertinet. Obligatio omnes afficit subditos; sanctio solos legis transgressores. Obligatio postulat voluntatem liberam subditorum ; sanctio per se repugnat voluntati ; obligatio est immediate ligatio ad bonum ordinem, sanctio est immediate privatio cuiuspiam boni.

Per se quidem tam per *praemia* quam per poenas bona voluntas iuvari potest, et oppositio passionum temperari. Et sic, ampliore usu sumitur vocabulum, v. g. aNOLDix, *Principia n.* 108. Humani tamen legislatores stimulum praemiorum suis legibus addere non solent. Neque id generaliter facere possent. Cum enim satis universalis procuretur *externa* legis observatio, ad quam solam legislator humanus attendere potest, plerique cives essent praemiandi. Cum autem subsidia ipse ex ipsa communitate haurire deberet, praemio nimis generali non posset nisi communitati restituere quod a communitate accepisset ; i. c. cives in praemium propria sua dona acciperent. Igitur etiam hac ratione lex divina humanae praestat, quod virtutem infinito praemio remunerat.

SUMMABIUM.

176. — *Sanctio* logis nunc dicit coactionem poenalem qua lex urgetur. Poena, seu malum voluntati contrarium et propter culpam illatum, distinguitur concomitans seu interna, et inflicta. Solus Deus simul legem suam magnificis praemiis sancit.

CAPUT IV'.

Legu II divisiones.

1'H. — Iam insinuavimus divisionem ex *auctare,* quae in cap. VI magis demonstrabitur. Ex *sanctione,* distinximus leges *morales, poenales* et *mixtas.*

Praeter istas divisiones, hae nobis attendendae sunt.

1. Lex affirmativa et negativa. — Lex *affirmativa* actum praecipit ; lex *negativa* actum prohibet. Utraque obligat quamdiu viget, ac proin *semper* ; prior tamen non *pro semper.* Etenim actus prohibitus, intra prohibitionis terminos, quovis momento omittendus est ; dum non quovis momento faciendus est actus praeceptus.

Praeterea, omnis lex affirmativa iustas admittit dilationes atque etiam omissiones ; omissio enim alicuius actus non afficit intrinsece alios actus qui fiunt : hi manent in se quales erant, boni vel mali. Contra autem, actus prohibitus, est, manente prohibitione, intrinsece vitiatus. Et quando prohibitio in ipsa natura legitur, universalitatem et firmitatem ipsius naturae habet: quare a negativa lege naturali nulla difficultas excusat. Contra, vetita iuris positivi temperantur excusationibus secundum rationabilem legislatoris voluntatem. Quod valet de ipso iure divino. Sic ipse Dominus factum probavit Davidis qui, fame pressus, panes propositionis manducavit quos soli sacerdotes comedere permittebantur (1). Sed in N. T. nulla legitur prohibitio iuris simul positivi et divini.

П8. — 2. Lex fundata in probationibus, ut quae dividit hereditatem vel punit delinquentes, et lex fundata in praesumptione vel in fictione. *Praesumptio* definitur: « rei incertae probabilis coniectura » (c. 182, § 1).

Dupliciter autem lex in praesumptione fundari potest: a) In praesumptione *periculi generalis:* tunc *probabilitas*

(1) I *Rea.* 2, 10: S. MaTTH. 12, 3. 4.

periculi legislatorem movet ad universalem quandain sanctionem ferendam. Sic, ad praecavendum generale periculum perversionis seu detrimenti spiritualis, lex canonica vetat ne sine facultate legantur libri pravi vel certi argumenti ; lex civilis, ad praecavendum generale periculum neglegentiae, obligat reum culpae mere civilis ad damnum reparandum. Cf. d'ÀNNiBALE, I, 208. Tali lege indicium periculi subditis subtrahitur. Quare ex c. 21, lex huiusmodi urgenda est « etiamsi in casu particulari periculum non adsit ».

b) In praesumptione *tacti,* «cum pro certo habens aliquid factum fuisse, quia sic communius fieri solet, ex eo supposito facto... lex iura et obligationes constituit » (d'ANNiBALE, I, 208).

Praesumptio ista est *iuris tantum,* si contraria probatio in foro exteriore admittitur ; est *iuris et de iure,* cum index ad contrariam probationem attendere vetatur. Sic leges omnes tam canonicae quam civiles legitimum praesumunt filium natum ex muliere coniugata. Sed aliae permittunt probationem contrariam, dum aliae vetant « ne de patre inquisitio fiat ».

Sic « celebrato matrimonio, si coniuges simul cohabitaverint, praesumitur consummatio, donec contrarium probetur » (c. 1015, § 2) ; dum « res iudicata praesumptione iuris et de iure habetur vora et iusta, nec impugnari directe potest » (c. 1 4, § 1) (I).

Hactenus, praesumptio *iuris.* Habetur quoque praesumptio *hominis* « quae a indice conicitur » (c. 1825, § 1), de quo Codex can. hoc statuit, c. 1828 : « Praesumptiones quae non statuuntur a iure index ne coniciat nisi ex facto certo et determinato, quod cum eo de quo controversia est directe cohaereat ».

Sed, quaecumque sit lex fori exterioris, in foro *interiore,* praesumptio facti cedit veritati. Quare si factum re ver.i non acciderit, secluso scandalo aut altiore observantiae motivo. lex illa conscientiam non ligat.

(1) Admittitur tamen indirecta probatio, hoc eet, contra ipsum factum quo praesumptio fundatur (c. 1826). Sio errorem sententiae definitivae demonstrare non possis, possis autem nullitatcm sententiae probare.

1Î9. — Quaedam leges in fictione fundatae *videntur.* In materia sibi subiecta, potest legislator, ob commune bonum, iuridice transferre dispositionem ultra veram speciem facti qua regulariter innititur : v. g. (quod lex tam canonica quam civilis efficit) reputare *legitimos,* filios quorum parentes deinceps legitimo foedere iunguntur. Definitur itaque *fictio, legis adversus veritatem in re possibili atque ex insta causa dispositio* (Bouquillon, *Theol. fundam.*. n. 162).

Leges huiusmodi obligant subditos, sed neque in casus non expressos ipsae transferri, neque earum effectus assimilationis ampliari possunt.

die vera tamen fictio nullam legem fundat vel fundare potest, cum fictio in se nihil sit. Sed ratio quaedam boni communis, v. g. aequitas, inovet legislatorem (ac proin fundat legem) ut beneficium vel effectus legis ultra meritum causae extendat. Sic cum dicitur « pro praesente habetur canonicus infirmus », re vera istud significatur: distributiones inter praesentes etiam absenti infirmo conceduntur. Ac mentio de *fictione* non est utilis, nisi quatenus breviorem legis enuntiationem permittat. Sed quia mentio ista simul decipere potest, non immerito plures appellandis « fictionibus » nuntium dare velint. Quare optime Codex can. c. 1117, iam non dicit : « filii per subsequens matrimonium légitimai! fictione pro legitimis habentur », sed, omissa voco fictionis, directe sic statuit : « Filii légitimât! per subsequens matrimonium, ad effectus canonicos quod attinet, in omnibus aequiparantur legitimis, nisi aliud expresse cautum fuerit ».

ISO. — 3. Lex mere iubens aut prohibens, et lex irritans. Etenim, praeter efficientiam obligationis, non sola lex divina sed etiam lex humana, tam canonica quam civilis, ut efficaciter bono communi consulat, certos actus qui, in se inspecti valerent, *irritos* facere potest.

Irritatio ista interdum *certa* est, interdum vero controversa seu *dubia.* Sic, ipso naturae iure, nullum est matrimonium inter parentes et filios attentatum ; sed minus constat nuptias inter fratrem et sororem ipso naturae iure infirmari. Et cum certa est irritatio, hoc interdum ambigitur, utrum iuri divino an humano irritatio ascribenda sit.

[179.180.]

Sic, estne iure naturae an iure humano constitutum impedimentum vis et metus in matrimonio : rem auctores controvertunt.

Porro lex divina naturalis prohibet quod irritat, dum lex humana, saltem civilis, interdum fieri permittit quod tamen iuridice inefficax esse vult : v. g. testamentum informe. Consequenter, ut patet, variat legis obligatio.

Verum plura alia distinguenda occurrunt.

a) Lex potest actum *plenissime* irritare, i. e. efficere ut re ipsa seu pleno iure nullius sit valoris ; vel tantum post *sententiam* iudicis actum irritum habere. Quae sententia nullitatem interdum mere *declarat,* interdum vere *efficit.* Si sententia est mera declaratio nullitatis, eius vis dicitur « *retrotrahi* », seu retrorsum agere ad ipsum momentum quo actus factus est, qui proin a primo momento nullus fuisse reputatur ; altero casu, effectus usque ad sententiam iudicis producti firmi manent.

Lex potest tollere ipsam obligationem *naturalem,* aut mero in foro exteriore vel auferre *actionem,* vel reo praebere ‹ *r.ceptionem* qua actorem repellere queat: haec est irritatio improprie dicta.

Porro plenissima irritatio, quae ipso facto ipsam naturalem obligationem tollat, praesumi non potest, sed ex verbis legis aut ex fine qui secus non obtineretur, demonstranda est. Cf. d'ANNiBALE, I, 206 (52); Lehmkuhl, I, 315.

De sententia indicis illud quoque observandum est, dum in iure canonico (cf. cc. 1679-1G82) actio directe conceditur ad obtinendam a indice declarationem nullitatis, in foro civili huiusmodi actio plerumque non habetur, sive quia ipsa apparentia actus civilis desideretur, ut si testamenti *verbalis* irritationem obtinere volueris, sive quia nullus usus fit actus infirmi, ita ut actor praesens « intéressé » non habeat. V. g. si haeres testamento informi institutus sinat ut haeres ab intestato hereditatem capiat, haeres is legalis, quamdiu alter bona non vindicet, frustra a iudice sententiam de testamento postularit.

b) Potest lex actum irritare *absolute,* vel tantum *in gratiam* alicuius, v. g. minoris. Huic soli tunc (vel tu-

tori aut ei qui pro ipso agere potest) competit vel exceptio ad repellendum actorem vel actio ad repetendum quod solverit. Sic etiam saepe *metus* a sola parte quae metum passa est opponi potest.

c) *Condicio* irritationis potest esse *laesio* seu damnum. Unde vulgatum istud, cuius postea vim accuratius definiemus: « Minor non restituitur tamquam minor sed tamquam laesus ».

SUMMARIUM.

181. — *Legum divisiones.* I. Ex *sanctione* sunt leges morales, poenales et mixtae.

II. Ex *obiecto,* lex affirmativa actum praecipit, et, quamvis semper obliget, admittit tamen dilationes et etiam omissiones; lex *negativa* actum prohibet, et obligat semper et pro semper. A negativa loge naturali nulla difficultas excusat.

III. Ex *fundamento* suo, lex alia innititur *demonstrata re.* alia in *praesumptione,* vel in ipsa *fictione.* Praesumptio (seu coniectura ex probabilibus indiciis) potest esse periculi generalis: haec obligat etiam si, in casu particulari, periculum cesset; vel praesumptio facti : haec praesumptio est vel iuris tantum, si admittit probationem contrariam, vel iuris et de iure, si talem probationem excludit. Fictio (seu, ex iusta causa, dispositio adversus veritatem in re possibili) extendit beneficium vel effectus legis ultra meritum causae exterioris.

IV. Ex *efficacia* sua, lex more iubet aut vetat, vel etiam actum infirmat: aut plenissime aut (non semper speciali actione) post sententiam iudicis ; sive ipsa obligatio naturalis, sive sola actio civilis (absoluto vel in gratiam alicuius) tollatur.

CAPUT V.

Legis interpretatio.

(82. — I. Notio. Divisiones. — 1. Interpretatio legis est *sensus in lege contenti explicatio.*

Stricte sumpta sensum supponit dubium et obscurum, ac differt a *declaratione,* quae est *legis* etiam clarae *expositio verbalis.*

2. *a)* Spectato *auctore* : *authentica* est quae fit a legislatore vel ab eo cui id commisit, eosque saltem obligat quibus data et imposita est. Fit non solum per *legem,* a legislatore, sed etiam per modum *sententiae,* a quovis tribunali competente, in causis quas dirimit, et per modum *rescripti,* in re peculiari, v. g. a S. Congregatione Romana. *Doctrinalis* est, quae fit a peritis.

Usualis, quae fit per consuetudinem, de qua. c. 29: « Consuetudo est optima legum interpres ».

b) Spectato *fonte* unde lumen petitur, *mens* seu anima legis, vel ex verbis vel ex aliis adiunctis colligitur. *Verba* in primis adeunda sunt, et sumi debent secundum sensum usualem (non philologicum) et in curia receptum. Si tamen mens aliunde (ex adiunctis. fine, etc.) constet, verba pro mente deserenda sunt. *Ratio* legis, nisi ipse Princeps eam ut adaequatam actu satis publico manifestavit, periculosam efficit interpretationem, praesertim cum lex non ipsa ratione sed verbis quibus concepta est contineatur (Cf. d'ANNiB. 1,186). Et quia ratio legis non est lex, nisi rationabilis voluntas legislatoris id postulet, ab uno casu in alium, propter similitudinem transferenda non est. Ampliatio tamen ista postulari potest *correlatione* casuum : quod de sponso statuitur per se valet de sponsa ; iuridica *assimilaitone :* sic ius canonicum electionem et postulationem aequiperat : *conexione* et *virtuali comprehensione* : facultas testandi facultatem legandi continet.

Ad fallacias vitandas, haec hodie bene attendenda sunt: mens *legis* cognoscenda est, non hominis qui est legislator. Quare mens legis seu legislatoris qua talis non est mens seu intentio quam legislator privatim vel post factam legem, non tamen actu legislative manifestat; nec mens singulorum qui legem collegialitcr condunt ; nec mens eorum qui legem praepararunt vel scripserunt. V. *g.,* cum de Codice canonico agitur, mens legislatoris est mens Pontificis promulgantis, non autem Commissionis qua laboriose confectus est. Inde tamen subsidia ad detegendam legis mentem afferri possunt. Nam v. g. mens quam acta commissionis manifestaverim. eadem praesumi potest ac mens Pontificis qui opus commissionis approbavit.

d) Spectato *genere interpretationis,* alia lex *late,* alia *stricte* interpretanda est. Numquam quidem lex ita *late* sumi potest ut ultra sensum tum naturalem, tum iuridicum verborum extendatur ; nec *strictius* interpretanda est quam fert iustitia legis et proprietas verborum, una cum ratione legis, quae etiam conservanda est. Sed quando, salva verborum proprietate, verba duplici usu sumi possunt, amplior usus latam, restrictus usus strictam interpretationem efficit. Vox v. *g. clericus* religiosos et episcopos comprehendere vel excludere potest. In *javorabilifrus,* ubi latae interpretationi locus est, nomine clerici religiosos et episcopos quoque intellegemus, non autem in *odiosis* et *onerosis :* haec strictam interpretationem postulant. « Odia restringi et favores convenit ampliari (1) ».

Quaenam lex favorabilis, quaenam odiosa censenda sit, id in primis ex ipsa *materia* eruendum est. Inde, c. 19 : « Leges quae poenam statuunt, aut liberum iurium exercitium coarctant, aut exceptionem a lege continent (2), strictae subsunt interpretationi ». Ac generalius dicemus stricte interpretandas esse leges quae immediate onus imponunt, late vero quae facultatem seu potestatem faciunt. Facile fieri potest ut locus sit dubitandi. Sic. c. 522 de confessario quem religiosae adire possunt alii late, alii stricte interpretantur. Iinmo lex interdum ex parte estfavorabilis, ex parte odiosa. Tunc, si favor et odium separari possunt, utrique interpretationi simul locus erit. Ita lex (quae, ante Codicoin, vocabatur privilegium canonis) qua personae ecclesiasticae ab iniuriis personalibus, sanctione poenali proteguntur, favorabilis est quatenus personas protegit, odiosa quatenus poenas infligit. Late ergo intellegemus personas protectas; stricte, inflictas poenas. Si pars odiosa a favorabili separari nequeat, directa legislatoris intentio observanda est : puta concessionem pensionis qua alieni reditus graventur, quae late sumenda est. Cf. Palmieri, *Op. th.* I, tr. 3, n. 68.

Quae vero Princeps, *praeter legem,* ex *liberalitate* concesserit, amplissime interpretanda sunt. Decet enim et ad

(1) Reg. 15 Iuris in VI.

(2) Quaenam lex dicenda hic sit exceptionem a lege continere, non adeo commodae e«t explicationis. Sed res pertinet ad Jurisperitos.

bonum commune confert ut Princeps ad benignam liberalitatem propensus aestimetur.

e) Affini sed propria interpretationis *authenticae* divisione, interpretatio distinguitur *comprehensiva, extensiva, restrictiva.* Prima verum sensum legis reddit: hanc solam privati facere possunt; altera legem ad casum prius non comprehensum traducit, ut cum ad ficte absolventes complicem translatum est quod de vere absolventibus statutum erat ; tertia, casus lege eximit quos rationabilis legis intellectus comprehendebat: ut cum c. 542, verba « qui sectae acatholicac adhaeserunt » de iis solis qui a fide catholica recesserint et dein sectae acatholicae nomen dederint intellegenda dicuntur (Cf. resp. 7"™, 16 oct. 1919, Commissionis de Codicis interpretatione, A. A. S. 1919, t. 11. p. 477. *Per.* X, p. 101).

183. — Dcbetne authentica interpretatio promulgari? Ex ipsa rei natura, interpretatio *extensiva* aut *coartativa* intimanda vel *promulganda* est ut obliget. Veram enim legis mutationem continet. Si autem *comprehensiva* fuerit, sed veram obscuritatem dissipet, alii, attento solo naturae iure, promulgationis necessitatem negant, quam alii affirmant. Priores arguunt hic non agi de nova lege, sed de antiqua quae, secundum verum suum sensum iam promulgata erat (1) Alii, contra, legem vere dubiam nullam esse, ac proin nova, cum authentice explicatur, promulgatione indigere. Ita Wernz, *Ius Decret.,* I, n. 127. Huic consentit positiva lex c. 17 § 2.

184. — Dc epikeia. Epikeia dicitur ea legis interpretatio qua, contra verba etiam clara legis, sed secundum mentem legislatoris, quidam casus e legis dispositione prudenter eximitur. Cum lex enim disponat secundum id quod plerumque fit, in casu particulari deficere, immo nociva fieri potest : quod legislator rationabiliter aestimatur noluisse. Cf. Palmieri, *Op. theol.,* I, tr. 3, n. 469-471.

(1) Palm., Op. *tiieol.* I, tr. 3, n. 4G5.

Locus vero est epikeiae si, in casu particulari :

a) Lex aliter intellecta, iniqua fieret aut iusto gravior ;

b) Si, attenta usuali interpretatione, legislator prudenter conicitur in tali casu noluisse obligare. Exemplum prioris causae erit, si haereticus quem ad fidem adducere coneris, tibi, ex libro proscripto legendam offerat difficultatem statim solvendam : locum legere ex epikeia licebit. Posterior causa in rebus levioribus, v. *g.* in observatione regulae silentii, potissimum contingit.

In lege autem *naturali,* cum sit posita in recta ratione, cum vetet quae intrinsece sunt illicita, et ordinem firmet hominibus indispensabilem etiam in casu particulari, nullus proprie dictae epikeiae est locus. Cf. Suarez, *De Legibus,* L. 2, c. 16, n. 9 et 10.

SUMMARIUM.

185. — Legis *interpretatio,* seu sensus in loge contenti explicatio, non est mere declaratio verbalis.

Authentica fit a competente auctoritate sive per legem, sive per sententiam, sive per rescriptum : hi saltem obligantur quibus data ot imposita est interpretatio.

Usualis fit per consuetudinem.

Doctrinalis fit a peritis. Hi primo debent ex verbis legis, dein ex aliis adiunctis, prudenter autem ex logis ratione, mentem legislatoris, qua talis, colligere.

Spectato *genere interpretationis,* lata vel stricta esso potost, Lato sumendae sunt loges quae immediato facultatem sou potestatem concedunt ; stricto, quao immodiateo nus imponunt ; amplissime, quao liboralo beneficium principis continent.

Authentica interpretatio distinguitur comprehensiva, secundum verum logis sensum ; extensiva, quae legem ampliat ; restrictiva, quao legis vim diminuit. Hae duae posteriores proinulgandao sunt. Cohtrovcrtitur utrum necno comprehensiva, si logom objective obscuram explicat, *per se* indigeat promulgationo.

Epikeia est interpretatio vorbis logis contraria sod menti consentanea, qua quidam casus prudenter eximuntur, quia secus

lox ovadorot iniqua, vol nimis severa. Ratio opikoiae non est vitiuin logis, sed eius natura, quae tantum casibus ut plerumque fiunt providere potest. In loge naturali nullus est locus opikoiae.

CAPUT VI.

Legis auctor.

186. — Manifestum in primis est ad eum qui finem praestituit et dominus est eorum qui ordinandi sunt in finem, pertinere ipsam ordinationem ad finem, ita ut ipse sit, ante omnes alios, legislator. Dein, subordinate ad ipsum, ordinatio spectat ad eum qui finem assequi debet. Quare universaliore ratione valet id quod S. Thomas de sola potestate humana dixisse videtur: « Ordinare in finem est eius cuius est proprius ille finis » (1).

Finis universi mundi est Deus. Ipse itaque Deus demonstratur Legislator *primus, ante quem* nullus est ; *supremus,* contra quem nemo quidquam legitime aut valide potest ; *universalis,* cuius imperio nihil subtrahitur.

Legislatores deinde sunt qui praesunt communitati seu multitudini sociali.

Hi dicuntur *repraesentare* multitudinem, saltem hac ratione quatenus pro ea agunt et propter eius bonum. Multitudo enim ad quam finis pertinet, nequit qua talis agere vel ordinare : qua talis, regenda et ordinanda est, ita ut per distinctas ab ea personas ipsi sit providendum.

Auctoritas autem ordinationi faciendae necessaria communicatur per Deum, sive ipsa voluntate qua societates humanas esse vult, — i. e. voluntate Auctoris naturae (2), — sive voluntate positiva, qua in Veteri Testamento constituit Moysen, Indices, Reges ; qua in Novo Testamento constituit Ecclesiam eamque regendam tradidit Petro eiusque successoribus.

(1) In 1, 2, q. 90 art. 3 c. Cf. commentarium Caiktani.

(2) Omittimus autem quaestionem de primo sublecto in quo insit ipsa auctoritas civilis.

Observes, ne quidem iu democratia perfectissima, legum confectionem ad multitudinem qua talem spectare posse. Namque etiam ubi venitur ad sic dictum *suflragium univereale,* quotquot membra multitudinis propter incapacitates sive naturalem, qua pueri, amentes laborant, sive legalem aetatis, sexus, improbitatis, suffragiis participandis arcentur, nullam in legibus conficiendis partem habent ; et res definita quadam pluralitate (ergo non ab omnibus) decernuntur.

Ipsa potestas legislativa delegabilis est ; et ubique, a suprema auctoritate, certa communicationis vel delegationis ratione, ad alios pervenit.

187. — Sunt verae leges humanae. Si omnis potestas legislativa a Deo proficiscitur, si per se in solo Deo inest, haec potestas igitur ceteris legislatoribus et Deo non univoce competit ; et vera quadam ratione Deus laudari potest tamquam *solus* legislator, sicut tamquam solus Dominus ab Ecclesia in cantu « Gloria in excelsis r celebratur.

Quia tamen vera potestas imperandi a Deo hominibus confertur, et plura sunt quae ipse hominibus ordinanda et definienda esse sinit, leges, ab auctore a quo proficiscuntur, vere aliae sunt *divinae,* aliae *humanae.*

Fuere qui veram vim causandi legem ab hominibus abiudicarcnt, qui tunc mere ponerent condicionem, qua posita, obligatio ex lege divina oriretur, ita ut omne ius foret divinum, sive absolute, sive condicionate. Sed condicio, quae interdum necessaria est ut causa operetur, effectum non sibi assimilât sicut leges positivae factae ab auctoritate humana voluntati legislatoris humani, sive quod ad id quod iubetur, sive quod ad vim qua iubetur, sive quod ad tempus per quod iubetur. assimilantur (1).

188. — lurisdidio. Potestas porro leges ferendi pertinet ad potestatem universalioris rationis quae vocatur

(1) Cfr. v. g. SciilFFiNi, *Principia,* n. 608, ubi causam a condicione distinguit, co quod condicio nihil influit» ita ut, suffecta condicione acqnlvalenti, causalltap eadem numero manere queat.

iurisdictio. Haec est potestas regendi multitudinem, seu eam efficaciter dirigendi tam per leges quam per praecepta, iudicia et poenas. Ac re vera, omnibus istis modis, *ius dicitur,* i. e. generali vel particulari ratione statuitur id quod titulo cuiuspiam iustitiae exigi potest.

189. — Leges illegitime imperantis. Per se, leges et sententiae legitima auctoritate ferri debent. Latae tamen ab usurpatoribus quoque obligabunt, si hi regnum pacifice possideant atque a re publica tolerentur. Batio est ipsa necessitas boni communis, quae postulat ut ab eo qui curam eius gerit, communitas ad finem suum efficaciter dirigi possit. Legitimus Princeps id ratum habere censetur, vel ipse Deus eius consensum supplet.

Immo positiva pactione, ante nuperrimum bellum, sancitum erat, ut invasor territorii decreta ferre posset quae, dum precario regionem occupat, necessaria ad pacem tuendam esse viderentur.

Verum ultra istam necessitatem ct propriae securitatis rationem imperare nequit. Facile autem abusiones in hac re committi, ipsa facta luculente demonstrant.

SUMMARIUM.

190. — Aliquo voro sensu, Deus est solus Legislator. Dependentor ab Eo, communicata potestate, veri sunt quoque legislatores humani : hi repraesentant multitudinem, saltem quatenus pro oa agunt. Eorum voluntas est vera obligationis causa, non mera condicio.

Potestas logislativa pars est potestatis *iurisdictionis,* i. e. potestatis dirigendi efficaciter subditam communitatem ad finem suum per leges, iudicia et poenas.

Propter necessitatem rei publicae efficaces etiam osso possunt, sive ex consensu Principis legitimi sive ex ipso Doo, iussiones usurpatoris.

CAPUT VII.

Legis subiectum.

191. — Lege obligantur ii omnes pro quibus iuste lata est. Ab ipsis facta transgressio est, obiective, materialis laesio recti ordinis. *Actu* tamen contra legem peccare ii soli possunt, qui actu sunt rationis compotes. Ab aliis tamen, in ipsis lex violari potest, ea ratione quae postea explicabitur.

Hic solum quaeritur de ipso Legis auctore.

192. — Deus Optimus Maximus suis legibus proprie non tenetur: cum sit extra et supra mundum creaturarum, non est pars communitatis pro qua leges latae sunt.

Legislator humanus pars est communitatis cui praeest. Vi tamen coactiva legis suae, si Principem supponimus absolutum seu plena potestate praeditum, cogi nequit: nemo se ipse cogit. Sed ex ipsa lege naturali, quae hunc rectum ordinem sancit ut pars concordet cum toto et caput cum membris, ad legem suam servandam astringitur, quatenus, attenta legis universalitate vel ratione, lex ipsi applicabilis est (1).

Atque ex eodem motivo quo lex ceteros obligat, videtur lex illa naturalis ipsum urgere. Obligatio tamen non censetur per se gravis.

Hodie autem, in societate civili, res vix practica est. Legislator enim non est una persona, sed leges rogantur plurium consensu, qui, separatim sumpti, sunt legis subditi, ita ut ipso consensus quodam modo dici possit legislator. Fit tamen ut Principi quaedam immunitas a coactione personali concedatur: quae immunitas dicitur eius inviolabilitas personalis.

(1) Cf. 1, 2, q. 96 art. B ad 3.

SUMMARIUM.

193. — Lege obligantur omnes pro quibus lex lata est. Deus, cum sit extra communitatem, sua lege non obligatur ; obligatur vero legislator humanus, non quod ad vim coactivam, si rex est absolutus, sed quod ad vim directivam, ex ipsa lego naturali urgente, non tamen perse sub gravi, ipsam legis obligationem. Hodie saepe non remanet Principi nisi inviolabilitas personalis.

CAPUT VIII.

Legis observatio.

194. — Principium. « Leges praecipiunt *substantiam actus,* non modum, nisi modus sit de intrinseca eius ratione secundum se, aut prout sub lege cadit » (1). Quae lex imponat, haec praestanda sunt, idque rationabiliter, stricte tamen intellegendo (2). Ex hoc principio, regulae sequentes colliguntur, quae valent quoque de praeceptis particularibus et de obligationibus ultro susceptis, v. *g. per* votum: posito facto, sunt quasi leges particulares observandae.

195. — Statos gratiae, qui ad meritum requiritur, implendis praeceptis per se non est necessarius. Quare, qui in statu peccati audierit missam, recitaverit breviarium, exsecutus sit votum vel paenitentiam sacramenta!em, debitum opus fecit atque obligatione solutus est. Conscius tamen status peccati nequit praecepto communionis paschalis satisfacere, quia eius communio foret sacrilega ; ac proin ipsum opus praeceptum secundum suam speciem vitiaretur. Innoc. XI, 2 martii, 1679, hanc 55‘m prop, damnavit ; « Praecepto communionis annuae satisfit per sacrilegam Domini manducationem » *(Denz.,* 1205).

(1) Sanchez, *In Dccal.* l. 1, c. 14, n. 1, allegan* S. Thom. 1, 2, q. 100 art 9 et 10.

(2) Lehmkuiil, I, 244.

196. — Dummodo ipsum opus praeceptum ex obiecto bonum praestetur, lex ipso actu peccaminoso impleri potest.

Sic praecepto audiendi missam satisfacit qui adit ecclesiam ad missam audiendam, et simul malam voluntatein habet furandi, videndi quae concupiscentiam excitent, etc. Praecepto tamen confessionis annuae non satisfit per sacrilegam confessionem ; haec enim est voluntarie nulla, ita ut sacramentum non recipiatur. Quare reprobata est ab Alex. VII, *24* sept. 1G65, haec prop. 14û : « Qui facit confessionem voluntarie nullam satisfacit praecepto Ecclasiae » *(Dem.,* 1114).

197. — Finis legis non cadit sub legem. Praecepto itaque satisfacit qui fine diverso ab illo quem legislator intendebat praeceptum adimplet. Immo finis quadantenus oppositus esse potest, dummodo substantia operis salvetur. Sic praecepto abstinentiae non deest qui pisces ex gula comederit. Lex ideo *communi* sua utilitate non privatur.

Idem valet de *praeceptis.* Excipe tamen si ipsa intentio praecipiatur. Plerumque vero intentio propter quam preces a confessario iniunguntur non sunt nisi modus accidentalis, cuius omissio substantialem impletionem non impedit.

198. — Intentio implendi praeceptum reduplicative, lege non praecipitur. Quare praecepto audiendae missae satisfacit qui missam audivit : a) sine intentione implendi praccpti ; δ) nesciens esso illa die obligationem missae audiendae; c) positive nolens per missam quam audit praecepto satisfacere. Contraria tamen praevalens voluntas erit efficax, ubi obligatio manet ex *voto.* Quando enim obligationes ex voluntate promittentis originem ducunt, is in obligatione libere permanere potest, sicut se libere ab initio debitorem constituit. Similis est casus eius qui centum libellas Titio promissas solvit dicens : has tibi ex animo liberali, nondum qua promissas tribuo.

Intentio vero seu voluntas quam substantia actus requirit habenda est ut praeceptum impleatur. Quare qui

sine voluntate orandi sed sola voluntate legendi curiosa vel pulchra, recitat breviarium, qui vadit ad sacrum unice ut musicam audiat, qui metu coactus assistit sacro, nolens tamen pium opus exsequi, praecepto non satisfacit.

Verum lex *prohibens* seu *negativa,* ipsa actus prohibiti omissione, etiam non voluntaria, satis impletur ut contra legem istam non sit peccatum. Qui tamen voluntatem positivo oppositam gesserit, actu interno peccarit. Puta quempiam qui physice cogatur servare ieiunium quod frangere intendebat.

Ac perinde dicendum est de legibus seu praeceptis quae *rem,* sed nullo modo *actionem personalem* postulant. Sic lex solvendi tributa per quemlibet adimpleri potest.

Inter legem divinam et humanam, illud tamen interest, quod status peccati tollit meritum, et quod intentio prava, actio peccaminosa semper alicui praecepto divino repugnat. Dum intentio legislatorem humanum fugit. Cf. S. Th. 1, 2, q. 100 art. 9. 10.

199. — Eodem tempore, diversis actibus, duplici praecepto satisfieri potest, dummodo unum ne impediat alterum, nec diversitas temporum praecepta sit. Quare qui missam in die festo praeceptam audit, simul horas canonicas recitaro vel alias orationes voto vel in paenitentiam impositas fundere potest. Et qui uno voto vel variis votis promisit missae auditionem et plures orationes, eodem tempore missam audire et orationes recitare non prohibetur.

Quando simul missae in pluribus altaribus celebrantur, dummodo consecrationes distinctis momentis fiant, assistentes qui voluerint, re vera plures missas audiunt. Non raro tamen imposita obligatio audiendi plures missas rationabiliter intellegenda est do missis distincto tempore audiendis, ut si confessorius iusserit quempiam bis vel ter intéressé sacro. Aliud enim est bis intéresse sacro, aliud, semel interesse pluribus sacris.

200. — Eno actu diversa praecepta simul adimpleri possunt, nisi ox monte pracipientis aliud colligatur. Sic usus ipso demonstrat sacerdotem beneficiarium una breviarii

recitatione satisfacere duplici titulo quo horas canonicas recitare debet ; et fideles uno tantum sacro audiendo teneri, cum festus dies incidit in Dominicam.

Attamen, ex mente voventis et confessarii, quae voto promittuntur et tamquam paenitentia imponuntur, plerumque per actum alias debitum impleri non possunt.

Fit tamen interdum ut confessarii opus iam praeceptum iniungant. Et si votum sit de re cotidie vel certa recurrente die praestanda (puta ieiunium singulis feriis VI vel sabbatis), rationabilis eius interpretatio id habet, ut, concurrente obligatione eiusdem rei sed alius tituli, opus non sit repetendum. Sic qui voto rosarii cotidiani tenetur, die qua rosarium ob iniunctam satisfactionem sacramentalem recitandum habet, duo rosaria recitare non debebit : nec (quod magis manifestum est) altero ieiunio tenetur si aliqua feria VI praeceptum ieiunium occurrat. Ac nihil prohibet quin eodem opere voto privato vel paenitentiae sacramentali satisfacias et lucreris indulgentiam.

201. — Quo ordine satisfiat pluribus obligationibus eiusdem rationis. Quaeres *quo ordine* satisfacias variis titulis quibus idem specie opus iterare debeas : puta plures missas celebrare.

Satisfacis : 1. Eo ordine quem expresse constitueris.

2. Si omnibus obligationibus simul satisfacere volueris, et opus vel eius applicatio dividi possit, singulis pro rata parte satisfacis. Sic plures intentiones missae coniungi possunt, ita ut qui pro tribus defunctis singulas missas celebrare debeat, vel singulis singulas missas assignare, vel ter missam pro tribus collective offerre possit. Hoc tamen advertendum est, indulgentiam altaris privilégiât! uni tantum defuncto ex pluribus pro quibus missam offers applicari posse.

Quid autem si omnibus obligationibus simul satisfacere volueris et res dividi nequeat ? Titius semel ex voto, semel ex paenitentia sacramentali ad confessionem accedere debet. Uno actu utrique obligationi satisfacere voluit ; quod non poterat. Utri obligationi satisfecit, an fortasse neutri, ita

ut duplici obligatione sicut ante teneatur? Urgentiori obligationi vel graviori (si aeque urgeant) a Titio satisfactum esse, respondent Ballerini-Palmieri (1), «ex communi principio iuris, quod opus quod non valet ut agitur, valet saltem eo meliori modo quo valere potest». Sanchez (2) autem existimat legem Ecclesiae voto, votum autem paenitentiae anteponendum esse.

3. Si nullum ordinem constitueris, urgentioren adimplevisse censeris. Quod B. P. (l. c.) etiam traducunt ad casum quo de obligatione non cogitaveris. Verum ista regula prudenter utendum est. Semper supponitur factum esse *totum* quod fieri debebat. Qui mere missam celebrare debet, omni celebratione missae, obligationis quoque inconscius debitum adimplebit; sed si, praeter celebrationem, requiritur quoque applicatio ad definitam intentionem, missa non erit sic applicata, nisi vel in ipsa celebratione vel antea applicationem formaliter voluerit.

202. — De tempore debito. Obligatio suo tempore implenda est. Itaque:

1. Si *nulla* sit statuta dies, intra tempus implenda erit per quod copia datur, nisi per accidens res urgeat, aut res dilatione minuatur: ut si nimis differas ingressum in religionem.

2. *Non ante tempus* implenda est, etsi praevideas impedimentum per tempus obligationis. Sic pridie anticipare Matutinum non debet qui altera die erit impeditus. Immo id non semper utiliter fieri possit. Sic audiendo missam pridie, pracepto sanctificandi dominicam non est satisfactum. Attamen, ubi obligatio iustitiae fuerit, per se ante diem solvere debebit qui pravidet futurum esse ut postea solvere nequeat: quia damnum istud creditoris positive impedire debet. Cf. d'Ann. I, 167.

3. *Currente tempore utili* implenda est. Si per partem istius temporis praevideas futurum impedimentum, istud, satisfaciendo legi, praevenire debebis. Quare die Palmarum

(1) T. I, tr? 3» c. 3, n. 381. — (2) In *Decal*l. 1, c. 14, n. 8.

ad s. mensam accedere debebit cui postea communionis tempore paschali occasio defutura videtur.

4. *Elapso tempore praefixo,* obligatio cessat, si dies ad finiendam obligationem apposita fuerit. Urget, contra, si ad sollicitandam obligationem fuerit prascripta. Ad id discernendum, verba, finis, circumstantiae legis observanda erunt ; et saepe usualis interpretatio certiorem notitiam dabit. Sic, elapso die, cessat ecclesiastica obligatio sacri audiendi, breviarii recitandi, ieiunandi ; non cessat vero obligatio annuae confessionis et communionis.

5. Quod statiin faciendum praecipitur, in lege saltem canonica, temperate intellegitur *intra tres dies* fieri debere. Quod quam primum fieri iubetur, magis per se differri potest. Quam diu : id minus constat. In aestimatione est boni viri (d'Annib. I, 167).

203. — Quid si non possis totum? Per se *totum* praestandum est quod praecipitur. Qui totum facere nequit, parte tenetur, si res divisibilis est, et pars cuius copia habetur sufficientis sit momenti et utilitatis. Saepe arduum est definire quaenam obligationes divisibiles existimandae sint vel non. Cf. d'Ann. I, 168 (42). Hic quoque usualis interpretatio saepe interroganda erit, v. g. de obligatione illius qui partem tantum breviarii recitare, partem tantum missae audire potest.

SUMMARIUM.

201. — Leges imponunt substantiam actus, non modum, nisi sit do ratione actus, vel modus expresse praecipiatur. Quare observatio non postulat statum gratiae, nec impeditur pcccaminoso actu ; non postulat intentionem finis logis, sed exigit intentionem sufficientem actui humano et substantiae actus, nisi sit lex prohibens, quao ipsa omissione servatur, vel *rem* exigat, non actionem personalem.

Non repugnat *per se,* ut per diversos actus, qui non se mutuo impediant, pluribus praeceptis simul tempore, satisfiat, vel uno actu diversa praecepta impleantur. Si opus diversis titulis iterandum sit, eo *ordine* variis obligationibus satisfit qui expresse sit

constitutus, nisi malueris, cum res dividi potest, pluribus simul, pro rata satisfacere. Si res dividi nequit, urgentiori obligationi debitor satisfecit, quod etiam dicendum est, si nullum ordinem expresso praestituerit, dummodo tamen positivam satisfaciendi intentionem habuerit. Obligatio toto tempore utili impleri potest et debet; non autem ante tempus, nisi fuerit obligatio iustitiao; nec elapso tempore, nisi dies ad urgendam obligationem fuerit apposita.

Quod *statim* faciendum est, in lege saltem canonica temperato intellegitur intra spatium trium diorum. Quod *quam primum* fleri debet, per se maiorem optionem, arbitrio boni viri aestimandam, esse sinit.

Totum praestandum est quod imperatur. Qui totum praestare nequit praestet partem divisibilem sufficientis utilitatis.

CAPUT IX.

Cessatio legis vel obligationis.

Ordo dicendi. — *Libertas* ab obligatione tum *suppressa ipsa lege,* tum *relaxato eius vinculo* comparari potest. Lex autem *ab extrinseco* propter novam legem, vel *ah intrinseco,* quia nociva vel inutilis facta sit, cessare potest. Vinculum autem obligationis, *sublata subiectione,* vel *exorto impedimento,* vel *concessa dispensatione* auferri potest. Itaque de utraque libertatis ratione ac variis utriusque rationis membris seu partibus ordine dicendum est.

§ 1. — De directa legis cessatione.

205. — I. Ob novam legem. *Lex tollitur nova lege* quae priorem legem ex toto vel ex parte expresse revocat, aut ei est contraria, quia haec sancit quae cum priore lege componi non possunt, aut quae materiam prioris legis totam de integro ordinet (c. 22).

Prima suppressio est *jormalis,* altera et tertia est *virtualis.* Tertiae haec est ratio, quia bono communi adversatur ut idem argumentum duplici ordinationi subsit.

Completa legis revocatio dicitur *abrogatio ; derogatio* dicitur revocatio eius partialis ; *obrogatio* demum, legis contrariae introductio.

Cum lex communi bono utilis praesumatur, cius cessatio odiosa censetur. Quare iura potius concordanda quam opponenda sunt.

Itaque lex *generatis* generali quidem propter contrarietatem obrogat, non autem speciali locorum vel personarum, nisi aliud in nova lege expresse caveatur. (Cf. c. 22).

206. — II. Cessante fine. *Lex* quoque *cessat si finis eius cesset contrarie,* i. e. si lex evaserit noxia, irrationabilis; immo si pro communitate finis adaequate evanuerit, ita ut lex communiter inutilis faeta sit. Haec inutilitas in sola materia indifferenti occurrere potest. Materiam autem indifferentem, qua talem, legislator praecipere nequit: lex non iam foret ordinatio ad bonum commune. Cf. 1, 2, q. 109 art. 4 ad 3; Suarez, *Leg.* 6, 9, 6. Puta propter publicam securitatem a morbo congressus prohiberi : cessante lue, ipsa prohibitio cessabit.

Quid si non quidem communiter sed in casu particularis personae, finis legis negative cessaverit, i. e. facta sit inutilis ' Actus particularis honestatem rei praeceptae semper servat. Permittere exceptionem est plurimae alucinationi locum dare. Quare ipsum bonum commune isti exceptioni obstare videtur. Itaque, cum communiore sententia, v. g. Suarez, l. c. Laymann, *De legib.* (I, 4) 21, 3; Lehmk. I, 276. 277; dicendum est ob particularem inutilitatem legem non cessare.

Attamen, ubi abfuerit scandalum et plane constet inutilitas, cum S. Alpiionso, I, 199, usus sententiae benignioris tolerari potest.

Verum id iam ad leges canonicas quae in praesumptione periculi fundari dicuntur traduci non poterit, cum expresse contrarium habeamus canone 21 promulgatum.

§ 2. — De solutione vinculi legis.

I. — *Sublata subicctio.*

207. — Quo pacto cosset subicctio. Cum lex solos subditos pro quibus lata sit obliget, *sublata subtectione,* ipsam obligationem cessare manifestum est. Tollitur autem subiectio tum mutata personae qualitate seu condicione quae lege supponitur, tum privilegio.

A. De mutata condicione.

208. — Propter mutatam condicionem quae supponitur, lex territorialis ne subditum quidem obligat, extra territorium ; lex lata pro laicis iam non eum obligat qui clericus fit ; nec, contra, lex propria clericorum iam eum obligat clericum qui ad statum laicalem est redactus. Cf. ce. 136 § 3; 141 § 2; 211; 213; 214; 648; 2305 § 1; 2358; 2387 ; et notes, c. 213, exceptionem factam pro obligatione caelibatus quam clerici in sacris contraxerunt.

Et quia lex per se neminem obligat ut maneat subditus, qui se immunem effecerit, nunquam contra leges quibus eximitur peccabit. Quamquam contra aliam legem peccare potuerit, ut si immunitas sequatur poenam propter delictum, vel si quis statum illicite mutaverit.

B. De Privilegio (1).

209. — I. Notio. Privilegium etymologice dicit privatam legem, et describi consuevit : *Ius privatum quibusdam concessum.* Quod ius plerumque intellegitur favorabile ei cui conceditur. Accuratius privilegium dicetur, *ius particulare et non necessarium certis personis, sive singulatim sive communiter sumptis, intentione benevola concessum.*

(1) Cf. eruditos articulos ill. professoris Lovaniensis, A. Van Hove, in Nouvelle Revue Tiiêoiooique, 1022 Janvier et ss. *Dc la notion du privilège.*

Non necessarium dicimus, ut distinguamus privilegium a legibus utique particularibus, quae statum, munus, etc. plurium personarum ordinant.

Itaque variae leges quae vitam religiosam apte regulant non sunt privilegia ; quae ultra istam ordinationem religiosis tribuuntur, ut exemptio a jurisdictione dioecesana, facultates confessariorum regularium : haec sunt privilegia. Et quia ius intellegitur favorabile, non sunt p-ivilegia variae incapacitates quae religiosum saecularizatum afficiunt.

210. — **II,** Divisiones. 1. *Ex relatione ad leges vigentes,* distinguitur privilegium *praeter* ius et privilegium *contra* ius. *Praeter ius,* quod, si nulla lege communi datur, nulla tamen prohibetur : sic variae facultates vel potestates indultae personis iure communi non inhabilibus ad eas habendas. Privilegio *contra ius* quispiam subtrahitur legi qua secus teneretur. Igitur privilegium contra ius sublectionem legi simul supponit et tollit. Quatenus sublectionem legi supponit, privilegium contra ius solis subditis conceditur ; quatenus sublectionem tollit, saltem si in commodum privatum sit latum, strictam interpretationem postulat (Cf. c. G8, coli, cum 50, et mox dicenda de interpretatione).

Suntne *privilegia secundum ius?* Attenta *materia,* esse nequeunt, cum darent quod ipsa lex concedit. Sed, attenta *forma,* seu titulo quo aliquid habetur, niliil obstat quin titulus habendi quaedam concedatur independens a lege communi et ipsa lege firmior, ita ut suppressa lege, concessio maneat propter subsistentem titulum.

Distinctio ista valde attendenda est, v. g. in constitutionibus religiosorum quae ius commune religiosorum materialiter referunt. Mutato iure communi, ipsae constitutiones mutabuntur, si dispositiones in iis insertae sunt mere tamquam iuris communis; manebunt contra, per se, si ius peculiare seu proprium instituti efficiebant.

2. *Ex motivo,* distinguitur *gratiosum,* quod a mera liberalitate, *remuneratorium* quod a gratitudine pro meritis proficiscitur ; *onerosum,* quod per modum pacti cum mutua quadam promissione concessum est. Remuneratorium be-

nignius quam mere gratiosum intellegendum esse per se perspicitur ; qualitate autem onerosi privilegii potius firmitas quam interpretatio privilegii allicitur.

3. *Ex titulo acquisitionis,* privilegia acquiruntur vel *directa concessione,* qui titulus est planior et certior, vel *communicatione,* vel legitima *consuetudine,* vel ipsa *praescriptione.*

Directa porro concessio fieri potest sive per *legem,* sive per *indultum* particulare, idque vel *ad instantiam partis* vel *motu proprio.* Istud, eum propensionem prodat Legislatoris, benignius intellegendum est. Magis stricte privilegium est quod per indultum est concessum.

Cum forma legis observatur, magis constat auctorem privilegii intentione boni communis moveri. quae intentio benigniorem interpretationem postulat. Privilegia per legem generalem concessa dicuntur quoque contenta in *Corpore iuris* seu *in Codice,* cum omnes leges generales de se perpetuas Codex continere debeat.

Huiusmodi privilegia ad universalem societatis ordinationem pertinent. Atque iisdem privilegiis normae privilegiorum et normae legum, in favorabilibus, sunt applicandae; ita ut, si simul utraeque normae componi nequeant, normae legum praevalere debeant (1).

Privilegium quod lege conceditur, numquam est *contra ius,* simpliciter tale, quamvis esse possit contra ius *commune.*

Non absimili ratione, canones de *consuetudine* applicandi quoque sunt privilegiis quae consuetudine acquiruntur.

Praescriptione autem nulla nova norma iuridica constituitur, sed tantum tribuitur ius subiectivum, v. *g.* iurisdictio. Quare privilegium sic comparatum non est nisi analegice privilegium.

Privilegii communicatio concessionem dicit factam *ad*

(1) Distinguendum est privilegium quod per iuris accessiones privilegi&torum factum sit commune, a privilegio quod statim per legem communem est coucessum. Primum non cessat, sublato iure communi ; dum alterum vices legis communis sequitur.

instar privilegii alii personae concessi. Ad instar concessum privilegium interpretationem sumit a privilegio directe concesso quod imitatur ; indcpcndenter tamen a priore subsistere potest, ita ut revocatione vel mutatione privilegii prioris non afficiatur. Litterae concessionis consulendae sunt.

211. — Privilegiorum communicatio. Ista privilegii quasi iteratio dispositione *particulari* concedi potest, vel manare *ex lege generali,* quae generaliter et in antecessum omnia privilegia alicuius personae vel Instituti cum aliis personis et Institutis communia reddat. Haec dicitur magis proprie *communicatio privilegiorum,* quae ipsa est biformis: altera *principalis, accessoria* altera (c. 65). *In forma principali* concessa communicatio tribuit privilegio sic acquisito subsistentiam independcntem a priore concessione; dum privilegium *in forma accessoria* communicatum vices seu fata participat concessionis directae seu principalis. Sic olim, sed non iam hodie (cf. c. 613), privilegia unius Ordinis regularis cumplerisque aliis Ordinibus regularibus communicabantur in forma principali ; dum Tertii Ordines saeculares privilegia primi et secimdi Ordinis in forma accessoria participant. Omnis autem communicatio, *ex ipsa rei natura,* ad illa privilegia contrahenda est quae sine speciali relatione ad certum locum aut rem aut personam concessa fuerant, et capacitatem subiecti non superant. Quare v. g. privilegia propter antiquitatem vel miraculosae iconis possessionem cuidam sanctuario concessa a generali quoque communicatione excludenda erunt ; nec laici privilegia clericalia communicatione acquirere possunt. Ex positiva autem c. 64 dispositione, generali communicatione non continentur privilegia ad tempus concessa vel quae non directe sed per communicationem ei acquisita sunt quocum communicatio concessa est.

Consuetudo, cum legem tollere possit, valet etiam ad ius conferendum cuiuspiam immunitatis vel exemptionis.

Praescrijdione, bona et iura, et ipsa iurisdictio acquiri possunt, ita ut praescriptio analogice inter fontes privilegii numeretur.

212. — 4. *Ex subiecto* distinguitur privilegium *reale,* quod personas physicas mediante relatione sua ad personam moralem (communitatem) vel ad rem : dignitatem, locum

seu territorium, domum (1), attingit; et *personale,* quod personis immediate prodest. Potius personalibus privilegiis accensetur privilegium causae *piae,* locis *piis, religioni,* vel aliis subiectis moralibus concessum.

5. *Ex effectu immediato,* distinguitur privilegium *mere favorabile,* quod nulli personae vel legi nocivum seu onerosum est, et *odiosum,* quod, dum uni favet, alteri onus, gravamen imponit vel iuri communiori adversatur.

213. — **III.** De privilegii interpretatione haec observanda sunt.

1. « Privilegium ex ipsius tenore aestimandum est, nec licet illud extendere aut restringere » (c. 67). Atque « ea semper adhibenda interpretatio, ut privilegio aucti aliquam ex indulgentia concedentis videantur gratiam consecuti » (c. 68).

2. *In dubio,* privilegium quod iura aliis quaesita laedit vel in commodum privatorum adversatur legi (2), vel impetratum est ad beneficii ecclesiastici assecutionem, *stricte* interpretandum est ; cetera omnia *late.* Cf. c. 68, collatum cum c. 50. Ratio est, quia privilegium e benefica Superioris voluntate per se oritur.

Et causae sunt maioris amplitudinis: *motivum,* si privilegium est remuneratorium ; *modus,* si est per legem vel motu proprio concessum; *subieclum,* si est reale, vel concessum causae piae, loco pio, religioni.

X|

214. — IV. Usus privilegii per se est liber. Fit tamen ut communitas ex obtento privilegio normam obligantem membra statuat : sic, quod ad breviarium, officia propria religionis recitantur a religiosis ex privilegio cuius usus ipsis necessarius est ; ac libera optio, quae v. g. pro officiis votivis religioni linqui potest, non semper singulis religiosis permittitur. Uti quoque debemus privilegiis quorum

(1) Sio lu civitate Pilsen, possessioni quarundam doinorum coniuncta est « actio · seu titulus societatis cum maxima sicerae *(birra)* officina.

(2) Privilegia tamen lege concessa interpretanda erunt sicut ipsae leges.

ipse usus refert ad bonum commune societatis vel classis ad quam pertinemus : sic clerici privilegia clericalia, quantum fieri potest, eadem violanti opponere debent, ut illa intacta servent.

Atque etiam usus privilegii *personalis* fit *per accidens* ex aliqua virtute necessarius. Sic, post auditam confessionem, confessarius sua facultate in reservata uti debebit tacita quadam pactione qua, sicut medicus, plenam cuius copiam habet medicationem aegroto seu paenitenti promisit. (Génicot, 1, 147). Ad rem Codex, c. 69: « Nemo cogitur uti privilegio in sui dumtaxat favorem concesso, nisi alio ex capite exsurgat obligatio ».

215. — Cessant privilegia : adveniente die ad quam concessa sunt; — exstincta persona vel absolute suppressa re cui cohaerent; — per renuntiationem legitime factam et a Superiore competente acceptatam ; — per revocationem expressam vel tacitam : v. g. per legem contrariam latam a Superiore illius qui privilegium concessit ; — per praescriptionem liberativam illius cui privilegium est onerosum (Cf. ce. 60. 71-78).

De causis istis et de clausulis revocatoriis adeundi sunt iurisperiti. Haec nobis satis sint. Privatis personis non licet renuntiare privilegiis realibus aut concessis communitati. Nec communitas renuntiare potest privilegio dato per modum legis, vel si renuntiatio cedat in Ecclesiae aliorumve praeiudicium (c. 72 § 4). Rcnunciatio tacita esse potest ex non usu, si agitur de privilegio quod alii est onerosum. Ceterum non usus, qua talis,non tollit privilegium, neque abusus. Sed competens auctoritas abutentem privilegio in poenam privare potest, sicut auferre potest privilegia quae, labentibus annis, inopportuna facta esse consuerit.

§ 3. De exorto impedimento.

Propter varia impedimenta quae legis exsecutioni obstant, vinculum obligationis ipsis subditis non raro relaxatur. Lex enim possibilis~et humana esse debet. Tria autem genere impedimenta distinguimus : *ignorantiam, impotentiam, incommodum* seu difficultatem.

[213-215 .

216. — I. Ignorantia invincibilis omne violatae legis peccatum tollit; non item ignorantia vincibilis. Potest tamen legislator legem suam ita temperare, ut ipsi vincibiliter ignorantes excusentur ; et potest quoque, propter bonum commune, effectus quosdam legis ad ignorantes extendere : nullos v. g. declarare actus contra ignoratam legem irritantem optima fide factos.

217. — **II.** Impotentia, ea quoque cui cum peccato causam dederis, ab observanda lege certo excusat : *Nemo potest ad impossibile obligari* (1). Puta quempiam qui dissipaverit bona sine quibus creditoribus satisfacere nequeat. Peccatum quidem delere debebit, ut veniam obtineat; sed, durante impotentia, a solvendo debito excusabitur.

218. — **III.** <luid de incommodo ? Seclusa lege *negativa* iuris *naturalis,* moralis quaedam impotentia plerumque adesse censetur, si, ad satisfaciendum legi, sustinendum foret incommodum grave, *quod* per accidens cum eius observatione coniunctum est. Ratio est divina benignitas, si agitur de lege divina; si vero agitur de lege humana, haec per se nimis difficilia iubere nequit, namque id bono communi adversaretur.

Excusans autem incommodum *grave* apparere debet etiam attenta ratione boni communis quae legem fundat. Prudenter itaque in singulis legibus haec comparatio instituenda erit inter gravitatem incommodi et publicam observatae legis utilitatem vel necessitatem. Plerumque gravior excusatio requiritur ad infringendam legem negativam quam positivam.

Requiritur autem incommodum quod *per accidens* cum observatione legis coniunctum sit ; incommodum enim *per se* cum lege coniunctum, ex clara legislatoris voluntate ferendum est. Cogites incommodum integrae confessionis faciendae.

Excludendum praeterea est incommodum quod *simul cum officio* tacite *acceptatum* est. Sic sacerdos parochus vel vicarius pa-

li) Reg. t) Iuris in VI.

roecialis incommoda missae tardius celebrandae vel praedicationibus miscendae allegare nequit ad non observandam, ante missam, legem ieiunii eucharistici.

219. — Quaeres utrum necne lex obliget cum periculo vitae ?

Responsio ex necessitate boni communis vel conexi praecepti negativi iuris naturalis repetenda est.

Si observatio legis etiam humanae interest ad conservandum bonum commune aut ad avertendum commune malum quod pluris sit quam vita propria, tunc lex illa obligat cum periculo vitae : ut si, in bello, dux mandet militi ne e statione discedat, vel si periturae sint animae nisi pastor infirmos peste laborantes adiuverit.

Obligabit quoque cum periculo vitae lex etiam humana cuius violatio postuletur in odium fidei vel contemptum religionis. Cf. c. 2205 § 3.

His seclusis, nulla *lex humana* per se obligat cum periculo vitae vel similis incommodi. Quod ad leges positivas divinas *prudenter,* attenta obligationis gravitate et intimatione, traduci poterit. Sic integritas confessionis ideo neglegi poterit, non vero omnis professio fidei Christianae.

220. — l)c Metu. Ad incommodum ipse *nictus* revocatur. Metus malitiam semper minuit ; aufert saepe, cum observatio legis inde nimis incommoda fit. Inde habemus supra relatos cc. 2205. 2218. Cf. n. 82.

Si tamen bonum commune postulat ut poena non obstante gravi metu urgeatur, poena propter metum non vitabitur. Sic ante Codicem censebant eum quoque censurae obnoxium esse qui ex metu gravi duellum acceptaverat. Et cum censura ista novo iure confirmetur, eodem modo erit nunc interpretanda, ex c. 6, 2°.

221. — Voluntaria impedimenti appositio. Quaeres utrum necne causam impedientem voluntarie apponere liceat ?

Responsum generale dari nequit. Per se quidem lex postulat ut subditus eius observationem procuret ac proin se capacem observandae legis efficiat, nedum impedimentum

creet. Verum cura illa non ita urgenda est ut lex difficilior evadat; et causa impediens tam bona esse potest ut legislator bonum hoc observationi suae legis rationabiliter praeferre censeatur. Quare varii casus prudenter aestimandi sunt.

Haec autem perpendenda videntur:

1. *Vis* et *rigor* praecepti, ex materia et communi interpretatione. Sic lex ieiunii benignius hodie quam lex breviarii urgetur; gravior est obligatio iustitiae quam fidelitatis, oboedientiae et ipsius religionis, quando non de praecepto naturali sed de positivo iure agitur; inde plus facere debes ne prohibearis exsequendo rationabiliter tuo munere magistri, famuli, quam audiendo sacro, servando ieiunio.

2. *Extensio* ipsius *impedimenti.* Causa caritatis propter quam semel vel bis omittere breviarium, vel sacrum liceat non permittet ut numquam horas recites, sacrum audias.

3. *Necessitas* aut *utilitas* impedimenti. Labor susceptus ad honestam recreationem non excusabit a ieiunio sicut labor quo familiam alis, vel scientiam excolis.

4. *Distantia* ipsius *praecepti.* Quo proximior est hora qua urget praeceptum, eo maior causa ad ponendum impedimentum requiritur; dum dispensaris ab attentione ad praecepta remota, ne nimis gravis obligatio tibi incumbat. Quare, si tempus obligationis nondum prope astat, nulla causa specialis postulatur ut impedimentum ponas.

Hino: « Praecepta seu leges quorum obligatio saepe recurrit, ut ieiunium, abstinentia, assistentia missae sacrificio, tum tantum prohibent quominus impedimentum indirecte ponatur sine iusta causa, quando iam fere instat dies obligationis, summum pridie tempore pomeridiano. Quare qui feria VI, immo etiam sabbato mane, iter suscipiat, praevidens se die dominica sacro intéressé non posse, laudandus quidem non est si itineris specialem causam non habet, tamen legis audiendi sacri violatae non est reus. Si voro dies dominica prope sit, maxime versus sabbati noctem, vel si dies dominica iam inceperit, nemini licet sine iusta causa, et quo propius instat tempus, eo etiam graviore, seipsum in talem impossibilitatem conicere ... Idem fere dicitur de eo cui intemperantia causa sit no postea possit ieiunare vel sacrum audire » (Lehmk. 1, 252).

Contra, praecepto communionis paschalis etiam aliquot diebus ante quam tempus obligationis urgeat impedimentum apponere non licebit, nisi satis gravis causa adfuerit; et gravior quidem si non tantum paschalis sed etiam annuae communionis omissionem praevideris.

5. *Belatio inter impedimentum* et *materiam praeceptam*. Quo magis intima fuerit haec relatio, eo magis ad incommoda per se cum lege conexa, cura vitandi impedimenta pertinere videtur.

Sic possessio breviarii cum recitatione horarum conexa est, non autem fuga intempesti aeris ne doleas a dentibus et inde impediaris. Sic etiam, quamvis iam propinquior sit relatio, non debet quispiam solutionem censurae petere ut sacro intéressé possit, nisi forte *diu* v. g. per plures menses vel annum, ideo sacro abstinere cogatur.

Quid autem si *directe,* ut legem fugias, impedimentum apposueris ! Id licere potius negant auctores qui quaestionem istam ponunt, v. g. Lehmkuhl I, 251; Bucceroni, *Institutiones,* I, 221. « Nam lex, sic Lehmkuhl, quae sui impletionein exigit, etiam postulat ut adhibeantur media necessaria. At si media necessaria adhibenda seu impedimenta auferenda sunt, a fortiori non licet ea voluntate, ne lex impleatur, impedimenta ponere ». Alii, ut Génicot, I, 116, quaestionem omittunt.

Quare, quamvis, *propter aliam causam,* diem quae ieiunium praecedit eligere possis ad venandum, etsi talem praevideas corporis defatigationem quae ieiunium impeditura sit, non liceat tibi eandem diem *ideo eligere* ut impedimento illo excuseris a ieiunii obligatione.

Lehmkuhl tamen, l. c., admittit indu triose suscipi posse actionem « quae longe maioris momenti sit et in quam iuste legem leviorem transmutare me posse suppono: ut si quis et ex aliiset ex ea quoque causa, ne ieiunare debeat, se addicat laborioso servitio aegrotorum, tempore contagionis curandorum ».

§ 4. — De concessa dispensatione.

222. — Ipsa dispensatione obligatio subditi aufertur.

I. Notio. *Dispensatio* autem, est « *legis in casu speciali relaxatio* » (c. 80). Differt itaque :

a) Ab *excusatione,* quae ex mente quidem Superioris in condendi lege, sed sine Superioris interventu, obligationem tollit: quare quilibet vir peritus et prudens quempiam lege immunem esse declarare potest. Dispensatio, contra, quandam dicit retractationem seu extenuationem voluntatis primitus habitae. (Lehmkuhl, I, 254; Wernz, I, 119);

ô) Ab *irritatione obligationis,* quae plerumque ex potestate dominativa exoritur, et legem mediate tantum attingit. Sic vota liliorum non emancipatorum a patre irritantur;

c) A *privilegio,* quod ius quoddam positive constituit, dum dispensatio mere negative operatur;

d) A *licentia,* quae est *facultas jacta secundum legem·,* condicio, qua posita, actus ex ipsa lege permittitur. Non est ergo, sicut dispensatio, contra legem, vel *vulnus* legis (1). Atque, ita necessitas licentiae imposita esse intellegitur, ut, nisi formalis et expressa exigatur, licentia praesumi possit. I. e. satis esse censetur ut dependenter a Superiore agas: quae dependentia servatur, si, secundum prudentem mentis aestimationem, Superior rem concessurus sit, nec repugnet quin, attentis adiunctis, licentiae petitio omittatur. Quare, si *dispensatio praesumi nequit,* quia praesumptio *effectum causalem* non supplet, per se *praesumi potest licentia,* cum nullum effectum causalem supponat. Dispensatio *iurisdictionem* postulat, licentia ex qualibet legitima potestate manare potest.

223. — II. Dispensationis auctor. Ex cuius voluntate lex obliget, eiusdem voluntate vinculum legis dispensatione auferri potest. Quare *auctor legis,* vel qui superiorem aut parem potestatem habet, semper quemvis obligatione legis per dispensationem solvere potest.

Quemvis inquam, praeter se ipse, cum lege superiore propriam legem servare debeat. Sed iusta accedente causa, ipse eximitur ubi

(l) Sic, ex ipso c. 1398, facultas Quod ad libros prohibitos non est dispensatio, sed licentia, cum prohibitiones non sint absolutae, sed legendi, etc., 4 sine debita licentia ··

alius dispensatur, quia ratio boni communis, propter quam legislator legem suam servare debet, non postulat ut firmius quam subditi teneatur, immo potius postulat ut eaedem iustae excusationis causae valere queant. (De Deo, qui lege sua formaliter non tenetur, quaestio non est.)

Inferior legislatore dispensare non potest nisi potestate derivata, et propter iustam causam : data enim ad dispensandum, facultas ad dissipandum concessa non censetur. Potestas autem communicatur *delegatione,* quae potest esse *universalis* et propter ipsum *dispensantem,* aut *particularis* et propter ipsum *dispensatum.* Quae delegatio rursus potest concedi ut *subdelegabilis* vel non. Maxima delegatio fit, cum potestas communicatur tamquam *ordinaria.* Hinc distinguunt potestatem factam dispensandi iure *ordinario* vel iure *delegato.*

224. — III. Requisita causa. Iusta causa, quae semper ad liceitatem, et, pro Superiore qui Legislatore inferior est, ad ipsum valorem requiritur, tanta esse non debet ut de se eximat a lege, nec nimis levis esse potest : quod pro singulis praeceptis prudenter aestimandum est.

Legislator qui in sua lege sine causa dispensa*. secluso scandalo vel aliis gravibus malis, venialiter tantum peccaro putatur, sicut ipso qui ab oo dispensationem scienter sine causa potit. Ipso usus talis dispensationis, quae valida est, per se illicitus esse non videtur.

Contra, tam concessio, quam petitio et usus conscio modo facta dispensationis invalidae, gravia sunt peccata ubi de gravi praecepto agatur.

Porro *causae* dispensandi *observationi legis interiores vel exteriores esse possunt. Interiores* observationi sunt difficultas, incommodum observationis legis, impedimentum quod in hoc casu vel in hac persona observatio legis meliori bono affert : propter quas causas, dispensationes ab observatione Temporis sacri (ieiunii, audiendae missae) plerumque conceduntur. *Exteriores* causae repetuntur vel ex persona *dispensante,* cum expedit ut se liberalem, benignam

exhibeat ; vel ex persona *dispensanda,* cui dispensatio vel ntilis erit vel pro bono merito concedenda videtur ; vel ex *bono communi:* v. g. ad praecavendas nimis multas transgressiones, ad augendam communem laetitiam. Plura cf. Suarez, *Leg.* l. 6, c. 18, n. 15-18 ; 23-26.

Usus tamen omnis causae, si dispensans non est legislator, non est semper permissus. Videndum si quidem est quo pacto facultas delegata sit, intra quosnam fines contenta sit.

Causa talis esse potest quae Superiorem obliget ad dispensandum. Attamen indebite negata dispensatio subditum ab observanda lege per se non excusat.

Ad amputandas anxietates in hac re, haec notasse proderit : *a)* Legislator permittere censetur ut delegatus quoque dispenset in dubio de causae *sufficientia* (non item in dubio de causae *exsistentia),* ne frequentiores dubitationes viam scrupulis et difficultatibus pandant. Inde c. 84 § 2 « Dispensatio, in dubio de sufficientia causae, licite petitur, et potest licite et valide concedi ». *b) Subditus* qui rationes suas Superiori allegat et bona fide dispensationem petit, dispensatione impetrata, securus esse potest, c) In dubio, pro valore factae dispensationis responderi potest.

Quid vero, si postea in comperto fuerit causam defuisse ? Supponimus non eum esse casum ubi vel ex dispensationis obiecto vel ex forma qua dispensatum est, Superior competens statuerit dispensationem in omni casu efficacem fore.

Itaque, *si nulla causa fuerit,* corruit dispensatio, et, ab hoc momento, frustraneus conatus dispensatione utendi formaliter illicitus evadet. *Si causa* quaedam *fuerit* sed *insufficiens,* dispensatio quae tractum successivum habet, i. e. quae plures distinctas applicationes permittit, corruit in futurum ; quae vero semel pro semper efficax esse debuit. v. g. efficere matrimonium validum, non necessario corruit, sed prudenter aestimandum est quid auctor dispensationis ex propria vel delegata auctoritate facere potuerit et voluerit.

Quid, *cessante causa* eveniat, cf. hic infra.

225. — IV. Sublectum dispensationis. Cum iurisdictio-uem exigat, *dispensatio per se solis subditis concedi potest.* Fit tamen ut lex usum dispensationis ad non subditos extendat ad maiorem eorum facilitatem, vel ne deterioris condicionis sint aut fiant quam ipsi subditi.

Potestne *Superior* seu pollens facultate *se ipse* dispensare Î

Id sane potest *indirecte* ; quatenus se in generali facultate facta comprehenderit, qua, v. g. omnem dioecesim quadam obligatione solvit.Praeditus potestate delegandi, potest quoque delegato v. *g.* confessario facultatem facere dispensandi cum ipso. *Directe* id potest quoque subordinatus dispensator pro modo quo facultas ipsi concessa est. Namque actus voluntariae jurisdictionis distinctionem personarum postulare non videtur. Sic facultas facta confessario interdum ad paenitentes coarctatur, dum facultas data Superiori hunc usum secum plerumque non prohibet. Legislator, ut diximus, in propria lege sicut se non ligatsic proprie secum non dispensat ; sed ubi causa sit dispensandi se pro dispensato habere potest. Hanc explicationem praeferimus. Sunt tamen qui directam facultatem dispensandi secum legislatori concedunt. Cf. Wernz, I, n. 123.

Dispensatio, per se, pro alio peti et impetrari potest. Nec acceptatio dispensationis vel formalis intimatio dispensati *per se* requiri videntur. Verum ad iuris positivi statuta attendendum est, maxime ubi dispensatio simul onerosa est, v. g. mutationem status religiosi affert (1). Conscium dispensationis usum ignoranti impervium esse per se perspicitur.

226. — V. Vis factae dispensationis ex potestate dispensantis, ex tenore dispensationis, ex positivi iuris definitionibus colligenda est. Cf. plura ubi de lege ecclesiastica.

Distinguitur *dispensatio quae impedimentum, inhabilitatem aufert·,* et haec per se ubique prodest; et dispensatio *quae legis obligationem tollit.* Haec potest esse *realis*

(1) Quarc, quamvis supplices libelli directi ad SS. Congregationes autographi osso per ho non debeant, cum agitur de dispensatione ab obligationibus ordinis sacri, S. C. *de Sacramentis* postulare solet scripturam et subscriptionem potentis.

tantum, quae omnibus prodest in territorio, nemini autem extra territorium; *personalis,* quae, personae propria, huic ubique prodest; *realis* et *personalis,* quae omnibus prodest in territorio, subditis autem etiam extra territorium.

22I. — VI. Dispensationis interpretatio. *Generalis dispensandi jaculius* censetur gratia dispensanti concessa : quare ample est interpretanda.

Contra, *dispensatio* ipsa, cum sit vulnus legis, strictam per se interpretationem postulat, praesertim ubi ius tertii laedatur. Amplam tamen interpretationem postulari dicunt, si dispensatio motu proprio concessa fuerit, vel ad bonum commune, vel ipsi communitati, aut si ipso corpore iuris contineatur (1), i. e. nunc Codice seu lege universali: nam tunc ad bonum commune data est. Contra, *facultas* dispensandi cum aliqua particulari persona seu ad certum casum, moraliter non est nisi concessio ipsius dispensationis: quare strictam interpretationem postulat. Cf. c. 85, Wernz, I, 125.

228.— VII. Dispensationis cessatio. Cessat dispensatio:

1. *Revocatione* quam, in materia revocabili, *legislator semper valide* efficit ; *inferior* autem solum *ob iustam causam* ; et *quatenus potestatem* hanc a Superiore expresse vel tacite *habere censeatur.* Hanc porro habet qui generalem dispensandi facultatem possidet, non autem delegatus ad particularem dispensationem. Facta enim dispensatione, hic, contra atque ille, omnem potestatem exhausit. Cf. Wernz, 1,126.

2. *Renuntiatione* eius qui dispensationem accepit, modo a Superiore acceptata sit : sine huius assensu enim obligatio reviviscere nequit. Superior competens, ex facta dispensatione et facultatibus concessis indicandus est. Sic confessarius dispensans in ieiunio voluntatem ipsam dispensandi in futurum retractare, ac proin renuntiationem acceptaro potest; sed id non poterit delegatus ad particularem dispensationem matrimonii.

(1) S. Alph. I. 104.

3. Quandoque *morte dispensantis,* pro clausulis adhibitis et positivis sanctionibus.

4. Interdum cessante *fine* seu *causa.* De qua re haec notanda veniunt. Si causa motiva non ex toto cessaverit, dispensatio non cessat. Si causa redacta fuerit ad actum *irrevocabilem,* v. *g.* si matrimonium contractum, si beneficium possessum est, effectus dispensationis, cessante causa, non tollitur. Si autem facta dispensatio nondum est usu adhibita vel facile revocari potest, prudenter investiganda est mens dispensantis, qui potuit dispensationem concedere *absolute* vel *dependentor* a perseverantia causae. Sic autem rationabiliter explicant mentem concedentis, ut absolute concessa censeatur quae statim tota simul conceditur et quasi effectum indivisibilem habet, ut cum aufertur irregularitas, impedimentum matrimonii. Lex enim quae dispensatione sublata est, sine nova voluntate legislatoris reviviscere nequit. Unde dispensatio matrimonialis concessa propter paupertatem, propter prolem legitimandam, etc. efficax manet quamvis ante matrimonium paupertas cessaverit, proles mortua fuerit (1). Si, contra, res *tractum successivum* habeat, v. g. dispensatio a ieiunio, a breviario, a missa audienda, haec rationabiliter concedi non potuit nisi virtualiter multiplex pro singulis casibus obligationis, et subiecta condicioni perseverantis causae.

SUMMARIUM.

229. — I. *Directe lex cessat,* quando nova lex priorem expresso revocat vel ei contraria est, vel materiam ex toto denuo ordinat ; vel etiam quando finis cius contrarie cessat, seu communiter est facta inutilis. Raro autem allegari poterit inutilitas in casu particulari.

II. *Vinculum* legis *solvitur* :

1. *Sublata subicctione, a)* propter mutatam condicionem personae vel propter mutatum territorium ; *b)* propter privilegium.

(1) Si autem simul obligatio erga Deum v. g. voto castitatis suscepta auferri debuit, res minus constat. Cf. Lehmkuhl, I, 269; Noldin, *Prine.* n. 189. Rem suo loco examinabimus.

[227-229.}

Privilegium dicit ius particulare et non necessarium personis sive physicis sive moralibus benefica voluntate concessum.

Divisiones privilegii. Ex *obiecto,* privilegium *praeter ius* facultatem concedit quao nulla lego prohibetur; *contra ius,* subtrahit imperio logis personam vel actum qui ei subditur : solis subditis conceditur et per se est strictae interpretationis ; *secundum ius* non habetur nisi formaliter, quatenus titulo a lego distincto datur quod lex concedit. Ex *motivo* suo est gratiosum, remunoratorium, onerosum. Ex *origine* sua, obtinetur per directam concessionem, sive motu proprio, sive ad instantiam partis : motu proprio concessum latius intellegendum est. Directa concessio fit per legem (privilegium Codice contentum) vel per indultui^. Obtinetur quoquo per communicationem, per legitimam consuetudinem et per praescriptionem. Privilegium lege vel consuetudine inductum etiam legis et consuetudinis sequitur normas. Praescriptione potius ius subiectivum obtinetur quam nonna iuris constituitur. *Communicatio* extendit ad alias personas privilegium quibusdam concessum ; idque vel per actum particularem vel per generalem dispositionem. Communicatio potest esse in forma principali et in forma accessoria : in priore casu, non autem in altero, privilegium subsistit indopendenter a priore concessione. Privilegium *reale* annectitur rei, loco, muneri ; *personale* adhaeret immediate personae: personalibus privilegiis accensentur privilegia concessa causae piae, religioni, etc. Privilegium, plerumque *favorabile,* fit etiam *odiosum,* quatenus est altori onerosum vel in commodum privatorum, iuri communi adversatur.

Interpretatio privilegii postulat ut verborum tenor servetur ; et ut privilegium semper aliquid operetur. Interpretatio interdum stricta, interdum et per so lata ost facienda.

Usus privilegii per so est libor ; por accidens fit necessarius, sive personis subditis, sive etiam communitati.

Cessant privilegia adventanto dio, exstincta persona vol ro cui adhaerent, revocatione, praescriptione liberati va oius qui onus fert ; renuntiatione, quao non est semper licita aut valida.

2. Solvitur quoque vinculum per *impedimenta* exsecutionis.

a) *Ignorantia* invincibilis, iam per se ; vincibilis, interdum, ex voluntate legislatoris, excusat ab obligatione.

b) *Impotentia* excusat, sive stricte talis, sive etiam nimium incommodum accidentale et non in munere acceptatum. Ex necessitate boni communis vel conexi praecepti negativi logis naturalis, lex obligat etiam cum periculo vitae.

c) *Metus* malitiam semper minuit ; immo incommodum excusans creare potest.

Quaestioni utrum necne causam impedimentorum voluntarie apponere liceat, cum distinctione respondendum est, attendendo rigorem praecepti, extensionem impedimenti, eius utilitatem, distantiam a praecepto, relationem inter impedimentum et materiam praeceptam, et inde prudenter colligendo voluntatem legislatoris. Causa tam bona esse potest, v. g. caritas erga aegrotos, ut fas sit directa intentione quaerere excusationem a praecepto.

3. Per *dispensationem,* seu legis in casu speciali relaxationem. Haec differt ab excusatione, ab irritatione, et etiam a *licentia,* quae est facultas facta secundum legem, ita ut non sit vulnus legis, et quae etiam praesumi potest.

Auctor legis vel cius aequalis aut Superior, alios proprio iure dispensat, non tamen directe se ipse, cum lego superiore teneatur ; sed ipse eximitur ubi alii dispensarentur. Potest tamen se ipse in generali dispensatione comprehendere; immo potestatem delegare ad secum dispensandum. Alii dispensant potestate delegata, sive universali sive particulari. Maxima delegatio fit, cum potestas communicatur tamquam ordinaria.

lusta causa, semper ad liceitatem requisita, ad valorem requiritur si dispensans non est legislator. Causae possunt esse *interiores* observationi, qualis est nimia difficultas, incommodum ; vel eidem *exteriores,* quao sive ex persona dispensantis, sive ex persona dispensati repetuntur vel ex bono communi. Dispensatio licita est *in dubio* de sufficientia causae ; sicut in dubio pro valore dispensationis est respondendum, ita ut subditus sincere et bona fide petens possit esse securus. Si apparuerit *nullam* fuisse causam, usus dispensationis fit illicitus. Si demonstretur insufficiens, dispensatio quao habet tractum successivum, cessat in futurum ; illa vero quae semel pro semper efficax esse debuit corruit vel non, secundum prudenter aestimatam mentem dispensantis eiusque potestatem.

Per se solis subditis conceditur dispensatio. Lex tamen interdum ad non subditos, puta ad religiosos exemptos, beneficium dispensationis extendit. Pro modo quo potestas ipsi facta est, potest delegatus dispensator secum vel non dispensaro.

Dispensatio etiam *pro alio* poti et impetrari potest, nec per se consensum dispensati requirit. Dispensatio *quae impedimentum* vel *inhabilitatem tollit* prodest ubique, sicut et *personalis ; realis* omnibus prodest in territorio.

Generalis facultas dispensandi, cum sit gratia facta dispen-

santi, amplo interpretanda est, secus atque ipsa dispensatio, cum sit vulnus legis, nisi motu proprio concessa sit, vel ad bonum commune, vel ipsi communitati, vel per legem.

Cessat dispensatio revocatione, cuius auctor esso potest legislator vel qui generalem dispensandi potestatem habet ; cessat quoque acceptata renuntiatione, morte dispensati, cessanto *ex* toto fine vel causa, si res habet tractum successivum, non autem si causa ad actum irrevocabilem, quale est matrimonium, sit perducta. Si nondum dispensationis usus factus est, mens dispensantis prudenter exploranda est.

CAPUT X.

Deminuta legis ratio.

§ I. — De praecepto.

230. — 1. Notio. Ipsum bonum commune postulat ut *accidentalibus* necessitatibus per iussiones sive particulares sive minus stabiles prospici possit. *Particulares* voco iussiones, quae uni vel relative paucis dantur. *Minus stabiles* iussiones etiam toti cuidam ordini civium, immo toti civitati per accidens dandae occurrunt: puta preces publicas quae saeviente peste indicuntur.

Praeterea, iussionibus particularibus per se regendae sunt plures personae aetate, mente infirmae, voluntaria subiectione subditae, sicut privatae domus et minores communitates.

Iussiones istae sunt *praecepta.*

In societate publica occurrunt propter accidentalem causam. Quare non omnis publica societas habet praecepta, quamvis omnis leges habeat. Leges, ut vidimus, possunt esse temporales, quamvis per se potius sint perpetuae ; attenta eorum causa, vel attento eorum subiecto, praecepta sunt *per se temporalia* seu precaria.

231. — II. Divisio. Praecepta ex potestate *dominativa* et ex potestate *iurisdictionis* manare possunt. Quae ex priore potestate dantur cessant necessario per mortem praecipientis : fundantur enim in mutua personarum relatione, quae alterutrius morte supprimitur. Nihil autem

per se obstat quin praecepta ex potestate iurisdictionis data, perseverent post mortem praecipientis. Cf. Wernz, *Ius Dear.,* I, 135. Ius itaque positivum adeundum est.

Capitula generalia religionum clericalium exemptarum (c. 601, § 1) habent potestatem legiferam qua suis decretis prorogare possunt quaelibet praecepta Superiorum : illa quoque quae ex potestate dominativa data sunt. Si ergo statuerint praecepta Superiorum vigere donec a successore revocata fuerint, praecepta ista, postquam Superior vita vel officio suo defunctus est, perseverabunt quatenus jurisdictione firmata vel virtualité! assumpta sunt a persona morali quae non moritur. Cf. Wernz, l. c. nota 235.

Pro personis quibus dantur, alia praecepta *singulis* personis dantur, alia *classi* cuidam personarum, alia ipsi *communitati,* sive dependenter sive independenter a territorio.

§11. — De Consilio.

232. — I. Notiones. 1. Haec est differentia inter consilium et praeceptum, quod praeceptum importat necessitatem, consilium autem in optione ponitur eius cui datur (S. Tu. 1, 2, q. 118 art. 4).

2. Consilium autem non datur de fine sed de medio ad finem (1, 2, q. 14 art. 2). Dicit enim inquisitionem de rebus agendis et rationes ex fine sumuntur.

Quia igitur *bonum,* qua tale, rationem *finis* habet, consilium proprie non datur de actione qua *bona* sed de actione qua *utili ad bonum*. Ipsa tamen actio quae est bona, ad maius bonum ordinari potest. Et sic consilium de actione bona dari poterit.

Itaque obiectum consilii proprie dicti est actio qua utilis ad finem : quae actio in se esse potest indifferens aut bona.

3. Latiore usu, obiectum consilii esse dicitur actio bona quae, attenta obiectiva sua ratione, non est praecepta, seu *opus bonum non praeceptum, melius suo opposito vel sui negatione non mala.* Cf. Passerini, *De hominum statibus,* in q. 184, n. 25-26 ; Palmieri, *Op. th.,* IV, tr. 9, c. 1, n. 4.

[230-232.]

Inde etiam opera bona, in adiunctis ubi non sunt praecepta, dicuntur consilia secundum quid, duin opera quae ex genere suo non sunt virtutis cuiuspiam sed conducunt ad perfectam virtutum exercitationem, sunt consilia simpliciter. Cf. Passerini, l. c. n. 56.

233. — II. Divisio. Consilia distinguuntur alia *generalia,* alia *particularia]* idque tripliciter: *a)* attenta *virtute* eorum, quatenus alia consilia generalis seu universalis utilitatis sunt ad omnem virtutum exercitationem, praesertim ad caritatem obtinendam, dum alia circumscriptam particulari bono utilitatem possident (1) ; *b)* attento eorum *subiecto,* alia hominibus per se, ut tria consilia evangelica, alia propter adiuncta particularia conveniunt, ut consilium de matrimonio (2) ; c) attenta eorum *promulgatione* seu intimatione, alia lege continentur (sic evangelica consilia), alia particulari locutione proponuntur.

SUMMARIUM.

234. — I. Nomine *praecepti* veniunt iussiones particulares vel minus stabiles quae accidentalibus societatis vel personarum necessitatibus provident. Alia praecepta manant ex potestate dominativa, alia ex potestate iurisdictionis : priora necessario cum morte praecipientis corruunt, nisi ex potestate iurisdictionis prorogentur. Praecepta dantur vel singulis personis, vel communitati.

II. *Consilium,* quo communicatur dictamen suasivum, proprie iit de modio non do fine, ac proin stricte do actione non quatenus sit bona, sed quatenus sit utilis sive ad bonum simpliciter sive ad melius bonum. Latiore usu, obiectum consilii est opus bonum non praeceptum. Sunt consilia particularia et sunt generalia, attenta eorum virtute, subiecto, vel intimatione.

(1) Suar., *Rei.* tr. 7, l. 1, c. 8, n. 2· Molitor, O. S. B. « *Religiosi iuris capita sclccta* », c. 1, n. 1.

(2) Aliter Suabbz, l. c. n. 0; Passerini, l. c. n. 58.

TITULUS II.

De diversis legibus.

Prius de lege divina, dein de lege humana scribendum est.

CAPUT I.

De lege divina.

Utilitas. — Officium religionis est ut divinam legem pro merito suo cognoscamus et aestimemus. Nec sine lege divina scientiam acquirere possumus legis humanae, cuius in re morali et canonica, perpetuae sunt applicationes.

Lex divina distinguitur *aeterna, naturalis, positiva.*

Articulus I. — De lege aeterna.

235. — I. Notio legis aeternae. *Lex aeterna* est « *ipsa ratio gubernationis rerum in Deo sicut in principe universitatis exsistens* » (1). Est aeterna determinatio sapientiae creatricis, quae ipsi rationi creatrici individuo nexu cohaeret. Per eam, universae creaturae, secundum suam naturam, ad finem suum ordinantur. Secundum suam naturam ; ac proin physica necessitate, si sunt irrationales; morali necessitate, si sunt rationales.

Quatenus creaturas rationales respicit, lex ponit in Deo non solum ordinationem in bonum commune sed etiam decretum eam promulgandi, ita ut omnia legis elementa in Deo sicut in legislatore adsint. Quia tamen lex factam promulgationem connotât, et haec supponat creaturas, lex ista, ante creationem, *causaliter* quidem completa est, sed *terminative* incompleta. Plura cf. philosophiam moralem.

(1) S. TU. 1, 2, q. »1 nrt. 1, o.

236. — Quid complectatur. Aeterna ista ordinatio complectitur tum ordinem istum hypotheticum congruentem cum natura rerum, quem Sapientia divina necessario concipit: ordinem naturae *purae·,* tum ordinem sublimiorem et perfectiorem quo divina Bonitas, ultra debitum naturae, creaturas rationales ab aeterno ad se ordinare decrevit: ordinem naturae *elevatae ;* tum ordinem omnium excellentissimum, quo divina misericordia lapsam in Adamo naturam in Christo reparare voluit : ordinem naturae *reparatae.*

Articulus II. — De lege naturali.

237. — I. Notio. 1. *Lex naturalis « nihil aliud est quam participatio legis aeternae in rationali creatura »* (1). Participatio habetur per lumen rationis naturalis, quo quae Deus ordinavit homo sibi imposita esse cognoscit, et, secundum illam ordinationem primariam, sibi et aliis providere etiam per secundarias ordinationes potest. Ratio autem naturalis, per se, solum ordinem naturae humanae proportionatum cognoscere potest. Quare lex naturalis circumscribitur illa parte legis aeternae quae ordinem ponit congruentem cum natura non elevata, ordinem igitur hypothetice, i. e. supposita creatione, necessarium : ordinem superiorem, qui priorem continet et perficit, attingere nequit.

2. *Lex naturalis omnem aliam legem fundat :* non solum legem *humanam,* quia principium obligandi nequit esse in homine (2), verum etiam legem divinam positivam. Ut hac tenear, oportet ut, in mea natura, dominium quo Deus me possidet et subiectam meam voluntatem habet prius legerim.

238. — II. Promulgatio. *Lex naturalis,* cum sit ipse ordo naturae, *in ipsa natura humana promulgata est.* Quare, quamvis in praesenti generis humani condicione, partes

(1) S. Th. 1, 2, q. 90 art. 2, e.
(2) S. TH. 1, 2. q. 93 art. 3.

obscuras habere possit, etiam secundum istas partes nos omnes obligat in actu primo, earumque ignoratio solummodo affert excusationem personae per se obligatae.

I. e. contra atque existimat Lehmkuhl .cî. I, 177, promulgata est *tota*. Etenim quacumque via noverim tale quidpiam ab ordine naturali postulari, iam id lego in natura mea, seu in authentico promulgationis instrumento. Ab initio tota nobis habitualiter inest(1). Esse partes stricte intellectui humano impervias, negandum putamus: hae ad legem *naturalem* non pertinerent. Si autem quod ad partes quae nunc obscurae nobis sunt et pro quibus revelatio moraliter nobis necessaria est, lex naturalis dicenda esset non promulgata, partes istae, post revelationem, ad ius positivum divinum non autem ad naturale pertinerent : quod nemo fatebitur.

239. — III. Divulgatio. In praesenti generis humani condicione, *revelatio* divina est *moraliter necessaria,* ut lex naturalis *satis expedite, satis certo, satis plene, satis generaliter* cognosci possit. Revelatio autem, qua sufficiens ista notitia data est, nunc est simul seu identice revelatio ad finem supernaturalem facta.

Verum etiam post revelationem, si plura omnibus patent, plura alia rudiores a doctioribus discenda habent, et plura etiam ipsis doctis diu controversa et dubia manent.

De istis officiis autem naturalibus quae per se omnibus cognita sunt, ambo haec utiliter notantur.

1. Praeter quaedam quae ita proxima sunt primis principiis ut ignorari nequeant, non paucae sunt conclusiones, etiam non ita a primis principiis remotae, quae, saltem extra materiam iustitiae, per accidens a pluribus per aliquod tempus ignorantur; atque ignorantia ista potest quoque, ob pravas consuetudines, augeri, ita ut v. g. simplex fornicatio passim pro illicita non habeatur. Cf. S. Th ., 1, 2, q. 94 art. 4 c. et art. 6.

2. Quae autem ab omnibus cognoscuntur, non tantum ex principio superiore ad quod reduci possunt (2) innotes-

(1) Cf. S. Th . 1, 2, q. 91 art. 1 ad 3. et responsionem in contrarium.
(2) S. Tn. 1, 8, q. 04 art. 2.

cunt, sed etiam directo intuitu in se percipiuntur. Unde fit ut de pluribus quae non ambiguntur laboriosa et controversa esse possit demonstratio : v. g. de gravi malitia omnis pollutionis voluntariae, do officio gratitudinis.

240. — IV. Firmitas. Nihil prohibet quin ad legem naturalem plura addantur. De ea autem *nihil subtrahi potest.* Quare quae lege naturali imponuntur immutabilia sunt. *Materia* autem quorundam praeceptorum alia in *potestate humana,* alia in *potestate divina* versari potest.

Usu tunc huiusmodi potestatis fit interdum ut, in paucioribus casibus, praeceptum negative vel adeo contrarie cessare videatur.

Sic destinatio communis rerum materialium efficit ut potestas publica dominium, ob iustas causas, ab uno ad alium transferre possit, ut res domino irrationabiliter petenti reddi non debeant. In his casibus, officium rem reddendi domino non urgebit, imino fortiore officio impediri potest. Deus ipse, non qua legislator sed qua dominus, efficere potest ut nota homicidii, fornicationis, a certa occisione, a certo concubitu absit, 1. 2, q. 9 art. 4, c.; art. 5, c.

Verum apparentes istae mutationes seu exceptiones nullam nobis rationem suppeditant cur, privata nostra hominum auctoritate, absoluta dictamina legis naturalis restringamus, quando agitur de materia quae nostrae potestati subtracta est, qualis est v. g. persona humana. Ita numquam, privata auctoritate, hominem occidere licebit.

Neque, in iisdem materiis, cessatio finis propter quem, v. g. pollutio, fornicatio prohibita sint, allegari potest ut quis se ab ordine servando immunem existimet. Non soli enim fini sed, et quidem maxime, ipsi ordini propter finem statuto subdimur. Titulum nostrae obligationis reperimus minus in tine qui accidentaliter deficere potest, quam in natura cuius ordo inviolabilis est singulis qui naturam istam participant. I. e. Deus non imperat naturae humanae per singulos homines, ita ut immediata singulorum obligatio obligationem naturae efficiat, sed singulis imperat per na-

turara. Ut maneamus in adductis exemplis, praeceptum non est tantum : « cura ut homines debite multiplicentur, ut proles prudenter educetur », sed est potissimum : « serva naturae ordinem qui ideo constitutus est ». Praeterea, cum ad finem naturalem geramus in nobis intrinsecam dispositionem seu ordinationem, iam contra finem agere incipit qui dispositionem istam in se perturbat per istius ordinis violationem, ita ut, quidquid eveniat, sit tamen iam peccatum contra finem naturae. Demum finis qui in aliquo casu cessare videtur non est finis adaequatus, sed ipsi rationi humanae plerumque partialis tantum esse iam perspicitur. Et quinam sumus ut operi Dei finem adaequatum assignemus ?

Sic, cum S. Thomas fornicationem esse grave peccatum demonstrat inde quia est contra bonum prolis, S. Doctor ncc ignorat nec negare intendit plurima alia mala quae concubitus extra-matrimonialis secum fert.

Conclusio ista *periculis alucinationis* confirmatur. In eam consentiunt probatissimi theologi, maxime aureae aetatis scholasticorum medii aevi, qui proinde, in gravibus et absolutis obligationibus demonstrandis officiorum naturalium, non experiebantur istam difficultatem quae egregios quoque theologos nostrae aetatis plus vel minus ancipites fecit.

Hac ratione, de ipsa lego naturali, S. Thomas scribere potuit «id quod cadit sub legis determinatione indicatur secundum id quod communiter accidit, et non secundum id quod in aliquo casu potest accidere » (2, 2, q. 154, art. 2).

Quod Kant etiam suo modo comprobat, cum hanc perpetuam agendi regulam ut necessariam proponit: Ita age, ut tua actio pro norma universali haberi possit ». *(Krit. der praktischcn Vcrnunft,* 1 T., 1 B., 1 *Haupts.,* § 7.

241. — V. Qtiaenani lege naturali contineantur. Omnia praecepta legis naturalis in summo illo naturali praecepto fundantur cuius nulla ignorantia habetur: *«Bonum est faciendum, et malum vitandum* ». I. e. haec omnia lege na-

turali facienda et vitanda praecipiuntur quae ratio naturaliter apprehendit esse determinate bona vel mala humana (1).

Ipsa ista praecepta varie distribui seu logico ordine exhiberi possunt.

Sic, sumendo hominem ut creaturam redemptam a Christo, videmus hominem quatenus est creatura, ea agere debere quae Deum glorificent ; quatenus autem est redemptus a Christo, eius actiones in gloriam Christi cedere debere. Dein, in naturalibus inclinationibus, secundum quod regulantur ratione, deprehendimus ad legem naturalem pertinere ea quae spectant ad conservationem propriam hominis, ad propagationem generis humani et debitam educationem prolis, ad veritatem superiorem et vitam socialem : quae sunt inclinationes hominis ut est substantia appetens suam naturam, ut est animal, et ut est animal rationale. Illa enim ad quae inclinamus sunt simul finis et bonum, cum ratio boni insit in fine. Cf. S. Thom., 1, 2, q. 94 art. 2.

Eadem praecepta possunt etiam proponi ut corollaria quaedam principiorum seu praeceptorum magis generalium. Sic ex praeceptis Decalogi multa alia praecepta colliguntur.

Sunt quoque postulata requisita *fine* ad quem ipsa lex constituta est. Sic spiritu caritatis agendum nobis esse docemur ipso fine omnis legis, qui est ut caritatem cum Deo et cum aliis hominibus habeamus (2).

Apparet etiam ordinem naturae tribus istis ordinibus componi : ordine quem homo ad Deum servare; ordine quem ad proximum tenere ; et ordine quem in se ipse curare debet. Et varia quae recitari consueverunt praecepta ad haec principia referuntur, per haec principia illustrantur.

Inde ordo naturae demonstratur totus quantus *essentialis,* quatenus ipsis essentiis innititur, et simul tamen intellegitur quomodo partes habeat minus substantiales. Sic, ad integritatem hominis in se ipso pertinent ordines quidam particulares, sine quibus tamen homo in se ipse substantialiter ordinatus permanere cernitur. Cf. dicenda de peccato mortali et veniali.

(1) S. THOM. 1, 2, q. 04 art. 2.
(2) 1, 2, q. 99 art. 1 ad 2.

242. — VI. Legis naturalis subiectum. Legi naturali omnis homo subicitur. Quare, quamvis pueri et perpetuo amentes formaliter peccare nequeant, ipsi materialia peccata committere possunt ; et natura humana potest ab alüs in ipsis violari. Quare culpandi sunt qui causa sunt cm· turpia a pueris peragantur; et dum simplicitate puerili abutuntur, genus quoddam stupri committunt.

243. — VII. Legis naturalis sanctio. « Ubicumque est aliquis debitus ordo ille ad finem, oportet quod ordo ille ad finem ducat, recessus autem ab ordine linem excludat (1) ». Idem confirmat Lehmk. I, 279, his verbis « Divina voluntas rationabilibus creaturis, sumimus hic hominem, libertatem sic reliquit, ut illae prout se libere divinae voluntati conformaturae aut restiturae essent, *suae ipsarum* felicitati aut miseriae consulerent ». Et re quidem vera, lex aeterna, cuius naturalis lex est participatio, in suo conceptu dicit ordinationem qua Deus omnia *ad se* revocat, et simul ad. propriam creaturarum perfectionem perducit. Qua ergo ratione vel proportione creatura libera ab illo ordine recedit, eadem virtualiter eligit recessum a propria perfectione seu bono et beatitudine, et a Deo. Atque oppositio contrarietatis infert aversionem et a Deo et a propria perfectione seu beatitudine. Et cum tinis naturalis contineatur eminenter in fine supernaturali, quo pacto a fine naturali, eodem a supernaturali receditur. In hac itaque conaturali sanctione legis naturalis, deprehendimus immediatam quandam indicationem seu explicationem peccati mortalis et venialis, de qua postea ; et iam intellegimus quo modo ipse homo peccans sit artifex suae ruinae. Cf. S. Tu. c. *Gentiles,* libro 3, cap. 140 et ss.

Ipsa igitur sua essentia, lex naturalis *tota quanta est moralis.* Et quia lex ista ordinem rationis totum imponit, totus quoque ille ordo lege naturali sanciri dicendus est.

Do divinae legis sanctione istud quoque observandum est. *Sanctio ista debet esse perfecta,* quatenus omni vi et dif-

(1) *Summa contra Gentile#,* III» 110.

ficultati praecepti sit proportionata, ita ut numquam homini vere utile vel beatum esse possit ah ea lege recedere ; sed non est opus ut de facto obtineat quasi universalem observationem legis. Ratio est, quia, sive homines observent sive violent legem divinam, finis primarius legis istius, externa Dei gloria, nullatenus frustrabitur. Leges humanae, contra, debent practice esse eflicaces, ne sint inutiles.

Articulus III. — De lege divina positiva.

244. — Duplex lex divina positiva distinguitur : lex *Veteris Testamenti,* quae fuit; lex *Novi Testamenti,* quae est.

I. *Lex vetus* praecepta moralia, caerimonialia, indicialia continebat. Gratiam per se non conferebat. Theologi Wirceburgenses (1), triplicem hunc finem primum et ultimum isti legi assignant: spiritualem et supernaturalem felicitatem populi electi ; peculiarem honorem Christi, ad cuius adventum populus se per explicitam fidem praeparabat ; institutionem populi electi ad necessariam honestatem, cultum divinum, et politiam.

Pars legis veteris a Deo per ministerium angelorum, pars per Moysen populo electo proposita est. Pars quam angeli dictarunt est *Decalogus,* cuius omnia praecepta sunt moralia, si excipias determinationem sabbati tamquam temporis quo Deo vacandum erat.

Decalogus tamen non omnia praecepta moralia *jormaliter* continet. Non continet enim duo summa praecepta et ceterorum principia quae, vel per naturam vel per fidem per se nota sunt rationi humanae, i. e. praeceptum dilectionis Dei et proximi ; neque remota consectaria moralia exprimit quae per diligentem inquisitionem rationi convenire inveniuntur. Sed illa formaliter enuntiat quae modica consideratione ex communibus principiis cognosci possunt, ac pertinent ad tres virtutes quae humanae conversationi maxime necessariae sunt, i. c. ad religionem erga Deum, ad pietatem erga parentes, ad iustitiam erga alios in universum.

(1) *De Legibus,* η. II.

Praesens tamen usus habet ut omnia officia moralia referamus ad decem praecepta Decalogi, pro conexione quam cum singulis habere demonstrantur. Of. 1, 2, q. 100 art. 3.

Porro « translato sacerdotio... neccsse est ut et legis translatio fiat». (Ilebr. 7, 12). *Omnis itaque lex vetus abrogatu est.* Nec praecepta moralia excipienda sunt. Verum haec subsistunt, non vi promulgationis mosaicae, sed vi promulgationis initialis in ratione et recentioris in evangelio seu Novo Testamento.

II. Lex autem *Nova* non alia praecepta imponit nisi fidei et sacramentorum. Dominus enim, auctor et promulgator legis amoris, reliqua omnia Ecclesiae definienda reliquit.

SUMMARIUM.

245. — I. *Divina lex* distinguitur aeterna, naturalis, positiva.

1. *Aeterna* est ipsa ratio gubernationis rerum in Deo exsistens cum decreto eam promulgandi, quatenus creaturas rationales respicit. Causaliter est completa in Deo, sed, donec subditi exsistant, est terminative incompleta. Aeterna ista ordinatio complectitur ordinem hypotheticum naturae purae, ordinem naturae elevatae, ordinem naturae reparatae.

II. 1. Lex *naturalis* est participatio, per lumen rationis, in rationali creatura, legis aeternae, quatenus continet ordinem naturalem. Lex ista fundat omnem aliam legem, etiam divinam positivam. Tota quanta est promulgata in natura nostra, quamvis eius sufficiens divulgatio postulet nunc revelationem. Pauca sunt ita proxima primo principio ut ab omnibus cognoscantur. Quae sic patent, non tantum ex principio deductive, sed etiam et facilius directo intuitu constant.

2. Lex naturalis est *immutabilis,* quamvis subtractione materiae interdum apparenter mutetur. Et numquam cessatio finis allegari potest ut homo ab ordine naturali servando se putet exemptum.

3. Naturalis logis praecepta fundantur in summo isto principio : Bonum est faciendum, malum vitandum. Ipsa praecepta vario distribui possunt. Quamvis omnis ordo naturae sit essentialis seu fundatus in essentiis rorum, partes tamen habet alias substantiales, alias secundarias, seu quasi accidentales.

4. *Subiectum* legis naturalis est omnis homo.

Lex naturalis perfectam habet *sanctionem* felicitatis et ruinae ; et, sive observetur sive non, primarium suum finem attinget.

III. Duplex est lex *divina positiva :* Veteris Testamenti, cuius pars potissima est Decalogus, qui tamen non omnia praecepta moralia continet, et est ex toto abrogatus a promulgatione legis ovangelicae ; et Novi Testamenti, quod non alia praecepta imponit nisi fidei et sacramentorum.

Appendix De lure Gentium.

Utilitas. — In hodiernis controversis socialibus et politicis, accuratae notiones de iure gentium valde usu veniunt.

246. — Varii usus vocabulorum. Appellatio *luris Gentium* satis aequivoca est. Romae enim designabat ius istud magis aequitate naturali constitutum, quo *peregrini* utebantur, dum leges *civiles* pro solis *Quiritibus* latae erant. Interdum, significatione huc impertinente, *iure gentium* regi dicebantur olim inclinationes propriae hominis quatenus est ens rationale, *iure* vero *naturali,* instinctus communes hominum et brutorum, puta instinctum conservationis, propagationis (1).

Usu hodie frequentissimo, *ius Gentium* appellatur ius quod *inter Gentes* tempore tum pacis tum belli observandum est, et quod, saltem ex parte, positivis pactis definitum est.

Quaestio praesens. — Verum plura instituta sunt quae *jere ubique,* ne dicam *ubique,* vigere cernuntur, neque ex positiva lege, neque ex iure proprie naturali oriri videntur. Instituta huiusmodi, alia relationes moderantur inter incolas eiusdem rei publicae, ita ut materialiter describi potuerint, *ius civile plurimarum gentium* : sic ius praescriptionum, divisio bonorum, et olim ipsa servitus ; alia vero spectant sive ad condicionem quam cives peregrini in alia

(1) s. Tu. Icct. 12 in 1. 5 Ethic ; 1, 2, q. 95 art. 4 ad 1 flu.; 2, 2, q. 57 art. 3 c. et ad 3.

re publica obtinent, sive ad ea quae inter res publicas observanda sunt : varia legatorum privilegia ; vetitam occupationem alti maris ; concessionem singulis populis maris finitimi ad certam distantiam ; observationem vexilli albi.

Iam vero, de *jormali ratione* qua huiusmodi instituta vigent quaeritur et disputatur, cum alii appellent ius naturale, alii ius positivum; alii ius quoddam medium, quod alii magis ad naturale, alii magis ad positivum accedere contendunt.

Eius solutio. — Omissis hic controversiis, ius istud *vere medium* esse statuimus. Etenim, perspecto genere humano quale nunc est, postquam homines satis multiplicati sunt ut in perfectam societatem convenire deberent, iidem ultro, sine alicuius auctoritate vel formali pactione, consenserunt de divisione bonorum et nationum, de admittendis legatis, etc. Manifesta enim ipsis erat huiusmodi institutionum necessitas. Natura quidem, per se sola, optionem linquere videtur possessionis divisae vel coniunctae, rei publicae singularis vel pluralis, atque ita porro. Verum, postquam introductae sunt istae institutiones, ipsa natura, (piae conspirationem socialem efficaciter sancire vult, easdem firmat atque obligatorias efficit. Pertinent itaque ad ius vere medium, quatenus institutio positiva fuit necessaria *condicio* ut ipsum ius exsisteret. Neque magis generale vel firmum est quam ipsa condicio originaria. Quare ius istud est minus *universale* et minus *immutabile* quam ius naturae proprie dictum. Minus *universale* : non repugnat enim naturae ut in quibusdam specialibus adiunctis bona communiter possideantur. Minus *immutabile* : adiuncta enim quae institutionem manifesto necessariam faciunt, possunt esse ipsa praesens et communis condicio generis humani post peccatum : et talia adiuncta perpetuam hic in terris firmitatem praedicto iuri spondent ; et possunt quoque cohaerere cum stadio deteriore humani cultus. Sic civitas seu ipsa res publica diu non fuit res omnium, et servitus perhibebatur necessaria, dum nunc prohibitio servitutis ad ius Gentium pertinet. Eritne semper divisio generis

hnmani in plures nationes omnino independentis iuris : id quoque ambigi potest.

Ius Gentium satis apte referri potest ad ius naturale, sicut *ius consuetudinarium* ad *ius humanum scriptum*. Illud obligat ex iure condito ab Auctoro naturae ; istud ex iure condito ab auctore legis scriptae. Consuetudo est lex moribus populi promulgata ; ius Gentium promulgatur moribus populorum. Ambo denique scripto iure confirmari possunt.

247. — Explicatio iuris stabilis appropriationis privatae. Propter ferventes hodie controversias, operae pretium videtur aliquantisper insistere in varia ratione qua ius appropriationis privatae, — quod, classicos scriptores imitantes, tamquam exemplum allegavimus instituti iuris Gentium, — *a civili potestate* independens vindicari possit. Etenim vel refertur *ad legem naturalem* quae ius istud immediate dederit, ita tamen ut idem obnoxium fecerit pluribus limitationibus iuris positivi ; — vel ius istud repetitur *ex iure Gentium,* quale istud modo descripsimus; — vel ascribitur ad ius Gentium sic intellectum ut tacitus hominum *consensus* in divisionem bonorum sit non solum condicio sed *vera causa* ipsius iuris bona divisim possidendi. Tunc, ut comparatione utamur, sicut de fide tenenda sunt non ea sola quae sollemni iudicio credenda proponuntur vel in Concilio oecumenico vel a S. Pontifice ex cathedra loquentis, sed illa quoque quae ordinario suo magisterio Ecclesia docet esso credenda, sic, praeter sollemnem legis promulgationem, haberetur quaedam promulgatio implicita legis in ipso Gentium consensu . Verum tunc ipsi multitudini, qua tali, agnoscenda est vera iurisdictio et potestas legifera.

Prima forma ratiocinii, post C. De Lugo *(De lustitia,* d. 6, n. 5.6) est hodie magis recepta apud catholicos ; atque Encyclicae Litterae *Rerum Novarum* eandem sancire sua auctoritate videntur. — Altera ratio dicendi, cum formalem vim iuris repetat a lege naturae, cncyclicis litteris non contradicit, et quasi concordiam suggerit inter doctores scholasticos et modernos catholicos. — Tertia videtur magis consentanea placitis classicorum doctorum, sed a recepta hodie inter catholicos doctrina magis distare videtur. — Tertiae explicationi istud quoque fortasse opponi potest, omnem vim consuetudinis consensui Legislatoris ascribi, quod non videtur necessarium, si ipsa multitudo consentiens sibi legem imponit.

Controversia ista arcte cohaeret cum quaestione de primo subiecto potestatis publicae : cstne populus, ut morali unanimitate docebant aetate Bellakmini, an designatus princeps eandem immediato a Deo accipit. Sed de his plura, proprio loco.

248. — *Formali iure Gentium explicari nequeunt sanctiones* prorsus *particulares iuris internationalist* quae sine expressa pactione observantur. Ad has enini natura se habet plane indifferenter. Confugiendum itaque est ad pactionem tacitam ; vel admittenda est quaedam vera excultarum gentium societas formae perfecte democraticae, cuius ius consensu totius multitudinis innitatur (1). Recens itaque *Societas nationum* considerari potest, non ut novum quoddam initium, sed potius ut magis aperta et completa ordinatio rei iamdudum exsistentis. Quantum vero huius Societati prodesset, ut centrum catholicae unitatis in centrum consociationis populorum restitueretur ! Solutio omnium difficultatum, Christus !

SUMMARIUM.

249. — *Ius Gentium,* cuius nomen est varii usus, nobis hio designat instituta quae morali universalitate vigent, etsi nec a iure proprio naturali nec a formali logo positiva manare videantur.

Ius istud *medium* osso arbitramur, quatenus consensus hominum sit condicio requisita, qua posita, ipsa lego naturali sancitur. Instituta igitur ista pertinent ad ius naturale hypotheticum.

II. Fit itaque ut itw *appropriationis privatae* ascribatur ab aliis ad ius naturale; ab aliis ad ius Gentium qualo istud describimus ; ab aliis demum ad ius positivum, Gontium tamen, quatenus, auctoritate gonori humano commissa, per gonoris humani consensum appropriatio tamquam ius condita sit.

III. Sanctiones omnino determinatae iuris Gontium ascribendae sunt vol tacitae pactioni vel international! cuipiam societati, formae perfecto dcmooraticao.

(1) Sententia Ista exponitur a Suarf.z, *Leo.* L. 2, c. 19, 9 ; a Taparf.lli, *Sagaio* n. 1357-1368 ; a Van Gkstel, *De iwtitia et leae civili,* XLII sed tamquam periculosa fictio relcltur a ScniFFiNl, *Comp. Ethic,* n. 193.

CAPUT II.

De lege humana.

Ordo dicendi. — Primo pauca puncta *communia* manifestae utilitatis tractabimus: obligationem et formas secundarias legum; dein de lege *ecclesiastica* tum do *civili* agemus.

Articulus I. — Communia legis humanae puncta.

§ 1. — Quomodo obliget lex humana.

I. — *Fons obligationis legis humanae.*

250. — Vera legis humanae causalitas. Praeter eaquae lex naturalis vel ipsa determinavit, vel saltem sancit postquam ultroneo hominum assensu constituta sunt, plura alia sunt quae vario modo ad bonum commune ordinari possunt, vel quae saltem, si manifesta utilitate commendantur, propter oppositas utilitates privatorum, nullum consensum per se obtinebunt praeter eum quem potestas humana imperaverit. *Vim itaque haec definiendi et urgendi Auctor* et sapiens provisor *naturae contulit auctoritati publicae* seu Legislatori humano. Is igitur, non mere locum dat condicionato cuipiam iuri naturali, sed per suam voluntatem *vera causa fit,* et quidem *principalis,* legis cuius ambitus, severitas, firmitas, eius voluntati subiecta sunt. Ipsa tamen vis efficaciter imperandi seu obligandi in Principe inest *ex Lege divina,* sive positiva, cum agitur de Ecclesia, sive naturali, cum agitur de Societate civili. Communicatio potestatis per legem divinam *positivam* facta est verbis quibus Christus, postquam omnem potestatem sibi datam memoravit, apostolos suos misit sicut Pater Ipsum miserat, cum potestate ligandi et solvendi. Communicatio autem per *legem naturae* demonstratur in voluntate divina

quae, humanam societatem volens, eandem mediis necessariis destitutam esse non sinit.

Itaque, *auctoritate per legem divinam communicata, lex humana est causa vere principalis obligationis moralis.*

II. — *Obligationis species moralis.*

251. — Conaturalis efficacia legis. Qui legem vel praecepta condit propter bonum commune, non urget particulare debitum ad se, sed ea vult efficaciter quae communi bono postulantur. Bonum autem commune, — cum multis elementis coalescat, — postulat actus multarum virtutum, immo omnium, eos v. g. quibus iura observantur, debita obsequia parentibus, Superioribus deferuntur. Igitur, ut efficax sit eius gubernatio, legislator actus istos facere potest necessarios secundum se, vel si iam erant debiti, eorum necessitatem novo titulo confirmare. Illud efficit, dum legem condit, vel dum praecipit ex iurisdictione. Itaque res praecepta ex iurisdictione necessitatem induit virtutum ad quas eadem pertinet, ita ut violatio legis variis istis virtutibus adversetur. Cf. v. g. Caietan., in 2, 2, q. 88 art. 5, ubi praeclare ostendit quid intersit inter obligationem ex lego et eam quae ex voto contrahitur.

III. — *Obligationis species theologica.*

Quia legislator infra non tamen ultra materiae capacitatem praecipere potest, duo nobis perpendenda sunt : quaenam sit materia capax obligationis gravis ; quaenam prudenter existimetur esse mens legislatoris.

252. — 1. Materia capax gravis obligationis. Observatio legis *positivae,* qua talis, *immediatam* istam relationem ad finem hominis non dicit quam in observatione legis naturalis deprehendimus.

Obligatio advenit propter finem distinctum ab eo qui simul naturalis et essentialis est ; ac proin non ex essentia

subiecti cui lex praescribitur, sed ex illo fine suam necessitatem haurit. Hic tamen lex divina ab humana sedulo distinguenda est.

Etenim, cum agitur de *lege divina positiva* qua ad ordinem supernaturalem evehimur, finis legis est ipse *sublimior* hominis finis ultimus, quo linis mere naturalis veluti sorbetur. Quare, quando imputanda est, contrariotas ordini istius finis sublimioris voluntarie opposita, maiorem gravitatem habet quam habuisset contrariétés quae ordini mere naturali repugnaret : continet enim aversionem ab excellentiore bono, contemptum maioris beneficii.

Sed finis *legis humanae* semper est *secundarius.* Dicit complementum ordinis primarii quo homo per divinam legem ad finem suum ultimum dirigitur. Finis iste praeterea ratione humana dignosci et aestimari potest.

Idem hoc altero modo proponi potest. Quia in virtute legis naturalis omnis alia obligatio radicatur et fundatur, *lex humana obligat conscientiam, quatenus* eius observatio vel violatio *attingit ordinem essentialem lege naturali constitutum.* Sic, in privata relatione inter patrem et filium, violatio praecepti paterni gravis erit quatenus pater simul graviter et rationabiliter invitus sit quominus eius praeceptum violetur, et sic *ordo pietatis* ad ipsum vere *turbetur.* Atque in publica relatione inter legislatorem et subditum, violatio legis seu praecepti putabitur gravis, quatenus *notabiliter opponatur bono communi* quod lege intenditur, seu quatenus communitas, quae per legislatorem agit et cuius bonum intenditur, graviter et rationabiliter invita censeri debeat.

Ad prudens indicium de gravitate materiae efficiendum, *duo,* ut iam insinuavimus, *consideranda sunt* : legis seu praecepti *obiectum* (1), et *proportio medii praecepti* in ordine *ad illud obiectum.* Ex fine et praecepto medio, ait *Suarez,* « prudenti arbitrio spectatis, colligenda est materiae gravitas » (Suar., *Leg.* l. 3, c. 25, n. 7 ; cf. Lehmk. I, 240).

(1) Obiectum amplo sumendum est, prout, praeter materiam» complectitur circumstantias et potissimum le^is finem, maximo proximum seu intrinsecum, per quem demonstratur virtus ad quam res praecepta pertinet. C(. diota de specificatione morali.

De prudenti isto arbitrio haec praeterea notanda sunt, a) Separatim a fine considerata, materia levissima esse potest, dum, coniuncte cum fine, gravis demonstratur. Sic, sub gravi, modicissima aqua est, a Sacerdote sacrificante, vino miscenda, quia minima ista copia necessaria est et sufficit ad symbolicam repraesentationem incarnationis, in ritibus missae, *b)* Pro diversitate finis, eadem res potest esse gravis cum ab Ecclesia praecipitur, levis cum a potestate civili (Leiimk. I, 240) , vel etiam ex dominativa potestate parentum imponitur. Sic, omissio unius sacri est gravis, si p-accepto Ecclesiae adversatur, non autem si legi civili vel iussioni parentum contradicit, c) Plures sunt actus qui, separatim considerati, communi bono non sunt graviter damnosi ; qui voro tales evaderent si a pluribus fierent. Graviter interest rei publicae ut periculum istud avertatur. Quare legislator humanus haec singulis sub gravi vetare potest. Sic, quod unus civis se subtrahat servitio militari, tributa non solvat, id modicum per se momentum habet. Quod multi se subtrahant, id graviter nocebit. Haec itaque sub gravi vetari poterunt.

Praesumptio favet legislatori, si praeceptum sub gravi urget (Suar., *Leg.,* l. 3, c. 25, n. 4).

253. — Legislatoris mens de obligatione. Ut prudenter solvamus alteram quaestionem, quandonam legislator censeatur secundum capacitatem materiae praecipere, quandonam obligationem minuere vel adeo legem mere poenalem condere, *ecclesiastica* lex a *civili* omnino secernenda est. Iam per se intellegitur in societate quae propter bonum spirituale exsistit et saepe exteriore coactione uti nequit, leges morales multo plures esse debere quam in societate temporali, quae physice armata esse consuevit. Cui hodie accedit practicus atheismus plurium administrationum publicarum. Quare :

1° *De lege ecclesiastica* haec tenenda sunt :

«) Nisi signum contrarium habeatur, lex ecclesiastica praecipiens vel vetans, obligationem conscientiae eamque cum materia congruentem imponit ;

Clausula obligationem extenuans vel adeo legem ad poenalem reducens hodiernis religiosorum constitutionibus apponi consuevit. Recepta quoque probatorum auctorum sententia vim plurium

rubricarum, v. g. oarum quao extra missam observandae sunt, extenuavit;

b) Signa declaratae gravia obligationis sunt : *a) Verba* quae magnam vim habent : « iubemus, interdicimus, in virtute sanctae obcedientiae, vel vi voti aut iuramenti, vel graviter mandamus » (1). Verbum « praecipio » ad materiam quooue levem aptatur, *β)* Persuasio peritorum et usus timoratorum, qui sic rem aestimant, y) Nunc, cum agitur de lege universali Ecclesiae, comminatio poenae sive latae sive etiam ferendae sententiae. Ex c. enim 2218 § 2, colligimus comminationem poenae non fieri in Codice nisi Legislator rem per se pro gravi habeat et pro gravi imponere voluerit. Namque canon ille a qualibet poena immunem decernit eum qui in foro externo gravem imputationem a se excusserit. Omitti itaque iam possunt sub hoc respectu variae poenarum divisiones quae ante Codicem proponebantur.

2° *De lege civili,* omissis disputationibus, haec prudenter dici posse videntur. Legislatori quoque ethnico aut parum pio notestas ligandi conscientiam nullatenus deest. Facilius autem, propter facultatem coercitionis, ipse poena imposita contentus esse potest. Et legislatores hodierni, maxime Parlamenta, de reatu coram Deo parum solliciti esse solent. Multi praeterea subditi, ex iis etiam qui civiliter honesti reputantur, hanc conscientiae obligationem penitus posthabent : parum autem aequitati consentaneum videtur ut alii aliis fortiori legis onere premantur. Rursus tamen, ipsum bonum commune postulat ut quaedam leges efficaces sint in conscientia. Tales sunt leges quae iura privatorum magis definiunt, v. g. regimen haereditatis, modos acquirendi bona ; aut quae, in materia ubi legislator competens est, obligationes quasdam penitus exstinguunt. Nonne bonum commune exigit ut sententia indicis per se in conscientia observari possit ; ut idem per se sit dominus coram Deo et coram lege ; ut « dualismus » quo aliter in

(1) Sio Busembaum, *De Legibus,* dub. IV, apud S. ALPnONHUM vel Ballerini-Palmieri.

conscientia, aliter in foro exteriore respondetur, in quaestionibus patrimonialibus vitetur ? Praeterea, lex simul indicat quid ad bonum commune fieri expediat vel debeat. Quare adiuncta moralem necessitatem imponere possunt faciendi quod lex, etiamsi per se poenalis sit, praescripserit. Neque addita poena tollere potest reatum qui ex obiecto, ex circumstantiis, ex fine, ex modo actioni inesse potest. Homicidium moraliter malum manet, quamvis gravissima poena civili plectatur : id nemo ambiget. Atque attendenda quoque est declaratio quae in lege etiam civili contineri potest. Supponamus potestate publica edictum promulgari quo actus quidam perduellionis notantur et ideo gravissima poena mulctantur. Num actus isti, attenta gravissima poena fori exterioris, sine reatu conscientiae fieri poterunt ? Nullatenus. Praeter enim sanctionem poenalem, edictum liuiusmodi continet authenticam declarationem de qualiatte quorundam actuum. Et perduellio ipsa naturae lege vetatur.

His praepositis, *breves* istae *conclusiones* de obligatione legis civilis proponi possunt :

a) Hodie, ex probabili opinione, eae solae leges civiles *conscientiam immediate obligant quae,* ob boni communis necessitatem, *talem vim habere debent.* Id frequentius contingit in legibus quae de iuribus decernunt quam quae directe quidpiam praecipiunt aut vetant sub poena ;

b) Pro morali et non mere poenali habenda tamen erit lex quae *communi aestimatione* vel indicio complurium doctorum virorum conscientiam immediate vincire putatur. Cf. Lehmk. I, 312. Consuetudo enim est optima legum interpres ; nec negari potest, post immane bellum quod « ingentis belli » nomen servabit, animos, ex perspecta rei communis necessitate, magis propendere in urgendam conscientiae obligationem ;

c) *Gravitas* adiectae *poenae,* praesertim mulctae, *interdum,* sed non semper, indicium legis poenalis esse potest, ut si nimium videatur, ut reus simul in peccatum et talem poenam incurrat. Quod praesertim eveniet quando, ut in legibus mere fiscalibus, poena pecuniaria debitam praestationem formaliter compensat ;

d) Saepius, quam plures aestimant, adiuncta efficiunt ut *lex per se poenalis obsereanda sit in conscientia.* Sic, tempore belli, militi rite conscripto deserere aciem minime licet. Sic, cum ad penuriam rerum vel nimiam earum caritatem praecavendam aut propulsandam cives iubentur vel alimenta afferre in commune, vel pretio temperato contenti esse, communis necessitas haec facile in conscientia imponet ;

e) Quod de accidentali obligatione regularum religiosarum ex scandalo, subiectiva inordinatione appetitus dicitur, etc., huc quoque, proportione servata, transferendum est ;

/) Non ultra tamen urgere debemus leges civiles v. g. fiscales, quam probi viri eas observare solent. Verum simul talis observatio omnibus inculcanda est.

Quaestio ceterum de variis legibus recurret, et in re civili, potissimum movetur de legibus tributorum, venationis, piscationis et politiae exterioris.

Denique qui legem violaverit ex *contemptu formali* legislatoris seu auctoritatis qua talis, graviter ipso *contemptu* peccaverit : aliud dicendum foret, si mere contemnatur res praecepta quia parvi aestimetur aut non recte praecepta sit (Ball.-Palm., *Opus theol.* I, tr. 3, *De \Legibus,* n. 303),

IV. — *Obligationis materia.*

254. — Quid praecipi possit. 1. Ex ipsa legis notione colligitur, a legislatore humano *praecipi posse id omne et solum quod ad bonum commune societatis* cui praeponitur expedit ut praecipiatur. Atque excipienda est materia reservata ordinationi potestatis quae superiorem societatem regit, qualis pontificia auctoritas est respectu episcopalis seu dioecesanae, et ecclesiastica potestas erga civilem auctoritatem.

2. *Excluduntur actus mere interni.* Etenim lex humana, cum sit praeceptum commune, singulos afficit prout pars sunt societatis visibilis et proin socialiter inter se communi-

eant. Quare illa potestas est necessario fori exterioris. Legislativa potestas pro foro interno concipi non possit nisi vicaria Dei et nomine Dei exercenda : sed nullum talis potestatis vestigium vel directe ex revelatione vel indirecte ex usu Ecclesiae deprehenditur (1). Actus vero *interni,* i. e. qui internis potentiis consummantur, ad socialem communicationem non pertinent : per illos non communicamus cum aliis. Ergo, sive agatur de societate civili sive etiam de Ecclesia, *actus interiores directe et secundum se obiectum legis humanae esse nequeunt.* Ita S. Thomas, qui id ad quodlibet praeceptum Superioris applicat, hac utens ratione, quod homo de alienis internis actibus neque indicium ferre neque efficaciter exigere poenas queat (2). Et re quidem vera, potestas legislativa, iudiciaria et coactiva partes sunt unius integrae potestatis iurisdictionalis, quae proin iisdem terminis per se continentur.

Id tenent quoquo Suarez, *Leg. I.* 4, c. 12. 13 ; Lugo, *De Fide,*. d. 23, n. 6. 10 ; S. Alpii. l. 7, n. 34 ; d'Annibale, I, 200. Non desunt tamen hodie qui potestatem praecipiendi actus internos Ecclesiae concedendam putant. Sic Ball.-Palm., *Op. th.,* I, n. 390 S8. ; Bouquillon, n. 110, quibus favet Lehmk. I, 221-224.

Attamen :

a) Actus occulti a iurisdictione humana non excluduntur : per accidens latent ;

b) Potestate humana imperari possunt *actus mixti,* qui componuntur actu exteriore et actu interiore requisito sive ut actus sit *humanus,* sive ut actus sit *iuridice validus* sive ut *speciem praeceptam* habeat. Nisi enim frustraneam astruere velis potestatem humanam, ad haec quae actum exteriorem integrant debet attingere posse. Sic qui iuramentum praestare, sacramentum administrare iubetur, debet intentionem iurandi, administrandi habere. Qui obligatur ad actum cultus divini, v. g. ad recitandum breviarium, ipsam legem humanam violat si essentialem ora-

ti) Suar. *Lea.* 1. **4, c. 12, n. 10.**
(2) 1, 2, q. 91 art. 4 ; q. 9G art. 5.

tioni intentionem non conceperit. Digna quoque receptio sacramentorum ab Ecclesia praecipi potest ;

c) *Actus qui utriusque modi, interioris* et *exterioris, capax est,* cadit sub praeceptum humanum ratione modi exterioris qui iniungi potest. Satis tamen per se erit ut subditus actu interiore faciat quod praestare iubetur. Sic Superior religiosus, Papa, *applicationem missae* praecipere possunt, cum exigere possint ut applicatio voce vel scripto concipiatur. Sed etiam interne facta applicatio legi per se satisfacit ;

d) Ecclesia potest *condicioni actus interioris annectere* quendam *favorem,* v. g. indulgentiam. Aliquem tamen actum exteriorem exigere solet. Cf. de indulgentiis ;

e) Cum dogma definitur vel infallibilis declaratio moralis promulgatur, ipsa lex *divina* assensum interiorem imponit. Sed excommunicatio ob haeresim mere internam non incurritur. Cf. Lugo, *De Fide,* d. 23, n. 6. 10 ;

/) In bonum singulorum *Ecclesia* donata est *iudiciali et dispensativa* quadam *potestate fori interni,* nomine Dei exercenda. Dum ea potestate utitur, absolutione, dispensatione, absolvit vel remittit etiam interna peccata, et interna vota. Atque in eodem foro, ubi causa inter Deum et hominem agitur, actus quoque interni praecipi possunt.

Porro, — haec est vis practica istius sententiae, — quod Ecclesia praecipere nequit, nequit censura latae sententiae munire, vel, si forte innotescat, sententia iudiciali sancire.

Minus itaque a doctrina supra tradita discrepant ii qui, cum auctoritatibus probatis a Ballerini-Palm. I, 390 ss., vim directivam a coactiva distinguunt, et potestati ecclesiasticae solam vim directivam in actus mere internos tribuunt. Parum tamen efficaci argumentatione utuntur. Cum appellant finem ecclesiasticae potestatis, qui sit spirituale bonum animarum, facile respondetur, si de potestate sociali seu fori exterioris agatur, finem esse bonum spirituale animarum per aptam conspirationem socialem procurandum, non autem per directionem singularum personarum : haec ad forum internum pertinet, ubi humana potestas non est legislativa. Neque urgenda sunt verba Christi : « Quodcumque

ligaveris » etc. Haec enim accommodari debent ad rei naturam, ad Ecclesiae missionem, ad sensum traditionalem: sin ininus directa potestas in temporalia foret quoque Ecclesiae agnoscenda.

V. — *Obligationis initium.*

255. — Canone 10 haec regula ponitur: « *Leges respiciunt futura, non praeterita, nisi nominativi in eis de praeteritis caveatur* ».

Pauca autem de applicatione regulae et de exceptionibus quibus circumscibitur addenda sunt.

1. *De applicatione regulae* :

«) Perspicua est applicatio, cum agitur de lege mere *praecipiente vel prohibente.* Actus *antea* facti erant liciti, nec quempiam reum constituere possunt ;

b) Quod ad legem *poenalem,* actus per se aestimandus est lege quae tunc vigebat. Verum huic regulae in favorem rei derogari consuevit. Cf. statim infra ;

c) Difficilior est applicatio ad legem quae actus *infirmat,* personas *inhabiles* facit, *condiciones* ad validam vel licitam celebrationem actus *exigit.* Quomodo definiendum est *ius quaesitum* cui, in his casibus derogandum non est ? Mira est de hac re opinionum discordia. Ex principio supra tradito, η. 1T3, actus *validi* manent, si impletae sint condiciones capacitatis et formae quae, tunc cum factus est, requirebantur. Attamen de actu revocabili et facile iterabili quale est testamentum, controvcrtitur res, ita ut caute in hac re agendum sit.

Quod attinet ad *effectus legales actus,* subsistunt, id patet, effectus usque ad novam legem producti. Sed a momento novae legis, efficacia actus validi per se ex nova lege aestimanda erit. Supponas legem quae mutet portionem de qua testator libere disponere permittitur, aut novam causam inducat cur pactiones rescindi possint. Lex ista reget quoque pactiones anteriores et testamenta de haereditate nondum delata quando lex promulgata est. *Status* personarum (quatenus aetate, origine definitur), per se regitur nova lege. Quare adolescens qui quindecim annos natus erat

cum Codex vigere coepit, poterat antea uxorem valide ducere. A vigente autem Codice id non poterit, donec sextum decimum aetatis annum compleverit. Sed subsistit, ut patet, matrimonium quod, quatuordecim annos natus, ante Codicem contraxerit. Minor non retinet sub iure novo (c. 93, § 2) domicilium quod sub anteriore acquisierat.

De effectibus pactionum istud peculiare observandum est, partes per legitimam pactionum viam sibi quaesivisse iura quae per se sub nova lege intacta manere debent. Quare, etiam sub nova lege, effectus pactionum ex lege sub qua factae sunt aestimandi sunt.

2. *De exceptionibus regulae* :

a) Ordo *processualis* (seu iudicandi) qui nova lege statuitur, ad causas natas ante novam legem applicatur. Novus enim modus perfectior esse praesumitur, ac proin talis putatur cuius usus per se sit iustitiae et partibus litigantibus magis utilis (1);

&) Quia reo favendum est, can. 2219, § 2 hanc regulam statuit : « Licet lex poenalis posterior obroget anteriori, si tamen delictum, quando lex posterior lata est, iam commissum erat, applicanda est lex reo favorabilior ; quod si lex posterior tollat legem vel poenam tantum, haec statim cessat, nisi agatur de censuris iam contractis ».

N. B. Plura in hac re dubia et controversa manent, de quibus cf. tractatus iuridicos. Id unum addimus, cum lex posterior praesumatur perfectior praecedente, in dubio potius pro ea respondendum esse.

§ 2. — De auctoritate populi ET DE FORMIS SECUNDARIIS LEGIS HUMANAE.

Quaedam dicenda supersunt de *auctoritate populi* et *de formis secundariis* legis humanae. Binas formas secundarias legis humanae hoc loco considerabimus : alteram, quae secundaria est attento modo promulgationis, et est

(1) Toleratur tamen temperamentum, v. g. in causis bcatiflcatlonis per ▾ iam non cultus, quae ante severiorem legem novam inceptae sunt.

lex non scripta seu *consuetudo* ; alteram, quae accedit ut complementum legis principalis, et est *instructio* vel *decretum*.

I. — *De auctoritate populi.*

256. — Principium. *Populus,* ille saltem qui, in societate perfecta, vel ab ipso Deo, ut in Ecclesia, vel alia legitima constitutione (1) subest potestati legislativae gubernantium, qua talis, *non est legislator.* Quare legem latam recipere debet, nec lex formaliter cessat quia non acceptatur. Quare etiam populus non valet ad novam legem inducendam ; neque est authenticus legum interpres.

Verum ex rationabili vel benigna legislatoris voluntate plura potest in firmitatem et interpretationem iuris constituti, sicut in novi iuris originem.

257. — **I.** Actio populi in legis firmitatem. Vis legis ab *acceptatione populi* non pendet ; et Alexander **VII**, hanc proposit. 28 reprobavit : « Populus non peccat, etiam si absque ulla causa non recipiat legem a Principe promulgatam ». Quare, cum de nova lege pontificia agitur, episcopi et praelati inferiores eam in usum deducere debent. Attamen :

1. Si prudenter iudicent legem pontificiam suis dioecesibus minus convenire, *episcopis* licet rem Pontifici reverenter aperire, et, dum expectatur responsum, interea *per epikeiam,* legem pro suspensa habere. Quod, propter causae paritatem, valere quoque arbitramur de praelato inferiore cui iussiones Superioris maioris exsequendae committuntur.

2. Si lex sit omnino dura quae, sine magna rerum mutatione et perturbatione, observari non posset, ipsi subditi poterunt vel ab inferiore ad superiorem potestatem (non tamen a Papa ad Concilium, cum Concilium non sit supra

(1) Sin dicimus, quia S. THOMAS et scholastici per so, in ipsa multitudine, agnoscunt potestatem politicam, quam diu non est transmissa principi. Cf. S. Th. 1, 2, q. 97 art. 3 ad 3 ; 2, 2, q. 57 art. 2 c. et ad 2.

Pontificem) appellare, atque interim, ex prudenter coniecta Principis mente vel per epikeiam, obligationem pro suspensa habere. Cf. Ball.-Palm., I, tr. 3, n. 293.

Per se tamen appellatio qua subditi ab episcopo ad Romanum Pontificem provocent, eorum obligationem pa-rendi non suspendit.

3. Si satis constat legem a plerisque neque actu ob-servari neque observatum iri, Princeps obligationem quod ad paucos, melioris voluntatis, urgere velle non censetur, ita ut hi ab illa excusentur. Praeterea legislator qui novit legem suam a maiore populi parte non observari et de re tacet, ipse legem revocare censetur. Hinc celebratum istud : « Leges moribus populi firmantur ». Verum acceptatio legis a populo, in dubio praesumenda est ; et legislatori suam le-gem urgenti per se oboediendum est, quia subditi suum quisque caput potius quam reliqua membra sequi debent.

4. Prudens discretio quae observationem legis comi-tari potest et non raro debet, id quoque fieri sinit, ut si quae-dam in dioecesibus recepta, et usu firmata immutanda sint, mandatum Ordinarii exspectetur (Maschiat, Prolegomena I. C. § IV, 22).

5. Lex, ex ipsa voluntate Principis, per desuetudinem vel contrariam consuetudinem formaliter tolli potest. De hac re infra.

258. — II. De vi populi in legis interpretationem; Quam-vis populus non sit authenticus interpres legis cui subi-citur, modus tamen quo legem observat multo facilius probatur a legislatore qui, propter ipsum bonum commune, ad usum istum mentem suam accomodare censetur. Quo-circa c. 29 dicitur : « Consuetudo est optima legum inter-pres. »

259. — III. De vi populi in novae legis originem. Vere obligantem legem populus inducere nequit, nisi per *con-suetudinem*. De hac iam agendum est.

II. *De Consuetudine.*

260. — I. Notio et condiciones. *Consuetudo,* ut res facti, est *frequens modus agendi* et *inde exorta inclinatio* ad similiter agendum. Factum istud parit quandoque consuetudinem ut rem iuris, quae definitur : *ius diuturnis populi moribus introductum*. Ut hoc fiat, variae condiciones requiruntur, i. e. :

1° *Consensus* quispiam *legislatoris,* sine quo nulla lex. Id Codex expresse statuit de ecclesiastica consuetudine : « Consuetudo in Ecclesia vim legis a consensu competentis Superioris ecclesiastici unice obtinet » (c. 25). Iste consensus autem non est necessario *specialis,* tali vel tali usui formaliter datus ; sed sufficit *generalis,* qui dicitur *legalis,* et continetur lege qua in universum ratae habentur consuetudines certis dotibus instructae. Sic c. 27 consuetudines contra legem, c. 18 consuetudines praeter legem, agnoscit; canon autem 29 consuetudines quae legem interpretantur diserte commendat.

Nihil tale occurrit in hodierno iuro civili, quo consuetudines contra legem perso repelluntur. Legislator tamen civilis ad omnem vim consuetudinis fugiendam non valet. Et sic habentur consuetudines forenses quae magistratibus ratio sunt lites dirimendi extra omne ius scriptum.

2° *Populus,* ut subiectum consuetudinis. Cum agitur de consuetudine quae vim legis habeat, requiritur « communitas quae legis ecclesiasticae saltem recipiendae capax est » (c. 26) i. e. *propter quam* lex fiat. Non sufficit ut *de ea* lex fieri possit. Cf. dicta supra n. 171. Talis est universa Ecclesia, dioecesis, Ordo religiosus, huius provincia ; non autem paroecia vel domus religiosa quae non sit monasterium sui iuris. In adductis exemplis, omni communitati capaci consuetudinis adicitur specialis auctoritas legislativa. Ita episcopus leges dioecesanas, Ordo religiosus constitutiones vel decreta pro Ordine condere potest. Et sunt capitula provincialia, non tamen omnium vel plerarumque

religionum, quae proprias provinciae ordinationes statuunt. Dum nec capitulum cathédrale (1) nec parochus nec domestica auctoritas speciale ius paroeciae vel domus condunt.

3° *Mores populi,* i. e. *actus frequentes, uniformes publici, deliberati, maioris partis* huiusmodi communitatis, ita facti ut in populo sit quaedam ad eos *inclinatio* cui, sine aliqua populi perturbatione, legislator non contrairet. Haec inclinatio per se non deficiet ubi de abroganda lege agitur ; ubi vero de inducenda obligatione quaestio est, perraro habebuntur actus scienter (seu sino iuris errore) facti cum animo se obligandi ; quod tamen, ex ipso c. 28, tunc requiritur.

4° *Diuturnum tempus.* Ante Codicem, probabilis sententia spatio non interruptorum decem annorum contenta erat. Codex tamen, cc. 27 et 28, vult ut consuetudo quae novam obligationem inducit vel legi derogat, per annos *quadraginta* continuos et completos legitime praescripta sit. Contra legem autem quae futuras consuetudines prohibuit, sola praescribere potest consuetudo centenaria aut immemorabilis (c. 27). Cf. statim infra, n. 262, c.

Nullum tamen tempus requiritur in consuetudine quam legislator tacite approbat et quae dicitur, *per conniventiam*. Tunc enim consuetudo legiferam ipsius voluntatem promulgat. Talis est facile usualis interpretatio logis, ex c. 29, qui propensam legislatoris voluntatem ostendit.

5° *Mores rationabiles,* i. e. tales qui etsi legi praesenti contrarii sint, tamquam utiles communitati a legislatore sanciri possint. Cum enim duobus vel pluribus modis communitas ad bonum suum commune saepe perduci possit, non repugnat ut lex et mos contrarius sint ambo rationabiles.

Bationabiles autem esse non possunt usus qui repugnant legi naturali aut divinae positivae (c. 27), vel qui nervum ecclesiasticae disciplinae abrumpunt, licentiam aut occasionem peccandi praebent.

(1) Statuta capitularia eunt potius conventionalia. Cf. Wehnz, *Ius Decretalium,* I, n. 94, contra Bouix. *De capitulis.*

« Consuetudo quae in iure expresse reprobatur non est rationabilis » (c. 27, § 2). Fieri tamen potest, ut, mutatis adiunctis, deinceps rationabilis evadat.

261. — Corollaria vel Scholia. 1. Consuetudo, non origine obligationis, non efficacia, sed sola *promulgatione* a lege scripta formaliter differt.

2. Differt a *praescriptione* proprie dicta, quia praescriptio iura tantum privata, consuetudo vero ipsum obiectivum ius communitatis afficit ; quia quilibet homo privatus in bonum suum privatum contra privatum alterius ius praescribit, dum activum consuetudinis subiectum est populus ; et consuetudo contra neminem proprie praescribitur, cum ex voluntate legislatoris valeat; quia praescriptio, non autem consuetudo, bonam fidem plerumque exigit. Attamen propter usum continuum et temporis spatium quae requirit consuetudo, obiectum fit *praescriptionis,* et sermo habetur de *praescripta consuetudine.*

3. Natura rei non mutatur, quando consuetudo in scripto documento refertur, nisi ipsa scriptura formaliter promulgetur.

262. — II. Divisio, a) *Ex efficacia* seu *effectu,* distinguitur consuetudo *secundum* legem, *praeter* legem et *contra legem.*

Prima, quae dicitur quoque *irihaesiva, declarativa,* in ipsa communi observatione ac proin confirmatione legis consistit.

Consuetudo *praeter legem* inducit normam obligantem quae nulli praecedenti opponitur. Sic obligatio breviarii, quae nunc primum, canone 135, est scripto omnibus clericis maiorum ordinum promulgata. Sic plures consuetudines quae sensum legis obscurae explicant.

Consuetudo *contra legem* ius praecedens ex toto vel parte aufert. Atque observes id inter consuetudinem et legem legislatoris particularis intéressé, quod *specialis* consuetudo legi communi derogare possit, dum particularis legislator nihil potest in ius commune. Consuetudo enim ex legislatoris universalis voluntate suam vim trahit ;

b) *Ex extensione,* alia consuetudo est *generalis,* alia *specialis* seu *particularis.* In iure ecclesiastico *generalissima* interdum dicitur quae est totius Ecclesiae ; *generalis,* quae

est unius provinciae ecclesiasticae aut regni; *specialis,* quae est minoris communitatis.

Ad specialem consuetudinem refertur *stylus curiae* seu modus uniformis vel *decidendi* certas causas, vel *procedendi* in examine causae. Magis stricte dicitur de tribunali quam de curia administrativa. Huiusmodi stylus, cum sub oculis Legislatoris adhibetur, facile valorem induit consuetudinis per coniventiam ;

c) *Ex diuturnitate,* consuetudo alia est *ordinaria,* seu longi temporis ; *centenaria,* seu temporis longissimi ; et *immemorabilis,* cuius origo memoriam saltem vulgarem effugit. Ad huius probationem, in iure canonico, requiritur ut testes de *visu* deponant se vidisse morem per quadraginta annos, et de auditu, se accepisse a maioribus eandem semper servatam fuisse.

Centenaria et immemorabilis sunt privilegiatae consuetudines.

Et quamvis immemorabilis centenariam superet, in Codice practice aequiperantur. Cf. cc. 5. 30, ubi ambae excipiuntur suppressione facta per Codicem vel leges consuetudinum contrariarum ; c. 27, ubi ambae dicuntur derogare posse legi quae consuetudines prohibet ; c. 63, ubi ambae praesumptionem concessi privilegii inducere dicuntur. Quidquid ergo privilegio, huiusmodi consuetudinibus obtineri potest. Clausula tamen quae centenarias consuetudines abolet, immemorabiles nondum attingit.

N.B. Observes ex ipso S. Alphonso, l. 3, n. 290, « si probabile sit adesse consuetudinem », practice cessat obligatio legis cui consuetudo ista derogat. Cf. Lehmkuhl, I, 189.

2(>3. — **III.** Cessatio. 1. Consuetudo cessat *ab intrinseco,* si irrationabilis evaserit ; 2. *Ab extrinseco* cessat, tum contraria *consuetudine* legitime praescripta, tum *lege* quae eam supprimat. De lege ista haec tenenda sunt. *Lex particularis particulares consuetudines contrarias abrogat.* Ac proin, quamvis consuetudines vigeant vi legis generalis eas permittentis et sancientis, episcopus, in materia ubi competens est, potest lege dioecesana dioecesanas consuetu-

dines abolere (1). *Lex generalis non obrogat* consuetudines *particulares,* nisi id expresse c ive.it, ut si dixerit « *nulla,* obstante consuetudine contraria ». Clausula enim « *non obstante* consuetudine contraria », ex recepta ante Codicem interpretatione, aliam atque generalem consuetudinem abrogare nondum censetur. Nisi autem expresse de iis mentio facta sit, clausula quamlibet consuetudinem revocans, centenarias aut immemorabiles non supprimit (c. 30). Nec immemorabilis tollitur per clausulam quae solas centenarias memorat. Ambae tamen auferuntur clausula quae contrarias consuetudines corruptelas esse declarat.

In quibusdam argumentis, v. g. rituum, quorum uniformitas valde urgetur, S. Sedes difficilius admittit rationabilem esse posse consuetudinem quae legi liturgicae adversetur. Non omnis tamen responsio negativa ad quaestionem : ı An talis consuetudo tolerari possit », demonstrat consuetudinem fuisse antea irrationabilem. Potuit enim S. Sedes occasione quaestionis usa esse ad consuetudinem positive abrogandam.

De consuetudinibus antea vigentibus quae *contra Codicis statuta* sunt, id peculiare c. 5 edicitur, omnes aboleri, nisi Codex aliud expresse caveat, aut nisi sint centenariae et immemorabiles. Hae, dummodo Codex eas non declaraverit corruptelas, « tolerari poterunt, si Ordinarii pro locorum et personarum adiunctis aestiment eas prudenter submoveri non posse ». Verba ista invitant Ordinarios ut eas abolere conentur ; quod si ipsi positive nihil fecerint, tacite conivere videntur consuetudini, quae proin vigere perget. I. e. ut pristina consuetudo toleretur, nulla positiva Ordinarii actione opus esse videtur.

III. — *De Instructione vel Decreto.*

264. — Notio. Principaliores et generaliores iuris definitiones secundariis et magis particularibus dispositionibus complendae sunt quibus priorum exsecutioni pros-

(1) Cf. AlCHNER, Comp. *iuria can.'* p. 33.

picitur. Determinationes istae ipsa lege contineri possunt ; non raro autem reservantur cuidam formae minus sollemni normae obligatoriae, quae in iure canonico nomine *instructionis,* in iure vero civili potius *decretum regium, decretum praesidia rei publicae* vocatur. In iure itaque civili manat a potestate distincta a potestate legislativa, quae *administrativa* vel *exsecutiva* appellatur. In iure vero canonico instructiones fiunt per easdem Congregationes quibus S. Pontifex non raro ad leges condendas usus est.

Instructio quidem de se dicit simplicem normam declarativam, cuius directio servanda est, potius quam est urgenda litteralis eius observatio. Sic. 19 sept. 1671, S. C. *Prop. Fidei* dicebat, resolutiones *S. Officii* et *Prop. Fidei,* a se communicari « non tamquam definitiones, sed tamquam simplices instructiones, quibus, in occurrentibus dubiis, gubernari valeant et debeant » (1). Non raro tamen puncta quaedam, praesertim secundaria, instructionibus auctoritative definiuntur et imponuntur. Sic, Instructio *S. Officii* 7 iun. 1867, notionem quasi-domicilii imposuit strictiorem quam a probatissimis auctoribus tradebatur : a qua tamen notione competentia parochi ad assistendum matrimoniis tunc pendebat ; sic, cum probanda est mors prioris coniugls, sequendae sunt instructiones S. *Officii* 13 maii 1868 et 29 aug. 1890. Quocirca Wernz, I, n. 146, III monet tantum ne vim legis universalis *omnibus* instructionibus tribuamus.

Distinctio ista inter leges et instructiones clare redditur in Motu Proprio *Cum luris canonici,* 15 sept. 1917, quo Benedictus PP. XV authenticam Codicis interpretationem speciali Commissioni reservavit. Haec enim habet ad rem nostram : « SS. RR. CC. *nova decreta generalia* iam nunc ne forant, nisi... Ordinarium igitur earum munus in hoc genere erit tum curare ut Codicis praescripta religiose serventur, tum *instructiones,* si res ferat, edere, quae eisdem Codicis praescriptis maiorem et lucem afferant ot efficiendam pariant » (A. Λ. S. 1917, t. 9, p. 483). Fit quoquo ut capitula generalia Ordinum regularium instructiones faciendas mandent Superiori generali.

(1) *Collect. Paris. Constitutiones* S. *Sedis,* n. 5.

Ut exempla demus, *Normae de sacra praedicatione,* quas S. C. *Consistoridlis* 28 iun. 1917 condidit, accessere ut instructio cncyclicis litteris *Humani generis,* 15 iun. 1917 (cf. A. A. S. 1917, t. 9, pp. 318 ss. et 305 ss.).

Nuper, ad responsa sua de vi *decreti generalis « Inter reliquas »,* 1 ian. 1911, de religiosis servitio militari astrictis, S. C. *de Religiosis* veram instructionem addidit (A. A. S. 1919, t. 11, p. 321 ss.).

Age porro, instructiones istae et decreta regia vel praesidis, diriguntur ad eandem communitatem cui lex destinatur, eamque pariter obligant. Haec tamen inter leges et huiusmodi complementa intersunt : 1) ut legi quam complent derogare nequeant; 2) ut proinde, si quaedam simul componi nequeant, lex, quamvis anterior, posteriori instructioni praeferenda sit; 3) ut, suppressa lege, instructio, quasi accessoria, simul cum principali cessare debeat.

N.B. Cave ne confundas *decreta* potestatis exsecutivae civilis, cum *decretis generalibus SS. CC.* quae saepe sunt verae leges forma minus sollemni confectae.

Articulus II. — De Lege ecclesiastica.

Utilitas. — Cum loges ecclesiasticae conscientiam directe obligaro soleant, neo raro propter ros morales *Curia Romana* adeunda sit, notiones canonicae do istis logibus et do *Curia Romana* theologo morali necessariae sunt, secundum istud proloquium: inoralista sino iure nihil potest.

Ordo dicendi. — Articulo isto complemus quae supra, luni de legibus in universum tum de legibus humanis scripsimus. Plura enim indicanda sunt quae magis propria sunt legis ecclesiasticae. Is autem erit ordo dicendi, ut primo ea ponamus quae ipsam *legem* in se afficiunt, dein quae spectant ad legis *subiedum;* tum (piae attinent ad legis *auctorem* (quae erit occasio breviter explicandi hierarchiam ecclesiasticam); postea quae ad legis *interpretationem* pertinent; demum quae *dispensationem* a lege respiciunt. Huic postremo argumento parva dissertatio de *rescriptis* et de *Curia Romana* conectetur.

§ 1. — De lege ecclesiastica in se considerata.

265. — I. Ecclesiasticae legis nomen et forma. 1. Pro absoluta potestate qua 6'. *Pontifex* fruitur, nulla certa forma servanda in condenda lege tenetur, ita ut etiam vivae vocis oraculo legem condere possit. Nec ad *scribendam* legem legislatores inferiores universali quadam dispositione adiguntur. Pro variae autem formae usu, variat quoque nomen quo lex appellari consuevit.

Generico nomine *Constitutionum apostolicarum* omnes leges pontificiae designari possunt. Magis stricte vocatur *Constitutio Apostolica,* lex quae forma sollemniore *Bullae* continetur. *Bulla* iam sola inscriptione dignoscitur. Inscribitur enim : « *Pius episcopus, servus servorum Dei* ». Dum *Breve* seu litterae *in forma brevis* hanc conclusionem habent propriam, quod datae dicuntur *sub anulo piscatoris. Encyclicae litterae* agnoscuntur ex nominatis personis ad quas diriguntur, si cuidam universitati personarum, maxime episcoporum destinantur.

Ad indicandam spontaneam legis originem, « motu proprio » facta dicitur. Ac verba ista monumento praescribuntur.

Decreta, decreta generalia maxime appellantur leges quae S. Pontifex vel in Concilio generali vel per Congregationes ronianas conficit.

Decretales epistolae sive *responsa* per se ex aliena relatione occasionem sumunt. His affinia sunt *rescripta,* quibus alienae petitioni satisfit. Haec potius causas particulares definire solent. Voces *Decreta, Decretales* non raro promiscue adhibentur.

Quae *viva voce* eduntur sunt plerumque *Allocutiones consistoriales,* seu orationes quas S. Pontifex in Consistorio habuit.

Demum singulae leges ecclesiasticae quae collectione v. g. Codice continentur, potius *canones* vocantur, dum *articuli* nominantur singula praescripta legis civilis.

Statutum, est vox magis propria ad designandas leges potestate S. Pontifici inferiore factas : statuta episcopalia, dioecesana: vel etiam ordinationes interni regiminis personae moralis collegiatae : statuta capitularia. Leges tamen conciliorum potius nomen decretorum retinent : Decreta Concilii Baltimorensis.

266. — II. Promulgatio. Nec Summus Pontifex, attenta sua potestate absoluta, nec episcopus vel alius legislator ecclesiasticus, attento hire communi, speciali promulgationis forma servanda adigitur.

Ante C. *Promulgandi,* Pii X, 29 sept. 1908, leges sollemniores pontificiae promulgabantur afiixione in certis Urbis locis (ad valvas Basilicae Vaticanae et in acie Florae) ; aliae ipsa divulgatione quam per ephemerides obtinebant ; et quaerebatur utrum promulgatio in Urbe facta valeret pro toto Orbe, an distincta in dioecesibus promulgatio facienda esset. Quod iam communiter negabatur.

Post praefatam Constitutionem et c. 9 Codicis, « leges ab Apostolica Sede latae promulgantur per editionem in *Actorum Apostolicae Sedis commentario officiali,* nisi in casibus particularibus alius promulgandi modus fuerit praescriptus ».

Leges episcopales plerumque in synodo dioecesana promulgantur, unde *statuta synodalia* appellantur. Decreta quae extra synodum feruntur vel insertione in folio dioecesano, vel publica pronuntiatione in templo promulgari consueverunt.

267. — III. Vacatio. Non nullae leges pontificiae natura sua statim obligare incipiunt. Sic concipi nequit ut *definitio fidei* vel *declaratio iuris divini,* facta promulgatione, subditos non statim obliget.

De legibus *disciplinaribus,* nisi aliud expresse cavebatur, probabilis opinio, ante Codicem, ex norma iuris romani (Nov. 66, *Ut factae),* admittebat in provinciis seu dioecesibus vacationem duorum mensium. Leges tamen irritantes non censebantur vacare.

Nunc ex clara Codicis dispositione, c. 9, leges S. Sedis « vim suam exserunt tantum expletis *tribus mensibus* a die qui *Actorum* (Ap. Sedis) numero appositus est, nisi ex natura rei illico ligent, aut in ipsa lege brevior vel longior vacatio specialiter et expresse fuerit statuta ». In legibus dioecesanis nulla vacatio per se postulatur.

268. — Per sc vacatio ista, leges merae concessionis seu permissionis non minus quam directe obligantes allicit. Facile tamen fit ut ultronea quadam actione, subditi favorabili lege post eius factam promulgationem statim utantur : in quam promptam docilitatem ipse legislator, nisi aliud expresse dixerit, tacite consentire videtur. Sic, in re liturgica, in qua varietas quaedam placere solet, statim in Urbe usus factus est praefationum novarum de S. loseph et pro defunctis. Et quis existimet usum promulgatae indulgentiae in tres menses differendum esse '

269. — IV. Extensio legis. 1. Per se, lex *universalis* omnes fideles obligat. *Orientales* tamen disciplinaribus legibus pontificiis non tenentur, nisi ex verbis vel natura legis aliud constet. Quod de Codice canonico diserte c. 1 statuitur. Possunt tamen indulgentias ecclesiae latinae lucrari (1). Lex *particularis* obligat communitatem vel regionem pro qua lata est.

2. Quando communitas territorio definitur, singuli per se non obligantur nisi quatenus pars sunt communitatis in tali loco exsistentis ; ac proin non extra illud territorium. Quare c. 8 § 2, dicitur : « Lex non praesumitur personalis, sed territorialis, nisi aliud constet ». Quatenus tamen id expediat ad bonum commune, fieri possunt leges *personales,* sive pro certa classe civium, v. g. pro clericis; sive pro omnibus. « Si quod absens extra facit vel omittit in patria nocet » (2), lege tenebitur. Casus est legis quae ipsam praesentiam in loco praecipit. V. g. parochus absens a sua parochia vel a synodo dioecesana non excusabitur formaliter quia extra dioecesim versetur. Quocirca etiam excommunicatione plecti possit.

3. Ex c. 10, iam memorato, « Leges respiciunt futura, non praeterita, nisi nominatim in eis de praeteritis caveatur. »

210. — V. Vis legis. 1. Quamvis actus contrarios saepe *invalidos* efficere possint, « initantes aut inhabili-

(1) Ct. reap. S. *PacniL* 7 lui. 1917. A. A. S. 1 aug. 1917 (IX, 399), vel *Periodica,* IX, p. 67.

(2) D'Annibale, I, 205.

tantes tantum leges habendae sunt quibus aut actum esse nullum aut inhabilem esse personam *expresse vel aequivalenter statuitur* » (c. 11).

2. Qui invincibili *ignorantia* laborant per se lege excusantur et poenas effugiunt. Quod etiam benignius in lege ecclesiastica ex cc. 2199. 2202, § 1; 2218, § 2; 2229 intellegi potest. Cf. dicta n. 63. Attamen, cum leges irritantes aut inhabilitantes speciatim latae censeantur propter bonum commune, « nulla ignorantia legum irritantium aut inhabilitantium ab eisdem excusat, nisi aliud expresse dicatur » (c. 16 § 1). Praeterea, in foro externo, ignorantia legis non praesumitur sed probanda est (c. 16 § 2).

3. Canone 15, secundum placita simplicis probabilismi, expresse statuitur : « Leges etiam irritantes et inhabilitantes in dubio iuris non urgent ». Dubium intellegas rationabile seu prudens. Quid sit dubium iuris, cf. supra, n. 55.

Quare promulgari debet, ut obliget, interpretatio authentica quae legem dubiam explicet (c. 17 § 2).

In *dubio* vero *facti,* potest Ordinarius in lege dispensare, dummodo agatur de lege qua B. Pontifex dispensare solet (c. 15).

2T1. — λ!. Legis diuturnitas. Leges quae vel natura sua aut expressa clausula non sunt temporariae, permanent donec revocentur. Porro « lex posterior obrogat priori, si id expresse edicat aut sit illi directe contraria, aut totam de integro ordinet legis prioris materiam » (c. 22).

Attamen « lex generalis nullatenus derogat locorum specialium et personarum singularum statutis, nisi aliud in ipsa expresse caveatur ». Itaque, attentis istis verbis, quae desumuntur ex c. *Licet,* I, *De Const* in 6U (I, 2), nisi clausula abrogans inseratur, ipsa statuta episcopalia posteriore lege generali non tolluntur. Verum huismodi clausula non omittetur.

De Codice tamen dispositio peculiaris canonis 6 istud habet, ut leges quaslibet oppositas, sive generales sive particulares, abroget, nisi de particularibus legibus aliud expresse caveatur. Immo consuetudines contrarias sustulit,

exceptis immemorabilibus vel centenariis, quae, ex c. 5, ea qua dictum est ratione, tolerari possunt.

Observes autem ex c. 22, legi priori per posteriorem eiusdem extensionis obrogari, non tantum quando id expresse dicit aut priori est directe contraria, sed etiam quando totam de integro ordinat legis prioris materiam. Ratio est, quia bono communi per se adversatur ut subditi duplicem ordinationem quasi parallelam eiusdem rei ferre debeant. Haec etiam est ratio cur suppressa dicamus plura decreta de re quae Codice ordinatur.

§ 2. — De auctore legis ecclesiasticae.

J. — *Notiones de Hierarchia ecclesiastica.*

212. — Hierarchia idem sonat quod sacer principatus vel potestas ecclesiastica. Designat autem *subiectivc* ordinem personarum quae vario gradu potestatem illam participant. Duplex autem hierarchia distinguitur, pro duplici potestate quae Ecclesiae competit : potestas *ordinis* et potestas *iurisdictionis.*

Hierarchia *ordinis* constat episcopis, sacerdotibus et ministris.

Hierarchia *iurisdictionis stricte* eas solas personas complectitur quae in foro *externo* iurisdictionem ecclesiasticam possident eandemque gradu quodam *perfecto,* i. e. qui legislativam, iudicialem, coercitivam potestatem comprehendit. *Minus stricte* constituitur omnibus personis quae aliquam iurisdictionem fori exterioris participant.

Utraque hierarchia est divinae originis ; quod ad personas vero quibus inest, hierarchia saltem iurisdictionis quibusdam iure divino, aliis iure humano participatur, idque sive iure ordinario, sive iure delegato. Alia demum est in collegio, alia in persona singulari.

Iure *divino* iurisdictio possidetur a Romano Pontifice, ab episcopis (in genere, quatenus vult Christus ut in Ec-

clesia sit gradus iurisdictionis episcopalis), et a concilio generali cum Papa. Ceterae iurisdictiones sunt iurls humani.

Hi porro gradus indicandi veniunt.

273. — Γ. Summus Pontifex, cui plenitudo potestatis competit, cum iurisdictione etiam immediata in universos baptizatos.

Ad suam autem iurisdictionem *universalem* exercendam, utitur Sacris *Congregationibus, Tribunalibus* et *Officiis* Curiae romanae ; ad suam iurisdictionem *immediatam* probandam et exercendam, mittit *Legatos.* Hi, in adiunctis extraordinariis, sunt *Legati a latere,* in ordinariis vero, *Nuntii* vel *Internuntii,* si simul Sedem Apostolicam apud civile gubernium repraesentant ; *Delegati Apostolici,* si mere in territorio sibi assignato ecclesiarum statum observare et de eo ad R. P. referre debent (c. 267) ; ad suum munus *dilatandi evangelii* implendum utitur *Vicariis Apostolicis, Praefectis Apostolicis,* vel *Superioribus missionum* in nondum erecta praefectura.

Praeterea, in regionibus a dioecesi avulsis, constituit *Abbates nullius* vel *Praelatos nullius* (subaudias: *dioecesis).* Atque in ipsis dioecesibus communicat quoque iurisdictionem *Praelatis religionum clericalium* quas simul, generali, prudenter tamen temperata ratione, c iurisdictione episcopali *exemptas* fecit.

Eiusdem potestatis universalis subiectum, inadaequate a priore distinctum, est *Concilium oecumcnicum,* quod S. Pontifex solus convocat, dirigit, claudit.

274. — II. Episcopi residentiales cum potestate ordinaria perfecta dioecesim regunt sub auctoritate Romani Pontificis. Is, salvis specialibus concessionibus, eosdem libere nominat. Antequam officium ordinarii et immediati pastoris exercere incipiant, possessionem dioecesis capere debent ; quod requirit ut apostolicas litteras, per se vel per procuratorem, exhibeant *capitulo* ecclesiae cathedralis, vel, hoc deficiente, *consilio* episcopali (c. 334).

Praeter residentifies, sunt *titulares* episcopi, quibus in titulum «assignatur antiqua sedes quae nunc pertinet ad loca missionum. Loca ista per Vicarios seu Praelectos administrantur, ita ut *titulares* nulla in ecclesiam unde nomen mutuantur, potestate fruantur.

In *curia dioecesana* occurrit *Vicarius generalis* (in amplis dioecesibus duo vel plures constituuntur) ab episcopo nominatus, qui ordinariam episcopi potestatem participat. Vocatur quoque Ordinarius loci (1), atque, exceptis negotiis quae mandatum speciale exigunt vel quae episcopus sibi reservavit, ea potest quae ad ordinariam episcopi potestatem spectant, et ea quoque plerumque quae facultatibus acceptis a S. Sede episcopo conceduntur.

Episcopus nominare quoque debet *cancellarium,* qui archivum dioecesanum curat, atque eo ipso est notarius (C. 372) ; et *Officialem* cum potestate *ordinaria* indicandi (c. 1573).

In administranda dioecesi iuvatur *capitulo* cathedralis ecclesiae, cuius interdum consilium, interdum ipsum consensum postulandum habet. Capitulum istud *canonicis* componitur.

Consultores dioecesani in dioecesibus ubi desit capitulum, huius vices supplent pro gubernatione dioecesis (c. 427).

Dioeceses dividi consueverunt in varios *districtus* seu *decanatus,* quibus praeficitur *Vicarius foraneus* seu *Decanus.* Is collationes cleri habere ac ratione ipsi ab episcopo praescripta in disciplinam sui districtus invigilare debet.

In cura autem *spirituali* suae dioecesis, episcopus cooperatores obtinet *parochos,* quibus distincta pars communitatis dioecesanae curanda concreditur. Pars ista plerumque et per se *territorio* distinguitur ; sunt tamen paroeciae *personales,* quao personis certae originis, certi ritus, immo certae familiae constituuntur. Parochis saepe adsunt *vicarii auxiliares,* seu cooperatores.

Synodus diocesana, quam episcopus singulis saltem decenniis (c. 35G) celebraro debet, et qua clerum suum congregat, non est proprie concilium, cum solus episcopus ibi statuta sua condat vel promulget.

Vacante sedo episcopali, ordinaria episcopi auctoritas transit in *capitulum cathédrale,* vel, ubi non est cathédrale

(1) Ita expresse habet c. 198. Interdum tamen contextus demonstrat solum qui caput est dioecesis vel regionis, hoc nomino designari.

capitulum, in *coetum consultorum* dioecesanorum (c. 427). Intra octo dies debet capitulum sive coetus iste constituere unum *Vicarium capitularem,* in eumque omnem suam iurisdictionem transfundere.

275. — III. Plures episcopi efficiunt Provinciam ecclesiasticam, cui praeest Metropoli(a seu Archiepiscopus. cum potestate limitata ad casus iure contentos. Est iudex appellationis, et, in casibus definitis, neglegentes episcopos supplet. Episcopi provinciales vocantur *suffraganti* Metropolitae.

Ipse Metropolita semel pro semper debet, probante Sede apostolica, designare loci Ordinarium ad quem appelletur a causis quae in prima instantia coram Metropolita tractatae sunt (c. 1591).

Concilium provinciale, cuius pars potisssima sunt episcopi provinciae, etsi alii quoque vocandi sunt, vigesimo quoque saltem anno celebrandum est ; atque episcopi sui iuris, seu qui immediato pendent a S. Pontifice, eligere debent métropolitain cuius provinciali concilio ipsi inter sint (1).

In Ecclesia Occidentali, *Patriarchae, Primates* mere titulum honorificum gerunt. Non ita in Oriente, ubi Patriar chae, sub Summo Pontifice, sunt supremi pastores cuiuspiam ritus.

276. — IV. Ordinarii plurium provinciarum ecclesiasticarum in Concilium plenarium convenire possunt, petita tamen venia a Romano Pontifice, qui suum Legatum designat ad concilium convocandum eique praesidendum (c. 282).

II. — *Quinam leges jacere possint in Ecclesia.*

277. — 1. *Pro universa Ecclesia,* Romanus Pontifex, sive solus sive in Concilio oecumonico. Nulla forma speciali vincitur. Interdum leges efficit per ipsas Congrega-

(1) idem facere debet archiepiscopus qui non eet metropolita, eeu qui neminem habet suiTraganoum, ut v. g. archiepiscopus Catancnsis.

tiones Romanas, de quibus infra, in appendice de Curia Romana.

2. *Intra ambitum generalis vel particularis mandati, Legati* Summi Pontificis, S. *Romanae Congregationes,* v. g. S. C. Propagandae Fidei in subiecto sibi territorio. De his Congregationibus agemus in appendice *de Curia Romana.*

3. *Pro suo cuiusque territorio,* Concilium plenarium et Concilium provinciale. Verum utriusque Concilii decreta, ante quam promulgentur, debent a S. Congr. *Concilii* recognita esse.

4. *Pro sua dioecesi vel quasi-dioecesi,* Episcopi et Praelati similis iurisdictionis : Praelati *nullius,* Vicarii et Praefecti Apostolici.

5. *Pro dioecesi,* quoque, *Sede vacante,* Capitulum ecclesiae cathedralis et Vicarius capitularis : quatenus opus sit et nihil innovando.

6. *Pro religione sibi subiecta,* capitula generalia Ordinum regularium et religionum clericalium exemptarum. Congregationes seu capitula generalia religionum laicarum aut non exemptarum iurisdictione destituuntur. Ordinationes condunt, quae plerumque non sunt perpetuae, sed usque ad proximum capitulum vigent, vi potestatis cuiusdam domesticae seu dominativae, quae ad vota vel factas promissiones commensuratur (Cf. Wernz, t. 1, n. 94).

Quid possint capitula particularia aut solus Praelatus supremus, ex variis Constitutionibus colligendum est. Tn *Societate leeu,* Praepositus Generalis ordinationes condere potest quae, etsi eodem gradu non sint ac decreta Congregationum generalium, vim tamen legis quadantenus habent ; dum in eadem Societate et in pluribus religionibus, congregationes provinciales omni iurisdictione destituuntur.

2Î8. — Quaeres quaenam leges ab episcopis ferri possint ?

Episcopi suis legibus nihil contra ius commune vel decreta concilii plenarii aut provincialis statuere possunt. Quare, nisi ipsa lex superior id diserte concedat, nec prohibere possunt quod ius expresse permittit, nec permit-

tere quod prohibet, nec materias ordinare quae S. Sedi reservatae sunt. Huc ergo spectat ista episcoporum potestas, ut leges universaliores Ecclesiae magis determinent et ad dioeeesim applicent. Cf. Wernz, IT, n. 75G.

Leges istae tum intra tum extra synodum fieri possunt. Quae in synodo ordinantur verae leges esse censentur ; quae vero extra synodum promulgantur, secundum sententiam satis probatam, potius praecepta reputantur, nisi omnes dioecesanos afficiant vel nisi episcopus clare mentem condendi legem (1), v. g. pro Clero, significaverit. Cf. Lehmk. I, 213.

Observes *statuta synodalia* nulli romanae recognitioni subiacere.

§ 3. — De subiecto legis ecclesiasticae.

I. — *De legibus universalibus.*

279. — I. Principium. *Leges ecclesiasticae universales, per se obligant omnes baptizatos, habitualiter rationis compotes.* Ad eos enim quibus usus rationis deest, lex humana pervenire nequit. Quare, neque *infideles,* neque *catechumeni* praeceptis Ecclesiae obligantur.

280. — Quid de haereticis vel schismaticis baptizatis?

a) De iis quaestio non movetur qui recenti apostasia ad castra acatholica transierunt, vel incredulitatem professi sunt. Isti, culpa sua, se bonis ecclesiasticae communionis privarunt ; neque ex rebellione sua beneficium exemptionis reportare possunt.

b) Verum alii ad sectas iamdudum constitutas ipsa quasi nativitate vel infantili educatione pertinent, ita ut longe maior bonae fidei praesumptio iis prodesse dicenda sit.

Controversia quae de ipsis post pseudo-reformationem saec. xvi exorta est, sic breviter solvi posse videtur.

Aliae leges ecclesiasticae *ad ordinem publicum* et commune societatis Christianae bonum tutandum directe constitutae simt :

(1) Quod nunc facilius liet, cum synodi inulto rarius congregandae sint quam ante Codicem. Tridcntino Concilio statuebantur annui conventus.

tales sunt leges de matrimonii forma et condicionibus. Istis legibus haeretici et schismatici per se obnoxii sunt. Attamen, positiva concessione, quae decreto *Ne temere, 2* aug. 1907, primum facta est generalis, et nunc c. 1099 Codicis confirmatur, acatholici qui *inter se* contrahunt, nullibi ad catholicam matrimonii *jormam* servandam tenentur. *Impedimentis* vero ecclesiasticis, excepta cultus disparitato ex c. 1070, subiacere dicendi sunt.

Aliae leges *sanctificationem singularum personarum* directe intendunt. Sunt varia praecepta et prohibitiones de observatione festorum, de iciunio, abstinentia, libris edendis vel legendis, etc. Baptizati acatholici titulum subiectionis in baptismo habent. Estne *mens Ecclesiae* ut istos pro exemptis habeamus ? Indicium positivum desideratur. Immo, c. 87 contrariam Ecclesiae mentem indirecte manifestat. Postquam enim dixit : « Baptismate homo constituitur in Ecclesia Christi persona, cum omnibus Christianorum *iuribus et officiis* », statim addit : « nisi, *ad iura* quod attinet, obstet obex,ecclesiasticae communionis vinculum impediens, vel lata ab Ecclesia censura ». Ergo quidpiam *officiis* obstare, lex negare videtur. Nec generalis dispensatio necessaria est ad parcendum multis peccatis : ignorantia enim seu persuasione immunitatis a formali peccato excusantur, non ii tantum qui bona fide sectae haereticae adhaerent, sed etiam, saltem per se, alii qui dubia vel mala fide in secta acatholica permanent.

E mente tamen Ecclesiae esse videtur, ut hodie *catholici,* in suo civili commercio cum acatholicis de quibus agimus, scrupulis cooperationis ad actus qui, propter solam ecclesiasticam prohibitionem, sunt materialiter mali non retardentur.

Dicemus itaque : Salva positiva exemptione a forma celebrationis matrimonii, acatholici legibus ecclesiasticis, etiam mere praeceptivis, adiguntur. Attamen, cum acatholicis quorum matrimonium invalidum esse norint propter impedimentum iuris ecclesiastici, tamquam cum putativis coniugibus, in regionibus ubi acatholici omni iure civili frnuntur, catholici agent ; ac facile praestabunt quae haeretici cupiant contra legem positivam, ab ipsis ignoratam ; eos tamen ad violanda ista praecepta non inducent.

Benigniori sententiae, quae acatholicos vere exemptos his praeceptis existimat, suam probabilitatem esse sinimus. Quare admittimus cum Frassisetti, haereticos, dum ad veram Eccle-

8 am convertuntur, non esse interrogandos de violatis praeceptis Ecclesiae circa Tempora sacra. Conspicui tamen scriptores qui benignam sententiam referunt: Leiimkuhl, I, 228; Noldin, I, n. 147; Prlmmer, *Manuale,* I, n. 186, monent esse vetitum catholicis ut acatholicos ad agendum contra legem inducant.

281. — Quid de iis qui dubie baptizati sunt?

1° In foro *externo,* si baptismum collatum esse saltem probabiliter constet, baptismus validus praesumitur, ac proin Christianorum iura dat et officia imponit. Si ipsum factum non constat, ad praesumptiones recurretur. His deficientibus, applicandum illud manebit: *Factum non praesumitur sed probatur.*

2° In foro autem *interno,* praesumptiones non sunt necessariae. Quare, si baptismus tantum probabilis est, utemur isto principio, neminem incerto praecepto teneri. Solutio ista ipsa aequitatis ratione confirmatur. Namque, in omni sua vita spirituali, homo probabiliter tantum baptizatus nullum tcertum fructum absolutionis, eucharistiae, etc., sibi promittere potest. Cur magis certa facias onera quam commoda? In has partes inclinant Ball.-Palm. I, tr. 3, c. 2, n. 335, contra Lehmk. II, 426, et Ill. D. Magnaiolt, in erudita sua disceptatione de hoc argumento. Cf. nostram *Fpitome* iuris can. I, § 1.

282. — « Legibus mere ecclesiasticis non tenentur... baptizati qui *sufficienti rationis usu* non gaudent, nec qui, licet rationis usum assecuti, *septimum* aetatis *annum* nondum expleverint, nisi aliud iure expresse caveatur ». Itaque:

1° Immunes sunt habitualiter amentes, quibus proin diebus abstinentiae carnes porrigere licebit.

Quid autem si lucida intervalla habent? Per se quidem legibus tenentur; sed cum c. 88, § 3 expresse statuat: « Infanti assimilantur quotquot usu rationis sunt *habitu* destituti », eosdem ut simpliciter exemptos etiam per lucida intervalla existimare possumus.

Observandus tamen est c. 2201, qui cos solos qui rationis usu *actu* carent delicti incapaces pronuntiat. Leges enim poenales.

quamvis strictae sint interpretationis, ordinem publicum magis directe tutantur.

Praeterea legibus subiccti manent et sola ignorantia excusantur ii qui *accidentali* seu temporaria tantum amentia laborant.

2° Immunes sunt quotquot, ratione aetatis, expeditum usum rationis nondum sunt assecuti. Tales ex can. 88 esse censentur impuberes qui nondum septennium plenum assecuti sunt. Immo, positiva sanctione c. 12, licet rationis usum assecuti sint, legibus ecclesiasticis ante septennium completum non obligantur, « nisi aliud expresse caveatur ».

Exceptiones sunt: obligatio communionis paschalis, ex c. 859, § 1 ; annuae confessionis, ex c. 906.

Atque expedit ut, quantum rationabiliter fieri potest, pueri a teneris annis legibus Ecclesiae servandis assuefiant.

283. — Ex c. 2230, impuberes a poenis latae sententiae excusantur. Ante Codicem autem recepta interpretatio, fundata in cc. *Pueris* et *Referente,* 1 et 2 De delictis puerorum (V. 23), aequiperabat in hac re puellas et pueros, ita ut, in ordine ad delictum, communis pubertatis aetas statueretur *quattuordecim annorum.* Ex c. 6, 2° et 3° videtur haec interpretatio etiamnum sustineri posse. Cf. Génicot-Salsmans, II, 566.

284. — Ex c. 1254 § 2, lege *ieiunii* eximuntur quotquot *vigesimum primum* ;:nnum nondum expleverunt, et quotquot *sexagesimum* inceperunt.

II. — *De legibus particularibus.*

285. — Praenotanda. Ad discernendum quinam subdantur legibus quae pro peculiari territorio latae sunt, distinguere oportet *incolas, advenas, peregrinos* et *vagos.* De his habetur c. 91. « Persona dicitur: *incola,* in loco ubi domicilium, *advena,* in loco ubi quasi-domicilium habet ; *peregrinus,* si versatur extra domicilium et quasi domicilium

quod adhuc retinet (1) ; *vagus,* si nullibi domicilium habeat vel quasi-domicilium ».

It ique, cum ex *domicilio* vel *quaei-domicilio* haec personarum divisio repetatur, notiones domicilii (2) et quasi-domicilii ecclesiastici hic proponendae sunt. Ecclesiastici, inquam.

Tn *iure civili* distinguere solent *domicilium* a *residentia.* Alia iura, sic anglicum, belgicum, gallicum, italicum eidem personae unum tantum generale domicilium agnoscunt, dum alia iura, sic romanum olim et nunc germanicum (Cod. art. 7), pluralitatem domiciliorum non excludunt. Ideo Codex Italiae (art. 16), Codicem Galliae imitatus, domicilium definit *locum ubi quispiam principalem sedem habeat negotiorum et rerum suarum,* dum ex Codice Germaniae, domicilium habetur ubicumque est residentia cum voluntate stabilis commorationis.

Iura civilia solent praeterea permittere ut pro certis negotiis agendis *peculiare* eligatur domicilium, quo partes iudicialiter conveniri noterunt. Solent sic societates industriales sibi domicilium constituere quod dicitur *socialis sedes (le siège social).*

Idem Codex canonicus permittit c. 1565 § 2, quamvis ab stinoat nomine domicilii ad designandam electum contractu locum in quo citari et conveniri contrahentes possint.

Vulgari notione, *domicilium* stabilem cuiuspiam sedem seu habitationem designat. In iure autem domicilium *necescarium* et domicilium *voluntarium* distinguitur.

Necessarium s°u *legale* domicilium, ipsa lege, independenter ab omni facto, assignatur *uxori* non separatae, *amenti, minori* viginti uno annis: isti habent respective domicilium viri, curatoris, personae cuius potestati subsunt (c. 93).

Voluntarium, ex praesenti iure, acquiritur commoratione in aliquo loco cum animo (intentione) ibi perpetuo manendi, si nihil inde avocet, vel commoratione protracta ad decennium completum. Quando commoratio coniungitur cum animo manendi, domicilium a prima die acquiritur. In altero casu, oportet ut decem anni elapsi sint. Locus autem potest esso, praesenti iure, paroccia vel quasi-paroecia, aut dioecesis vel quasi-dioecesis (viea-

(1) d'Annibalb, *Summula, I,* 80, peresrrinoR a viatoribus secernit. Codice tamen distinctio ista praetermitti videtur.

(2) *Dc Domicilio,* cf. Laurin, *Archiv.* XXVI, 165 ea.

riatus apostolicus, praefectura apostolica). Inde domicilium *paroeciale* aut *dioecesanum* esse potest (c. 92).

Quod autem probe notandum est, commoratio potest esse stricte *personalis,* quando ipsa persona modo moraliter continuo, praesens adest : et absentia relative brevis hanc continuitatem non impedit ; et potest esse quasi *realis,* i. e. in aede sibi exstructa, empta, conducta perseverare. Sic perpetuo manere et proin domicilium quis acquirere et habere censetur in loco ubi sibi domum aestivam stabilem procuravit.

Quasi-domicilium est quaedam imitatio seu deminuta ratio domicilii. Praesenti iure quasi-domicilium acquiritur commoratione in paroecia (seu quasi-paroecia) aut saltem in dioecesi (seu quasi-dioecesi), vel coniuncta cum animo ibi manendi saltem ad maiorem anni partem, si nihil inde avocet, vel re vera protracta ad maiorem anni partem (c. 92 § 2).

Minor, postquam infantia est egressus, et uxor quasi-domicilium obtinere possunt ; uxor legitime separata, etiam domicilium (c. 93 § 2).

Domicilium et quasi-domicilium *amittuntur* discessione a loco cum animo non revertendi. Uxor tamen, amens et minor efficacem hanc voluntatem quod ad domicilium habere nequeunt (95).

Codex expresse non dicit quomodo *legale* domicilium amittatur. Sic vero e natura rei dicendum videtur. Domicilium legale *cessat* qua *necessarium,* acquisita personali independentia. Remanebit tamen qua *voluntarium,* quam diu persona sui iuris animum ibi habitandi seu revertendi servaverit.

Idem Codex nemini *quasi-domicilium* legale assignat. Nulla ergo est ratio cur cum R. P. Maroto (1), arbitremur quasi-domicilium legale seu necessarium, obtineri a personis quae non sunt sui iuris. Factum ergo est considerandum. Si tamen vir. curator, persona cui minor subicitur nullibi domicilium, sed solum quasi-domicilium alicubi habeat, persona quae non est sui iuris quasi-domicilium proprium acquisivit vel non. Priore casu, solum istud quasi-domicilium participabit. Altero casu, ne vaga dicenda sit, quasi-domicilium viri, tutoris, curatoris in locum domicilii legalis subintrabit. Hoc dicimus, supplendo silentium logis ex norma c. 20.

Nihil obstat quin quispiam duo vel tria domicilia habeat. Casus classicus est eius qui dimidiam anni partem in uno loco, alteram in altero loco habitare consuevit. Facile quoque potest

(1) *Institutiones iuris canonici,* I, n. 410, nota.

quispiam distinctum a quasi-domicilio habere domicilium. Potestne autem eadem persona duo quasi-domicilia simul habere ! Ante Codicem id communiter negabatur ; et adhuc negandum videtur, cum nec facto nec intentione possit simul quis in duobus locis per maiorem anni partem habitare. Difficultas tamen nunc moveri potest ex c. 95, quo quasi-domicilium amitti non dicitur nisi discessu sine animo revertendi. Quare R. P. Maroto (1) in diversam sententiam abiit.

Praeterea, potest quispiam esse *vague* in paroecia qui domicilium in dioecesi habet, non autem e converso ; et plene vagus non est nisi qui ne quidem in dioecesi domicilium vel quasi-domicilium possideat.

Sed iam ad rem nostram, i. e. ad subiectionem legi redeamus.

286. — Principium de subiectione personali. 1. Legibus particularibus territorii incolae et advenae subiciuntur si simul *actu* ibi commorantur. Attamen etiam absentes, legibus proprii territorii tenentur, si earum transgressio in proprio territorio noceat, aut leges sint personales (c. 13, § 2 ; 14, § 1, io).

2. Peregrini: a) legibus *generalibus* tenentur etiam si hae in proprio territorio non vigeant, minime vero si locus in quo versantur sit exemptus ;

b) Legibus *proprii* territorii non tenentur, nisi ea quae modo dicta est ratione sub η. 1 ;

c) Legibus territorii *in quo versantur* non tenentur, « iis exceptis quae ordini publico consulunt, vel actuum sollemnia determinant ».

Ordo publicus intellegendus est *immediate* publicus ; complectitur istas dispositiones quarum publica observatio indiscriminatim exigenda videtur : v. g. locale interdictum, cautiones dc admissione celebrantium in ecclesia, leges quae sine scandalo violari nequeunt, atque omnes leges quae de peregrinis expresse statutae sunt. Verba enim « ordo publicus » satis parum definita sunt, et ex voluntate legislatoris atque usibus receptis interpretationem

(1) Ibid n. 413.

recipiunt. Dici fortasse possit *ordini publico* consuli por oas leges quae ad commune damnum avertendum potius quam ad promovendum bonum commune latae sunt. Peregrini enim communi territorii alterius bono cooperari per se non debent ; damnosi tamen esso nequeunt. (Ball-Palm., I, tr. 3, n. 362, hac formula utuntur : tenentur « legibus.... quae specialiter latae sint in'bonum illius loci ob necessitatem rei publicae ».)

Per se itaque peregrini participant exemptiones et commoda, non autem onera locorum in quibus versantur. Atque id valet etiam si lex particularis tam in proprio territorio quam in loco ubi versantur vigeat : peregrini enim utramque legem particularem effugiunt (1).

Casus tamen diversus foret, si lex v. g. ia concilio'provinciali vel national!, pluribus dioecesibus simul imposita sit. Incola istius provinciae vel civis istius nationis, legi illi quam diu in provincia vel natione versatur, astringitur (Ball.-Palmiebi, I, tr. 3, n. 362).

3. Vagi, contra ac multi de legibus particularibus sentiebant, ex perspicua c. 14, § 2 dispositione, « obligantur legibus tam generalibus quam particularibus quae vigent in loco in quo versantur ».

287. — Applicatione». 1. Qui die ieiunii aut festo versatur in loco ubi tunc ieiunium vel festum non est, nec ieiunaro nec operibus servilibus abstinere debet.

2. Peregrinus qui versatur in loco ubi illa dio observandum est ieiunium vel festum, id praterea inquirendum habet : obsorvatumc praeceptum iuris communis an iuris peculiaris. Priore casu, non vero altero, ieiunium vel festum observare debebit. Is praeterea a scandalo, ex lego generali, cavere debet.

3. Discedens ex oppido ubi non est ieiunium vel abstinentia, poterit ibi carnibus vesci et bis plenam refectionem sumere, quamvis eadem die redierit domum ubi ieiunaro debuisset. Domum autem reversus, carnibus abstinere debebit ; ieiunandi autem iam copiam non habebit, cum per duas plenas refectiones ieiunium substantialiter laesum iam sit.

4. Abiturus loco ubi ex lege generali viget ieiunium, sed ca-

11) Mulli tntnen euiu S. Alvhonso, l, 1, n. 15«. lutud reieiunt..

dem die perventurus in locurn exemptum, vigentem ibi legem abstinentiae non autem ieiunii observare debebit, quia ieiunii observatio est indivisibilis, et per partem diei exemptus erit. Cf. Bal-ler.-Palm., I, tr. 3, n. 351.

5. *Peregrini,* antequam proprio territorio excedant, *probabiliter* ibi servare non debent praecepta, quando, tempore utili istis praeceptis implendis, ad locum pervenient istis praeceptis immuncin. Sic, qui ante prandium perventurus est in locum ubi non est festum, missam in proprio territorio audire non debet.

6. Belga aut Germanus non potest Romae, diebus ieiunii, vesci caseo in collatione vespertina. Quamvis enim, vigente Codice (c. 1250), abstinentia a lacticiniis iam non pertineat ad ius commune, ius commune tamen seu c. 1251 praecipit ut diebus ieiunii, mane et vespere, circa ciborum quantitatem et qualitatem probata locorum consuetudo servetur.

7. Conceditur interdum ut duplex abstinentia hebdomadaria quae, ex c. 1252 § 2 servanda est per Quadragesimam feria VI et sabbato, servetur feria IV et VI. Quid tunc peregrinis facere licet !

a) In loco ubi dies Codice indicati servantur, abstinentiam sicut incolae istius loci observare debebunt : incolae enim legem communem servant. Cf. c. 14, 3 ;

b) In loco ubi feria IV abstinetur, si ibi totam hebdomadam transigunt, optionem habebunt observandi feriam IV vel sabbatum. In casu enim, privilegium locale non est dispensationis, sed mutatae diei. Possunt itaque peregrini privilegio locali uti ut suam obligationem in feriam IV transferant ; et possunt quoque sabbato legem communem servare ;

c) Si foria IV usi sunt privilegio locali et proin abstinentiam servarunt, tertium abstinere carnibus non debebunt, proptorea quod sabbato inciderint in locum ubi lex communis observatur ;

d) Quid autem si ita peregrinantur ut feria IV sint in loco ubi abstinetur sabbato ; sabbato vero in loco ubi foria IV abstinendum est! Dixeris prima specio ipsos sabbatina abstinentia teneri. Attamen, Ecclesia ita permittit ut peregrini so usibus locorum accommodent, ut probabiliter dici possit eosdem abstinentia sabbatina non tenori : Ecclesia non censetur ad singularitatem velle astringere. Id in simili causa ieiunii, post Sanchez (1), Lat-

---

(1) Jn *Decal.* l. 1. c. 12, n. 30.

MANN (1), Lacroix (2), admitti; Lehmkuhl (3), benignam mentis Ecclesiae interpretationem appellans. Ipse tamen vetat ne ox industria ab uno loco in alium ad vitandam obligationem transieris. Praesentis tamen iuris mens nos sinit ut exceptionem istam neglegamus. De ipsa enim reservations casuum, declarat c. 900, 3°, eam vi carere extra territorium reservantis, etiamsi ad absolutionem petendam paenitens ex eo discesserit. Cf. quoquo Noldin, *Prine.* 149.

288. — Sublectio vel exemptio localis. *Nec leges particulares obligant in loco plene exempto* (4). Talis profecto est locus qui censetur extra territorium, quia alius ibi potestatem similem exercet. Cf. Schmalzgrueber, in l. 5, t. 39, n. 49.

Suntne autem hodie *domus religiosorum exemptorum* satis exemptae, ut hospites laici nullas alias leges observaro debeant nisi personales vel quibus ipsi regulares tenentur, nec censuris episcopalibus ibi sint obnoxii Î Id cum Suarez (5), potius negandum arbitramur. Loca enim ista non sunt secundum se exempta, sed tantum ratione religiosorum. Quare Codex nusquam directe dicit: domus regularium sunt loca exempta; sedsubordinatam personis exemptionem sic eleganter c. 615 expressit: «Regulares... cum eorum domibus et ecclesiis... ab Ordinarii loci iurisdictione exempti sunt ». Praeterea, contra atque in alieno territorio, ubi, quantum commune bonum postulat·, legibus localibus astringuntur, in illa domo laici nullum haberent Superiorem qui ipsis praecipere posset. Denique ipsi regulares non vitant in suis domibus exemptis leges dioecesanas quibus subduntur; cur laicus ibi vitaret leges quibus ipse subditur ? Atque domus istae adeo sunt in territorio, ut parochus loci ibi valide matrimoniis assistere possit.

Attamen S. Alphonsus, I, 157, valde probabilem existimavit sententiam oppositam ; Ballerini-Palmieri, *De legibus,* I, 347, rem dirimere nolunt ; atque etiam vigente Codice, probati auctores, ut Noldin, I, 151 ; Génicot-Salsmans, I, 97; Cappello,

(1) *Theol. mor.* l. 1, tr. 4, c. 11, n. 8.
(2) *Theol mor.* l. 3, p. 2, n. 1271.
(3) *Theol mor.* I, 236.
(4) Cf. Suarez, *De censuris,* l. 5, c. I, n. 5 ; D'Axnibale, I, 205 (12) ; 30G (28). — (5) Ibid. n. 6.

De *censuris,* n. 9 eidem adhaerent. Quare probabilitatem non negamus opinionis quae putat hospites, in domibus regularium, a legibus et censuris episcopalibus per se esse immunes. Ceterum, hodie rari casus occurrent.

§ 4. — De Interpretatione Legis Ecclesiasticae.

£89. — I. Normae generales. De interpretatione legis ecclesiasticae in universum haec propria observanda veniunt.

Praeter interpretationem authenticam, quam per modum *legis* dat ipse legislator et per modum *sententiae* quodvis tribunal competens in causis quas dirimit, fit quoque interpretatio per modum *rescripti in re peculiari.*

Dum prima eandem vim atque ipsa lex habet, ambae posteriores vim exserunt circumscriptam personis pro quibus datae sunt, idque pro solis negotiis de quibus sententia aut rescriptum agebat (c. 17).

Quid ergo dicemus de interpretationibus quae sub hoc titulo prodeunt in *Acta Apostolicae Sedis: Romana. —Romana et aliarum. — Dubia.*

Ipsa insertio in commentarium officiale efficit ut de responsis istis *authentice constet* in foro quoque externo.

Ac non ambigitur per responsa ista, omnibus fidelibus quorum interest, securam agendi regulam suppeditari. Authentia tamen responsi non sufficit per se ut rescriptum convertat in legem generalem. Quaerendum itaque superest utrum nocue omnes fideles hac sequenda interpretatione teneantur. Cui quaestioni hac distinctione respondendum putamus.

Quando, ex ipsa inscriptione, *nominantur,* ut in primo exemplo, vel saltem modo minus definito *indicantur* dioeceses quibus data sunt, responsa ista per se solas istas dioeceses obligant.

Sed cum nulla indicatur persona vel regio pro quibus datum sit rescriptum, authentica dubii solutio omni Ecclesiae proponi videtur, ac proin omnes in illa re obligare.

Non raro fit ut interpretatio, etiam particulari dioecesi data, ita ab auctoribus recipiatur, ut fiat usualis, et mox obliget tamquam consuetudo per coniventiam.

Si autem extra *Acta Apostolicae Sedis* vagetur responsum, in

foro exteriore ignoratur, ita ut ex ipsa mente respondentis, solutio data sit ut minus definitiva, et, iis exceptis quibus rescriptum missum est, alii servent libertatem diversimode opinandi.

290. — II. Peculiaris regula de todice iuris canonici. Authentica legum universalium interpretatio per rescripta fieri consuevit, in sua cuiusque provincia, a Sacris Congregationibus. Attamen, quando dubium Codicis canonem formaliter afficit, ex Motu Proprio *Cum iuris,* 15 sept. 1917, authentica interpretatio propriae Commissioni, ad Codicis canones authentice interpretandos per illud diploma institutae reservata est. In rebus tamen maioris momenti auditur S. Congregatio cuius propria res est.

291. — III. Necessitas promulgationis. Ex c. 17 § 2, *interpretatio* authentica per modum legis, non solum quando est extensiva vel restrictiva, sed etiam quando est comprehensiva sed *legem vere dubiam explicat,* non retrotrahitur et promulgari debet.

292. — IV. Temporis supputatio. Specialis quaestio de supputatione temporis, cuius frequens in legibus fit mentio, proprio novi Codicis titulo (l. I, t. 3) nunc solvitur, ita tamen ut leges liturgicae intactae maneant. Sic, in re liturgica, dies aliud initium ac media nox habet ; et quae dominica mensi ut prima assignatur ipsum mensem interdum praecedit. Porro regulae supputationis, nisi aliud expresso caveatur, summarie sic proponi et explicari posse videntur.

1. Hora, de cuius quantitate nihil dicitur, sed quam 60 momentis constare novimus, pro varia horologii constitutione, ad primum vel ultimum pulsum horologii inchoatur vel finitur. Censentque pleraque horologia ita facta esse ut hora elapsa sit cum primam dant horae pulsationem.

Cum autem variae sint horarum aestimationes, per se servandus est *communis loci usus* ; pro pluribus tamen actibus privatis *optio datur* cuius vim in tractatu de conscientia expendemus.

2. Dies, etiam in materia ecclesiastica, a media nocte initium habet, et constat 24 horis continuo supputandis (c. 32). Unde, quando ex lege computatio fit per dies, ut v. g. de tempore quod novicius abesse potest, partes dierum neglegendae sunt quae non pertinent ad spatium continuum 24 horarum quae a media nocte ad mediam noctem computandae sunt. Quare ne per diem quidem abfuisse censebitur novicius qui vigesies per quinque vel decem horas separatas abfuerit ; nec dies qua proficiscitur vel qua redit in tempore absentiae quod per dies aestimatur computandus est (1). Continuitas tamen moraliter intellegenda est : per diem abfuit qui abfuit moraliter per 24 horas, a media nocte computatas.

3. *Hebdomada* (c. 32) 7 diebus, i. e. ergo 7 spatiis 24 horarum continuo supputandarum constare dicitur. Sed non requiritur ut ipsi dies sint inter se continui, vel ut certa dies, puta dominicam, tamquam prima consideretur. Unde, nisi lex statuat hebdomadam sumendam esse ut in calendario, quilibet septem dies pleni, — i. e. septem intervalla horarum 24 continuarum a media nocte ad mediam noctem, — etiam non continui hebdomadam efficient.

4. *Mensis* et *annus* vel sumuntur prout in calendario vel non. In posteriore casu, mensis designat spatium 30 dierum ; annus voro spatium 365 dierum.

Porro, sumuntur prout *in calendario* :

a) Quando proprio nomine designantur, v. g. mense martio, vel quando aequivalens designatio usurpatur. Sic, dicendo « anno proxime futuro », aequivalenter annum 1923 designas ;

b) Quando tempus continuum assignatur, ut v. g. in suspensione per tres inenses.

(1) Ad eos voro qui *residere.* debent quatenus certa officia in definitio oco praestanda habent, regula ista prudenter ot cauto traducenda est. Supponamus canonicum qui ad Matutinum non autem ad alias horas choro intcrvonorlt. Dio ista, qua ox parte tantum officium «uum explevit, non censetur resedisse. Quaro si lain licitas ferias plene absumpserit, die ista, amittit pro *rata parte* non solas distributiones cotidianas, eed etiam, pro rata parte, fructus praebendae suae seu beneficii, ac puniri potest ut violator legis residendi.

Sumuntur 30 vel 3G5 dies, quando tempus designatur *intermissum,* ut cum permittitur beneficiato canonico absentia trium mensium.

5. Quod ad *initium* et *-finem* temporis : vel terminus *a quo* nec *explicite* nec *implicite assignatur* (suspensio a divinis per mensem; tres vacationum menses in anno); et tunc supputatur de momento ad momentum. Vel tempus terminus *a quo assignatur·,* tunc (excluso speciali casu actuum qui statis temporibus renovantur, ut vota, electio) : si terminus a quo coincidit cum initio diei, primus dies computatur, et tempus finitur incipiente ultimo die eiusdem numeri : v. g. duo menses a 15° ianuarii, elapsi censentur incipiente (media nocte) 15° die martii. Si non coincidit cum initio diei : quartusdecimus aetatis annus, decendium ad appellandum (horum initium est nativitas, sententia primae instantiae), primus dies non computatur, et tempus finitur expleto ultimo die eiusdem numeri. Ergo natus 15 mart. 1900 habebit quattuordecim annos, expleto (media nocte) die 15 mart. 1914.

Dies eiusdem numeri aliter sumitur quando agitur do pluribus mensibus vel annis ac quando de pluribus diebus sermo fit. Priore casu, est dies qui in alio menso eundem numerum habet, v. g. 20.25. Quia tamen alii menses 30 alii 31 dies numerant, et februarius solos 28 vel 29 habet, dies eiusdem numeri in fino mensis deficere potest. Sed tunc ultimus dies, v. g. 28 februarii habetur pro die eiusdem numeri ac dies finales (v. g. 28. 29. 30. 31 ian.) mensis qui plures habet. Cum vero tempus est mense brevius, dies eiusdem numeri est illo quo iteratur numerus ipso spatio indicatus : v. g. dies octavus, decimus, si agatur do octiduo, de decendio.

Denique, si agitur de actibus qui post stata intervalla recurrunt, v. g. de *votis* quae post unum, duos annos renovanda sunt vel in perpetua convertuntur, de *electione* quae sexto quoque anno facienda redit, tempus finitur eodem recurrente die quo incepit, sed, *neglecta consideratione horae actus,* per integrum eundem diem fieri potest. Hinc, quamvis prima vota non fiant eodem recurrente die quo quis noviciatum ingressus sit sed postridie, nihilominus vota

emissa (1), electio facta 15 augusti, recurrente die 15 augusti renovabuntur.

6. Quod ad *contractuum* obligationes, puta mutuam pecuniam reddendam, nisi paciscentes aliud definierint, ius canonicum se accommodat ad legem civilem in territorio vigentem (c. 33 § 2).

7. Canon 35 tempus *continuum* ab *utili* secernit. Continuum nullam patitur interruptionem ; utile non currit ignoranti vel impedito. V. g. si decem dies utiles conceduntur ad appellandum, dies quibus quis impeditus fuerit, in iisdem non computantur. Tempus per se censetur continuum ; expressa vel tacita concessio temporis utilis demonstranda est.

§ 5. — De Privilegiis et Dispensationibus in Lege Ecclesiastica.

I. — *De Privilegiis.*

293. — Variae regulae. ITaec pauca addenda sunt ad notiones datas supra n. 209 ss. In praesenti iure ecclesiastico:

1. Privilegia sunt perpetua, nisi aliud constet (c. 70). Data cum clausula « *ad beneplacitum nostrum* », vel cum alia aequipollenti, exstinguuntur resoluto iure concedentis (c. 73).

2. Valent in foro conscientiae privilegia *oretenus* a S. Sede concessa ; in foro autem externo rite probanda erunt (c. 79).

3. *Privilegiis praeter ius accensentur facultates habituales* quae conceduntur vel *in perpetuum,* vel *ad praefinitum tempus,* vel ad *certum numerum casuum,'* et huiusmodi facultates, nisi in concessione electa fuerit industria personae vel aliud expresse cautum sit, si concessae sunt episcopo competunt quoque vicario generali, et transeunt ad *Ordinarios* qui episcopo in regimine succedunt (c. 66).

(1) Atque etiam ni qui protoesus eat hora sexta, vota tantum hora undecima repetat, non erit tamen, die 15 auR. ab hora (>* ad 11*« votis solutus.

4. Privilegia *personalia* cum persona exstinguuntur : realia vel *localia* per absolutum rei vcl loci interitum cessant ; si tamen locus intra quinquaginta annos restituatur, localia reviviscunt (cc. 74. 75).

II. — *De Dispensationibus.*

294. — I. Quid possit S. Pontifex. 1. *S. Pontifex* in omni lege ecclesiastica, tam particulari quam universali, semper validam dispensationem fidelibus conced it. Id aperte sequitur ex dictis supra, n. 223. Se ipse ea ratione solvere potest quae ibidem explicata est.

In *lege divina* proprie non dispensat ; potestate tamen ligandi et solvendi uti potest ad relaxandum, propter iustam causam, vinculum voti, iuramenti, matrimonii rati, immo matrimonii quod post baptismum non fuit consummatum. Propter iustam causam, inquam. Nequit enim sine tali causa materiam istam legi divinae subtrahere.

295. — II. Quid possint Ordinarii. 1. Can. 81. 82 hoc principium effertur: A generali lege Ecclesiae vel a lege quam Pontifex pro speciali territorio fecerit, *Ordinarii* infra S. Pontificem, ne in casu quidem peculiari, dispensare valide possunt, nisi potestas ipsis explicite vcl implicite concessa sit ; « aut nisi difficilis sit recursus ad S. Sedem et simul in mora sit periculum gravis damni, et de dispensatione agatur quae a Sede Apostolica concedi consueverit ».

Ut ergo valide dispensent sino positiva S. Sedis concessione, tria concurrere debent : res in qua S. Sedes dispensare solet (v. g. impedimentum consanguinitatis in 2 vel 3 gradu lineae collateralis) ; periculum gravis damni, ex mora ; difficilis recursus ad S. Sedem.

Causa quam ante Codicem scriptores communiter addebant, i. e. casus *frequenter occurrentes,* silentio praetermittitur, nec iam valere videtur.

2. *Expressa* autem dispens ndi facultas conceditur *Ordinariis locorum* in casibus sequentibus :

a) In dubio *jacti,* possunt, etiain in legibus irritantibus et inhabili tanti bus, dispensaro, dummodo agatur de legibus in quibus R. Pontifex dispensare solet (c. 16) ;

b) A *temporibus sacris* (diebus ieiunii, abstinentiae vel festivis) servandis, dispensare possunt, in casibus singularibus, subiectos sibi fideles singulasvo familias, etiam extra territorium; atque, in suo territorio, etiam peregrinos (c. 1245).

Immo, ex *causa peculiari* magni concursus populi aut publicae valetudinis, iidem Ordinarii totam dioecesim vel locum a ieiunio et abstinentia dispensare possunt. Sic, anno 1919, ad consulendum publicae valetudini, episcopi Hiberniae ieiunium per totam quadragesimam relaxarunt;

c) *Vota non reservata* ex iusta causa relaxare possunt omnibus subditis atque etiam peregrinis. Ius tamen aliis quaesitum laedere non possunt (o. 1313) ;

d) Eadem facultas ipsis conceditur in *iuramenta* (c. 1320);

e) Dispensare possunt in *interstitiis* quae inter varias ordinationes servanda sunt, non tamen ita ut duo sacri ordines, vel minores ordines cum subdiaconatu eodem dio, vel quattuor minores ordines simul, aut prima tonsura cum minore ordine conferantur. Cf. o. 978 ;

/) Dispensare possunt in *bannis,* etiam in aliena dioecesi faciendis vel repetendis (cc. 1028. 1030) ;

g) In *impedimentis matrimonialibus* dispensare possunt, cum casus concurrunt qui in tractatu de matrimonio exponuntur ;

h) Subditos suos dispensaro per se vel per alium possunt ab omnibus *irregularitatibus* ex delicto occulto provenientibus, excepta ea quae ex homicidio voluntario aut abortu oritur, aliave deducta ad forum iudiciale (c. 990) ;

i) In casibus *occultis,* possunt per se vel per alium poenas latae sententiae iurc communi statutas remittere, exceptis censuris specialissimo vel speciali modo S. Sedi reservatis.

Immo in casibus *publicis, poenas* latae sententiae iuro communi statutas remittere possunt, exceptis casibus ad forum contentiosum deductis, censuris S. Sede reservatis et quibusdam aliis, enumeratis canone 2237;

j) In casibus urgentibus, possunt pro singulis libris veniam facere legendi, etc., libros prohibitos. Et generalem facultatem a S. Sedo impetraro possunt (c. 1402). Verum haec potius est licentia quam dispensatio ;

k) Do consensu examinatorum synodalium, candidatum

parochum, doctrinae laude commendatum, ab examino super doctrina dispensare possunt (c. 459, 3°).

N. B. Nulla itaque potestas dispensandi in *horis canonicis* ipsis conceditur. Hanc tamen ex consuetudine centenaria habere possunt.

Possunt etiam facultates habituales a *S. Paenitentiaria* obtinere pro *foro interno.* Solebant praeterea non pauci episcopi impetrare pro *foro externo* varias facultates quinquennales, decennales, v. g. in impedimentis. Verum huiusmodi facultates, salvis quibusdam exceptionibus temporariis, revocatae sunt decreto *Proxima,* S. C. *Consistoridlis,* 25 aprilis 3918. Supersunt tamen facultates quas in locis missionum S. C. *Propagandae Fidei* communicare consuevit. Et novae concedi coeptae sunt. Sic, extra missiones, a S. C. *de Sacramentis* facultates habituales conceduntur dispensandi v. g. in minoribus matrimonii impedimentis.

Tacite (per se seu nisi alia intentio appareat ex textu vel consuetudine) conceditur Ordinariis locorum facultas dispensandi in legibus pontificiis quibus clausula additur: « *nisi dispensetur* ».

3. In casibus particularibus et iusta de causa, *Ordinarii locorum* dispensare possunt a decretis *concilii plenarii* et *provincialis* (c. 291).

Factae potestates communi iure ad ordinariam ac proin delegabilem potestatem pertinent Ordinarii locorum.

4. In legibus demum *dioecesanis,* propria auctoritate dispensant. Atque idem dicendum est de *consuetudinibus particularibus,* cum illas abrogare possint.

Nomine autem *Ordinarii loci* seu *locorum* veniunt (praeter Romanum Pontificem), pro suo quisque territorio, episcopus residentialis, abbas vel praelatus *nullius* eorumque vicarius generalis, administrator, vicarius et praefectus apostolicus, itemque ii qui, praedictis deficientibus, interim ex iuris praescripto aut ex probatis consuetudinibus succedunt in regimine (c. 198).

296. — **III.** Quid Superiores maiores religionum. *Superiores maiores* in religionibus clericalibus exemptis, i. e.

Generalis, Provincialis, et in monasteriis sui iuris Abbas vel Praelatus etiam localis, veniunt nomine *Ordinarii,* respectu subditorum suorum (c. 198).

Qua *tales,* ipsi *subditos* dispensare possunt :

A legibus pontificiis in quibus S. Sedes solet dispensationem concedere, si difficilis est recursus ad S. Sedem et simul in mora periculum est gravis damni (cc. 81.82).

In dubio *facti,* dummodo agatur de legibus in quibus R. Pontifex dispensare solet (c. 15).

Λ *temporibus sacris,* in casibus singularibus et iusta de caus^ (c. 1245).

A *votis* non reservatis (c. 1313), illaeso tamen iure tertii quaesito.

A *iuramentis* (c. 1320).

Ab *irregularitatibus* ex delicto occulto provenientibus, excepto homicidio voluntario et fetus humani abortu, aliave deducta ad forum iudiciale (c. 990).

A *poenis* latae sententiae, sicut dictum est de Ordinariis locorum (c. 2237).

Pro singulis *libris,* in casibus urgentioribus, licentiam quod attinet ad libros S. Sede proscriptos dare possunt (c. 1402).

Praeterea facultates dispensandi exercere possunt quae ex non revocatis suae religionis privilegiis in ipsorum potestate versantur.

Cum agitur de dispensatione a *temporibus sacris,* a *votis* et *iuramentis,* subditi esse intelleguntur non soli religiosi, professi vel novicii, verum etiam personae quae « in religiosa domo diu noctuque degunt » causa famulatus aut educationis aut hospitii aut infirmae valetudinis (c. 514).

297. — IV. Quid Parochi. *Parochi* a nulla lege dispensare possunt nisi potestas iisdem expresse concessa sit (canon 83).

Expresse ipsis conceditur c. 1245, § 1, ut in casibus singularibus et iustis de causis subditos sibi singulos fideles singulasve familias, etiam extra territorium ; atque in territorio suo etiam peregrinos *a lege communi* observantiae *temporis sacri* dispensare possint.

In casibus urgentibus habent facultatem dispensandi in *impedimentis matrimonii,* quae proprio loco exponitur (c. 1044-1046).

298. — V. Quid Superiores religiosi. *Superiores* religionis clericalis exemptae, — etiam non maiores, — possunt sicut Ordinarii dispensare a *temporibus sacris servandis,* a *votis* et a *iurameniis,* subditos intellectos sicut num. 296. in fine dictum est (cc. 1245. 1313. 1320).

299. — VI. Qnid Confessuri!. *Conjessarii* rite approbati, quaedam possunt circa *indulgentias, irregularitates, poenas, impedimenta matrimonii.*

a) Legitimo impedimento detentis commutare possunt pia opera ad lucrandas *indulgentias* iniuncta (c. 935). Ut patet, substantia operis principalis aliquo modo servanda erit : sic indulgentiam communioni annexam non possunt alii operi coniungere. Aliud est si communio requiratur ut condicio indulgentiae diverso operi concessae. Sic etiam sine usu crucifixi benedicti, non poterunt impediti indulgentias viae crucis lucrari. Cf. resp. *S. Paenit.* 14 dec. 1917, ad V;

b) In casibus occultis urgentioribus in quibus Ordinarius adiri nequeat, et periculum immineat gravis damni vel infamiae, dispensare possunt ab *irregularitatibus* omnibus ex delicto occulto provenientibus, excepto homicidio voluntario et fetus humani abortu, sed ad hoc dumtaxat ut paenitens ordines iam susceptos exercere licite valeat (c. 990, § 2);

c) 1. « In casibus occultis urgentioribus, si ex observatione poenae *vindicativae l. s.* reus seipsum proderet cum infamia et scandalo, quilibet confessarius potest *in foro sacramentali* obligationem servandae poenae *suspendere,* iniuncto onere recurrendi saltem intra mensem per epistolam et confcssarium, si id fieri possit sino gravi incommodo, reticito nomine, ad S. Pacnitentiariam vel ad episcopum facultate praeditum et standi eius mandatis. 2. Et si in aliquo casu extraordinario hic recursus sit impossibilis, tunc ipsemet confessarius potest dispensationem concedere ad normam c. 2254, § 3 » : i. e. iniunctis de iure iniungendis et imposita congrua paenitentia et satisfactione pro poena, sub onere reincidendi. (Cf. c. 2290.)

N.B. Eadem facultate confessorius pollet quod ad *censuras,* ita tamen ut numquam sine onere recurrendi absolvere possit sacerdotem qui complicem in re turpi absolverit vel absolvere

finxerit. Sed censurae *absolvuntur* et hic agitur de *dispensationibus;*

d) In casibus urgentioribus habent in *impedimentis matrimonii* facultatem quae proprio loco explicatur.

Habent praeterea confessarii *regulares* facultates ex Ordinis privilegiis, v. g. *dispensandi vota* non reservata; et, in quibusdam religionibus, vota quaedam etiam reservata,

N. B. Quando condicio usus *intrasacramentatis* non apponitur, confessarius facultates istas etiam extra confessionem erga paenitentes exercere potest. Paenitentes autem sunt quotquot hic et nunc audire potest in confessione.

300. — VII. Quid Sacerdotes. *Simplex sacerdos* qui *matrimonio* assistit habet in casibus urgentioribus, ex cc. 1044. 1045 facultatem dispensandi in *impedimentis* de quibus suo loco agetur.

301. — Quaeres quomodo intellegenda sit facultas restricta ad singulos casus ; seu, quid sit dispensare in singulis casibus ?

Haec est rationabilis rei interpretatio, ut dispensans nequeat ultra quam postulat *praesens causa* dispensationem protrahere : v. g. non ultra tempus morbi, itineris pro quibus dispensatio petitur. Sed, ut nobis videtur, nulla alia limitatio temporis *per se* apponenda est. Fit tamen ut intervallum temporis expresse definiatur.

Sic, in Belgio, solet E.mus Archiepiscopus facultatem dispensandi in ieiunio ita confessariis communicare, ut nequeant ad tempus ultra annum dispensationem concedere. Formula qua utitur R. P. Makoto *(Institutiones,* n. 304) « singulis et toties quoties», maiorem severitatem sonare videtur. S. Alpuonsus, III, 288, ait : « Ad tempus et pro singulis casibus ».

302. — Dispensationis sublectum. 1. Per se, unusquisque *subditos suos* dispensat. Et cum dispensatio dicat usum iurisdictionis gratiosae, ubique locorum erga subditos exerceri potest.

2. *Vagi* quoque, sicut nunc legibus territorii in quo ver-

santur parere debent, ita dispensari possunt ab omnibus qui in isto territorio facultate dispensandi potiuntur.

3. *Peregrini,* tum ab Ordinario loci, tum a parocho, quando iste est in re competens, in utriusque territorio dispensari possunt a temporibus sacris (c. 1245) ; a votis et iuramentis (cc. 1313. 1320) ; in casibus urgentioribus, ab impedimentis matrimonii (cc. 1043-45) ; a censuris a iure reservatis (c. 2253).

Dispensatio ab *interstitiis* dari potest ab episcopo *iis quos ordinat.* Sic, ex superiore iure (1).

Dispensatio ab *irregularitatibus* ex delicto danda est 3 *proprio* Ordinario (c. 990) ; sicut facultas legendi, tenendi, etc. libros prohibitos (c. 1402 § 1).

Dispensatio a *poenis,* cum Codex subjectum canone 2237 non determinet, videtur, *in territorio suo,* ab Ordinario loci omnibus dari posse.

Facultas facta dispensandi in *publicis* matrimonii *impedimentis,* exercetur ab Ordinario qui litteras testimoniales dedit vel preces ad S. Sedem transmisit, etiamsi sponsi alio definitive migraverint (c. 1055).

De facultatibus generalibus per indultum concessis cf. *Tract, de matrimonio.*

Facultates exercendae erga *paenitentes* omnibus prosunt in quibus illa qualitas inest, i. e. omnibus quos, in loco ubi sunt, dispensans sacramentaliter absolvere possit.

4. Ex recepta interpretatione, potest *seipse* dispensare qui generali communicatione facultatem dispensandi possidet. Confessarius tamen circumscripta *paenitcntibus* facultate erga se uti non poterit, cum nemo sit paenitens suimet ipsius, nec desint alii confessarii. Superior, contra, per se solus est, ita ut in deteriore condicione versari videretur, nisi facultatem pro subditis concessam sibi applicare posset.

Quidam tamen, v. g. Suarez (2), facultatem dispensandi

(1) Cf. reap. S. Cong. Cone. 30 lut. 1597 ct 30 sept. 1609, ullegata in Mldensl. *Collect, prop Fid.* 1, 231.

(2) *De Religione,* T. VI, 1. 6, c. 11, n. 4.

in propriis votis non esse concessam putabant, sed alii v. *g.* Sanchez (1), exceptionem istam negarunt.

De ipso *legislatore* secum dispensante, diximus supra, n. 223.

5. *Regulares,* cum a proprio Ordinario dispensari possunt, ad Ordinarium loci recurrere nequeunt. Si tamen copia adeundi proprium Ordinarium desit, videntur, ex praesumpta Superioris facultate, ab Ordinario loci dispensari posse. Consentiente Superiore, possunt eundem Ordinarium adire ut is sua voluntaria iurisdictione utatur in casibus in quos proprias Praelatus caret potestate : quia, ex r. 61 Turis in 6° « Quod ob gratiam alicuius conceditur, non est in eius dispendium retorquendum ».

Haec autem expressa concessio legitur in c. 620 : « Per indultum ab Ordinario loci legitime concessum, obligatio legis communis cessat quoque pro religiosis omnibus in dioecesi commorantibus, salvis votis et constitutionibus propriis cuiusvis religionis ».

6. *Dispensatio* valide *pro alio* impetrari potest, et valet ante eius acceptationem, nisi aliud ex clausulis appareat Hoc eruimus ex c. 37.

303. — Usus dispensationis *personalis* est per se ubique permissus. Sive detur in foro interno sive in foro exteriore, *dispensatio per se permittit actus in utroque foro.* Attamen, nisi in foro externo probetur, aut legitime praesumatur, dispensatio fori interni actionem fori exterioris non impediet (Cf. c. 2251). Quare c. 1047 cavet ut dispensatio matrimonialis, data in foro *interno* super impedimento occulto, annotetur in secreto archivo : data autem in foro *sa-cramentali,* confirmetur nova dispensatione in foro externo, si impedimentum evaserit publicum.

304. — Canone 84 § 2 expresse statuitur : « Dispensatio in dubio de sufficientia causae licite petitur et potest licite et valide concedi ».

(1) Pr *Matrimonio,* L. 8, <J. 3, xj. 8. 9.

305. — Quod supra diximus de stricta interpretatione facultatis ad certum casum concessa, et de cessatione dispensationis, cum causa motiva *certo et totaliter* cessaverit, cc. 85. 86 expresse confirmatur. Ex posteriore tamen canone colligi potest non cessare dispensationem, si causa motiva ex parte subsistat, vel sublatio causae dubia tantum fuerit.

Appendix I. — *De Rescriptis.*

306. — I. Notio. Divisio. Rescriptum est *responsum 8. Sedis vel Ordinarii scripto datum ad instantiam petentis.*

Rescripta sunt vel *iustitiae* seu ad lites, vel *gratiae* ; et posteriora non raro continent dispensationem vel privilegium. Tunc ad regulas quoque dispensationum et privilegiorum attendendum est (c. 62).

307. — II. Personae habiles. Excepto excommunicato et suspenso vitando, vel eo qui per sententiam factus aut declaratus est excommunicatus aut suspensus, et personaliter interdicto, rescripta *ab omnibus impetrari possunt* tam *pro se* quam *pro aliis,* etiam praeter horum assensum ; et nisi clausulae aliud ferant, valent *ante eorum* acceptationem (cc. 36. 37. 2265, § 2; 2275. 3°; 2283).

308. — **III.** Condiciones valoris. *Condiciones* appositae tunc tantum sunt ad valorem, quando per particulas *si, dummodo,* vel aliam eiusdem significationis exprimuntur (c. 39). Sed in omnibus rescriptis subintellegenda est condicio : *Si preces veritate nitantur.* Satis tamen veritate nituntur ut valeant, si expressa fuerint quae de stilo curiae ad valorem exprimenda sunt, et una saltem causa motiva vera sit. Ac veritas unius saltem causae motivae etiam tunc requiritur quando clausula *Motu proprio* addita fuit, nisi petatur dispensatio a minore impedimento matrimonii (cc. 39. 40. 42. 45. 1054).

Si rescriptum plures gratias concedat, vitium in una parte alteram non infirmat (c. 42, § 3).

309. — IV. A quonam momento operentur. Rescripta quorum nullus est exsecutor, a momento quo datae sunt litterae effectum habent: et oportet ut eodem momento preces veritate nitantur; cetera, a tempore exsecutionis: quo solo tunc tempore preces veritate niti debent (cc. 38. 40. 41).

Quare petita per litteras iurisdictio ad audiendas confessiones, a momento quo concessa est possidetur. Igitur in casu necessitatis, ubi certa est conieotura, tali iurisdictione etiam ante acceptum nuntium uti licebit. Extra casum necessitatis, usus foret temerarius, ac proin illicitus. Cf. Laymann. l. 1, tr. 4, c. 23, n. 10.

310. — V. Errores. Error in *nomine personae* cui vel a qua conceduntur aut *loci* in quo ipsa moratur, aut *rei* de qua agitur valori non obstat, dummodo, iudicio Ordinarii, nulla sit de ipsa persona vel re dubitatio (c. 47).

311. — VI. Rescripti exsecutio. Exsecutor *rescripti* : 1. *Inde* suo munere fungitur antequam vel litteras authenticas receperit et recognoverit, vel auctoritate ipsius rescribentis praevia earundem notitia ei transmissa fuerit (c. 53).

Quare facultate dispensandi in aliquo matrimonio, vel absolvendi aliquem ab aliquo casu reservato, ante receptas huiusniodi litteras, vel notitiam, ne valide quidem uti possumus. Cf. resp. S. *Offic.* 14 nov. 1892.

2. Ex can. 54, *exsecutionem* per se *negare* non potest, cum merum exsecutionis ministerium committitur (v. g. «Mandamus ut, si vera sint exposita, dispenses»); secus, si in rescripto concessio gratiae exsecutori committatur (« committimus arbitrio tuo ut gratiam concedas »).

3. *Scripto exsequi* debet rescripta quae forum externum respiciunt (c. 56).

4. Si *erraverit,* potest rescriptum iterum exsecutioni mandare (c. 59).

5. Nisi persona electa fuerit potius ratione qualitatis specialis (scientiae, peritiae) quam officii seu muneris, aut tenor rescripti aliud ferat, exsecutor potest *alium sibi substituere ;* et successor in dignitate aut officio rescriptum quodlibet exsecutioni mandare permittitur (c. 57. 58).

312. — Quid vacante scdc. Per *vacationem* sedis concedentis, rescriptum non perimitur, nisi aliud ex additis clausulis appareat, aut nisi rescriptum contineat potestatem alicui factam concedendi gratiam particularem personis in eodem expressis, et res integra sit (c. Gl).

313. — VII. Praesentatio Ordinario. Rescriptum Sanctae Sedis in quo nullus exsecutor datur *non debet Ordinario* impetrantis *praesentari,* nisi id litteris praecipiatur, aut de rebus publicis agatur (c. 51).

31-1. — VIII. Recursus ad varios Superiores. Gratia ab una S. Congregatione vel Officio Romanae Curiae negata, *invalide* ab alia S. Congregatione vel Officio aut a loci Ordinario, etsi potestatem habente, conceditur sine assensu S. Congregationis vel Officii quocum vel quibuscum agi coeptum fuerit, salvo iure *S. Paenitentiariae* pro foro interno (c. 43).

Prohibemur etiam ab alio Ordinario petere gratiam a proprio denegatam, nulla facta denegationis mentione. Immo gratiae a Vicario generali denegatae mentio *ad valorem* requiritur, ut ab episcopo obtineri possit. Quam autem episcopus denegaverit, nequit iam Vicarius generalis nisi assentiente episcopo concedere (c. 44).

Appendix II. — *De Curia Romana.*

I. — *Notiones generales.*

315. — Notio. Curia Romana *complexum* designat *institutionum quae adsunt R. Pontifici in exercenda sua iurisdictionc et potestate universali.* Quatenus unum efficiunt cum Supremo Pastore, communi *S. Sedis* nomine vocantur. *Aula vero Pontificia* eas administrationes complectitur quae S. Pontifici competunt quatenus est Princeps temporalis; et *Vicariatus TJrbis* tum Cardinalem significat qui, qua Vicarius Episcopi Romani, dioecesim romanam administrat,

turn varias personas et officia quae dioecesanam Urbis curiam componunt.

« Curia Romana constat *Sacris Congregationibus, Tribunalibus* et *Officiis* » (c. 242).

316. — Conimunes reculae. 1. *Notanda communia.* (Cf. cc. 242-244).

1. *Normae* agendi a S. Pontifice praestituuntur.

2. Omnes qui ad Curiam Romanam pertinent lege tenentur *secreti,* quae varii est rigoris, et severissima est in S. *Officio,* in S. Cong. *Consistoriali* (quod ad informationes de novis episcopis) et in *Secretaria Status.*

3. Quidquid grave et extraordinarium agatur, prius S. Pontifici significandum est.

4. Exceptis sententiis Tribunalis Rotae et Signaturae Apostolicae, et specialibus facultatibus factis, quaevis gratiae et resolutiones pontificia approbatione opus habent.

5. Controversiae de *competentia* dirimuntur a speciali coetu Cardinalium quos S. Pontifex singulis vicibus designaverit.

II. — *De Sacris Congregationibus.*

A. — De SS. Congregationibus in communi.

3П. — 1. *Constitutio.* SS. Congregationes constituuntur essentialiter Em. *Cardinalibus,* quorum unus praeest qua *Praefectus.* Paucis tamen praeest S. Pontifex; quo casu habetur *Cardinalis Secretarius* ad dirigendam Congregationem. Ad S. Congregationem pertinent deinde *Secretarius* et *Sub Secretarii* (unus vel phires) tamquam *Officiales maiores ; Consultores,* et *Officiales minores.*

Pleraeque Congregationes habent provinciam definitam *materia·, territorialis* tamen sed generalior assignatur SS. CC. *Propagandae Fidei* et *pro Ecclesia Orientali.*

2. *Competentia :*

a) In provincia sibi concredita, CC. faciunt *decreta generalia* et *instructiones,* quae, quamvis supremum exer-

citium potestatis legiferae non contineant, obligant tamen per modum legis illos ad quos diriguntur (1). Haec, tamquam graviora, approbanda sunt a S. Pontifice;

b) Authenticas dant *interpretationes* in materia sibi subiecta, sive per decreta generalia, sive per rescripta, sive per sententias in causis via administrativa solutis.

Haec, in rebus definitis, obligant personas pro quibus data sunt (c. 17, § 3) ; prudenter applicata, praebent omnibus securam agendi normam ; vim tamen legis per se non habent (c. 17, § 3), nisi qua generalia promulgentur. Cf. dicta n. 286.

Quare *per se* alias personas vel alios casus non afficiunt, nec probabilitatem opinionis diversae tollunt. Ac sedulo observandum est utrum necne dependenter a quibusdam adiunctis data sint. Facile tamen, sive ex repetita declaratione, sive ex consensu peritorum qui, rem denuo perpendentes, datae interpretationi calculum adiecerunt, declarationes independentes ab adiunctis inducunt consuetudinem per conventiam quae obligat. Cf. dicta n. 289.

Sicut ibi diximus, insertio in *Commentarium officiale A. A. S.* efficit : *a)* ut de iis authentice constet ; *b)* ut iuridice promulgentur quando formaliter vel virtualité! sunt generalia. Per se itaque rescripta in leges non convertit. Sed cum omnis mentio eorum quibus rescriptum datum est omittitur, interpretatio authentica omnibus proponi ac proin imponi videtur. Minus definitiva videntur quae non inseruntur.

Decreta autem *doctrinalia* in materia fidei vel morum, quamvis *secundum se* non sint infallibilia, tantae tamen sunt auctoritatis ut. — servata semper distinctione responsi particularis et generalis, — ipsa virtute fidei vel virtute morali ad quam res spectet, obligemur non solum ad non contradicendum externe, sed etiam ad praestandum internum assensum qui sine temeritate negari non potest. Cf. Wernz, I, n. 143 nota 47; Lehmkuitl, I. n. 300 et 429.

(1) Competentia i«ta indirecte affirmatur a Benedicto XV in Motu Proprio 15 sept. 1917, η. II, ubi hortatur SS. Congr. ut *Instructiones* potiua condant quam nova *Decreta yeneralia* (A. A. S. IX, 183, vel *Periodica,* IX, 16).

c) *Dispensationes* et *gratias* in sibi subiecta materia, sive ex positiva Pontificis *approbatione* vel etiam *mandato* (ex audientia SS.), sive ex specialibus facultatibus sibi commissis, largiuntur ;

d) Causas via *disciplinari* et *administrativa* dirimunt. Hae via, formae indiciorum servandae non sunt, et positiva praecepta non raro iuridica solutione miscentur. Si S Officium excipias, quod iudicare pergit haeresim et delicta quae suspicionem haeresis inducunt, SS. Congregationes iam non sunt tribunalia; sed extraordinarie tantum, ex commissione S. Pontificis, causas iudicialiter cognoscunt. Decisiones istae circumspecte tantum ad alios casus sunt transferendae.

Patet demum mandato vel specifica S. Pontificis approbatione fieri posse ut decreta S. Congregationis fiant verae et proprie dictae leges universales.

B. — De singulis Congregationibus.

318. — 1. Congregatio S. Officii (c. 247), quae ante C. *Sapienti Consilio* 29 iun. 1908, plenius appellabatur *Sacrae Romanae et Universalis Inquisitionis,* est *Suprema;* praesidem habet S. Pontificem, tutatur doctrinam fidei et morum.

ludicat, sive in prima instantia, quando delicta directe, ut licet, ad eam deferuntur, sive in gradu appellationis a tribunali Ordinarii loci, causas criminales haeresis et delictorum quae suspicionem haeresis inducunt ; moderatur usum privilegii Paulini, et impedimenta vel dispensationes disparitatis cultus et mixtae religionis ; de censura ot prohibitione librorum (loco suppressae S. C. Indicis) decernit ; et sola competens est circa ieiunium eucharisticum pro sacerdotibus celebrantibus (c. 249). Pro sua competentia, habet, praeter consultores, *qualificatores* (propositionum), et sectionem do censura librorum.

319. — 2. Congregatio Consistorialis (c. 218) praesidem habet S. Pontificem. Parat agenda in Consistoriis, et, extra loca S. C. Propagandae Fidei subiecta, omnia regit quae

pertinent ad constitutionem, divisionem, conservationem et statum dioecesium, et regimen episcoporum vel quasi episcoporum (c. 248).

320. — 3. Congregatio de disciplina Sacramentorum (c. 2-19) curat leges de disciplina omnium sacramentorum.

Quare ad ipsam spectant causae de validitate matrimonii vel s. ordinationis quae tractantur non servato ordine iudiciario ; dispensationes matrimoniales et dispensationes in qualitatibus ordinandorum vel Ordinantis. Nisi cognitionem ad S. Rotam remittere velit, exclusive cognoscit de non consummatione matrimonii et de causis dispensandi super rato. Dispensat in ieiunio eucharistico pro communione. S. Ollicio manent sua hira supra definita, v. g. quae spectant ad doctrinam et principia de sacramentis ; religiosi, si solam excipias dispensationem a ieiunio pro communione (1), omnia petere debent a S. C. de *Religiosis* ; et quae propius ad ritus pertinent reservantur S. Rituum Congregationi.

321. — 4. Congregatio Concilii (c. 250), quae, post C. *Sapienti,* sollemnius nomen *S. C. Cardinalium, S. C. Concilii Tridenlini Interpretum* amisit, universae disciplinae cleri saecularis populique Christiani praeficitur.

Omnia proinde, excepto ieiunio eucharistico, curat quae spectant ad praecepta Ecclesiae, missarum stipendia et obligationes, legata pia, occupationem bonorum ecclesiasticorum, beneficia, officia atque etiam sodalicia, exclusis Tertiis Ordinibus.

Salvo iure Congregationis *de Religiosis* et *Caerimonialis,* solvit controversias de praecedentia, quaestiones de immunitate ecclesiastica. Ad compositionem admittit illos qui occuparunt bona ecclesiastica, etiam religiosorum. Extra loca obnoxia S. C. de Propaganda Fide, ei tribuuntur omnia quae ad Conciliorum celebrationem et recognitionem atque ad episcoporum coetus seu conferentias referuntur.

322. — 5. Congregatio negotiis religiosorum sodalium praeposita (c. 251) est Congregatio propria religiosorum :

(1) Haec ipsa causa adhuc eub indice est.

quo nomine huc veniunt ii quoque qui, quamvis sine votis, in communi tamen vitam agunt more religiosorum.

Quare ad eam privative spectant omnes quaestiones quae familiam religiosam aut sodales religiosos attingunt, etiam si cum non religiosis, v. g. episcopis, controvertuntur. Potest tamen tunc, praesertim ad instantiam partis, quaestionem ad aliam Congregationem remittere.

Ipsi reservantur dispensationes a iure communi pro religiosis. Quod, post responsa coetus peculiaris Cardinalium, 24 martii 1919 (1), valde ample intellegitur: v. g. de dispensationibus in observandis Missae ritibus, in impedimento ad suscipiendum Ordinem, quas non religiosi a S. Rituum et Sacramentorum Congregationibus impetrare deberent.

Ad eandem Congregationem exclusive periment quaestioneo quae Tertios Ordines saeculares spectant.

Intactum servatur ius S. C. *Concilii* in confraternitates seu pias uniones omnes (2), in compositiones pro bonis ecclesiasticis usurpatis ; ac ius Propagandae Fidei regendi religiosos quatenus sunt missionarii ; et plenius moderandi, etiam in Europa, societates ecclesiasticorum et seminaria quae exclusive fundata sunt aa instituendos misssionarios pro exteris missionibus.

Universitates Studiorum, etiamsi a religiosis administrentur, ad S. C. *de Seminariis et Studiis* pertinent.

S. Congregationi de Religiosis coniungitur specialis Commissio de approbandis novis Institutis.

323. — 6. Congregatio de Propaganda Fide (can. 252) operi dilatandi evangelium praeficitur : atque in regionibus ubi sacra hierarchia nondum est constituta, vel in statu adhuc inchoato versatur, possidet satis universalem iurisdictionem, quae ad ipsos religiosos, tum singulos tum simul sumptos, quatenus sunt missionarii, extenditur (3).

Extra regiones missionum non est competens, si tamen excipias plenam suam potestatem in Societates Missionariorum et

(1) A. A. S. XI, 251 vel *Periodica* X, 98.

(2) Cf. *Periodica,* V, 89.

(3) Immo iam nonnullae religiones missionariorum, v. g. *Cono. Cordi* Immaculati P. M. V.* (Scheutonsis), *Mi&sionariae Franciscanae Afariac* obtinuerunt ut etiam qua religiosi S. C. P. F. essent obnoxiae.

[320-323.]

Seminaria. Ac de fide, de causis matrimonialibus et de ritibus moderandis aut interpretandis, ad competentes Congregationes referre debet.

324. — 7. Congregatio Sacrorum Rituum (c. 253) curat, quae ad sacros ritus Ecclesiae latinae proxime spectant ; atque omnia agit quae ad beatificationem et canonizationem Servorum Dei vel ad sacras reliquias quoquo modo referuntur.

Habet Praelatos Officiales et distinctos Consultores pro causis Beatifîcationis et Canonizationis et pro S. Liturgi a.

325. — 8. Congregatio Caerimonialis (c. 254) caerimonias moderatur in sacello aulaque Pontificia servandas, sacras functiones Patrum Cardinalium, quaestiones de praecedentia Cardinalium et Legatorum apud S. Sedem.

326. — 9. Congregatio pro negotiis ecclesiasticis extraordinariis (c. 255) tractat de dioecesium statu et regimine, quotiens cum civilibus guberniis agendum est, atque in ea negotia incumbit quae eidem a S. Pontifice per Card. Secretarium Status proponuntur. « praesertim ex illis quae cura legatis civilibus coniunctum aliquid habent et ad pacta conventa cum variis Nationibus referuntur ».

Huic Congregationi, sicut Congregationi Caerimoniali, nullus Praefectus assignatur.

327. — 10. Congregatio de Seminariis et Universitatibus Studiorum (c. 256) vigilantem iurisdictionem exercet in Seminaria, incolumi iure C. de Propaganda Fide supra definito, et in Universitates vel Facultates quae a S. Sede dependent etiamsi a religiosa familia dirigantur.

328. — 11. Congregatio pro Ecclesia Orientali (c. 257) praesidem habet S. Pontificem ; curat negotia Ecclesiae orientalis pro qua alias Congregationes supplet, excepto S. Officio, et dirimit quoque quaestiones mixtas seu quae latinos simul et orientales attingunt.

329. — 12. Habetur praeterea, in (îodice non nonrnata Congregatio Reverendae Fabricae S. Petri quae, praeter Basilicae curam, facultatem reducendi onera missarum et legatorum piorum cum S. Congregatione *Concilii* communem habet. IIoc excepto casu, SS. Congregationes hodie nullam cuinulativam potestatem habere vel exercere solent.

III. — *De Tribunalibus.*

330. — Tribunalia Curiae Romanae tria numerantur. *$. Paenitentiaria, S. Romana Rota, Supremum Tribunal Signaturae Apostolicae.* Manent tamen S. Officio et Cong. SS. Rituum sua iura in causas sibi proprias. Itaque :

331. — 1. S. Pacnitentiaria (c. 258), cui Cardinalis Paenitentarius Maior praeficitur, pro solo foro *interno,* etiam tamen non sacramentali, gratias, dispensationes, sanationes, condonationes concedit, ac praeterea quaestiones conscientiae excutit et dirimit.

Quare *omnes* ad eam scribere possunt et responsum de suis rebus fori interni vel de casibus conscientiae obtinere. Litterae inscribuntur « Ad S. Paenitentiariam ‹ vel « Ad Cardinalem Paenitentiarium », — *Palazzo dei S. Uffizio.* —Persona cuius interest, cum res secretae esse soleant, nomine Titii vel Titiae designatur. Subscribens litteras, domicilium indicat quo responsio mittenda sit et sigillum postale litteris suis inserit. Responsa gratis dantur. Litterae latine, italice, gallice scribi possunt. (Rescripta SS. CC. generatim in ipso SS. CC. oflicio deponuntur, atque ab *Agente* vel ab eo qui preces porrexit subinde quaeruntur).

Praeterea, indicat de concessione *indulgentiarum* et dubia de indulgentiis solvit. Spectat tamen ad & *Officium* dogmatica puncta de indulgentiis explicare et de novis orationibus vel devotionibus sententiam ferre. Quare, pro sectione de indulgentiis, consultores S. Paenitentiariae adiunguntur

332. 2. S. Romana Rota (c. 259 ; cf. cc. 1598-1601) est ordinarium tribunal appellationis.

In foro externo, indicat in secunda instantia omnes causas per appellationem ad S. Sedem legitime devolutas ; in ultima instantia, causas a S. Rota vel ab aliis tribunalibus in secunda vel ulteriore instantia cognitas sed quae in rem indicatam nondum transierunt, et in prima instantia causas sibi a R. Pontifice commissas : quo casu easdem, ope tumorum trium auditorum qui sibi invicem succedunt, in secunda et tertia ipsa dirimit. Rotae adiunguntur advocati rotales.

333. — 3. Supremum Signaturae Apostolicae Tribu*nal* (c. 259 ; cf. cc. 1602-1605) constat non nullis S. R. E. Cardinalibus, quorum unus Praefecti munere fungitur. Praeter speciales quasdam causas, indicat, qua *curia cassationis,* de querela nullitatis contra sententiam rotalem.

Hoc proprium habet, ut rationes sententiarum suarum addere quidem possit, sed non cogatur. Tribunali huic, post chirographum 28 iun. 1915, accessere, loco Consultorum, septem *Praelati Votantes* de Signatura, et *Praelati Referendarii.* Cf. A. A. S, VII, 310-325.

IV. — *De Officiis Curiae Romanae.*

Habetur :

334. — 1. Cancellaria Apostolica (c. 260), quae expedit bullas pro provisione beneficiorum et officiorum consistorialium (i. e. quae in consistorio conferuntur, quales sunt episcopatus extra loca missionum) et pro maioribus Ecclesiae negotiis. Ei praeest Cardinarius Cancellarius S. R. Ecclesiae.

2. Dataria Apostolica (c. 261) versatur in collatione beneficiorum non consistorialium quae S. Pontifici reservantur ; curat quoque annexa onera. Eidem praeest Cardinaliis Datarius S. R. Ecclesiae.

3. Camera Apostolica (c. 262) curat et administrat bona ac iura temporalia S. Sedis, praesertim Sede vacante. Ei praeest S. R. Ecclesiae Camerarius.

4. Secretaria Status (c. 263) tribus partibus constat :

a) Prima, de negotiis extraordinariis :

b) Altera, de negotiis ordinariis ;

c) Tertia, quam dirigit Cancellarius Brevium Apostolicorum, de expeditione Brevium.

Secretarium istam moderatur Cardinalis Secretaries Status.

5. Secretariae Brevium ad Principes et Epistolarum latinarunt (c. 264) latine scribunt acta a S. Pontifice iisdem commissa.

Articulus III. — De lege civili.

335. — I. Auctor. Legis civilis *auctor* fere ubique iam non est una persona, sed consensus plurium, qui non raro componitur suffragiis *Parlamenti,* i. e. plerumque, coetus magis popularis *(Camera),* cuius auctoritas praevalere solet, et collegii magis selecti, seu *Senatus* ; et *sanctione regis* seu *praesidis* rei publicae.

Praeterea nomine *decreti* regis vel praesidis *(décret, arrête)* venit forma ista secundaria legis humanae de qua supra diximus, n. 264.

II. Promulgatio. Civiles leges *promulgari* consueverunt insertione in Commentarium quoddam officiale *(Raccolta ufliciale, Journal officiel, Moniteur)',* et per paucos dies *vacare* solent, nisi immediatus vigor statuatur.

III. Sublectum: Quid de clericis. Quod ad logis *subiectum* « ex communi et certa sententia, *clerici* aliaeque personae ecclesiasticae exemptae omnino obligantur ad eas leges civiles observandas quae ob publicam utilitatem rei publicae in materia clericis et laicis communi latae sunt atque sacris canonibus et statui clericali eiusque dignitati et officiis non adversantur» (1). Fons obligationis est ipsa lex *eiriiis,* qua solus S. Pontifex iure divino exemptus est; ceteri autem lege canonica, quod ad solam partem coactivam, exempti sunt. Ac per se, cum persona non fiat tota sacra, sed vere maneat civis, nihil obstat quin clerici civilibus legibus te-

(1) Webnz, **I, n. 10S.**

neantur. Mens porro Ecclesiae est ut clerici iustis legibus civilibus quae eorum statui non ropugnant obtemperent. (Sunt qui obligationem clericorum ex lege divina-naturali vel ex lege canonica repetant. Legislatori canonico universali non deest quidem potestas clericos obligandi propter bonum commune ; sed talis lex adesse non demonstratur).

Quod ad ipsam *vim coactivam,* Ecclesia assignat quidem suis clericis forum privilegiatnm ; et, prout adiuncta id sinunt, immunitatem a foro laico prudenter tuetur, ut hierarchiac ecclesiae conciliet et servet maiorem auctoritatem quae ipsi rei publicae utilis est. Quia tamen hodie privilegia magis odiosa esse solent et, in societate ubi omnia fundantur aequalitate, ex parte, minus necessaria apparent, ipsa Ecclesia, in concordatis, foro privilégiât© pro causis civilibus, et etiam pro criminalibus clericorum qui non sunt episcopi interdum renuntiat; posse contrario usu plus quam saeculari eidem foro derogari, declaravit Secretaria Status anno 1911, pro Germania, Belgio, Hollandia (1); S. Sedes monet episcopos ut licentiam citandi clericos coram foro civili vel illos indicandi numquam denegent ; de violata saepe illa fori immunitate tacet, et fere hoc obtinere conatur ut sine S. Sedis venia episcopus coram indice laico non trahatur. Oportet itaque ut egregia honestate et simplici cura oboediendi legibus, clerici lites civiles, maxime poenales, vitent. *Citati* rogabunt Ordinarium suum quid facere debeant ; a magistratibus qui clericum reum delicti indicandum habeant, *consultati,* suadebunt ut licentia se muniant ; non interrogati, bonam fidem generatim non turbabunt.

Ipsi autem clerici alios clericos, maxime Superiores, coram indice laico non convenient, nisi debitam facultatem obtinuerint.

IV. Usus in foro ecclesiastico. *Legis civilis usus* in foro canonico olim admittebatur generaliter, quando propria dispositio canonica desiderabatur; atque ipsa lex civilis lege canonica pari modo supplebatur. Uniusmodi civilis

(1) Cf. *Periodica,* VI. 190.

lex dicebatur *canonizato* (Cf. c. 1. De novi operis nuntiatione, V, 32). Verum hodie nulla generalis dispositio iuris allegari potest quae sinat ut, silente hire canonico, legem civilem ad materiam canonicam applicemus. Immo talis dispositio parum sperari potest, cum perfectio canonicarum legum civilia supplementa minus postulet, et lex civilis ius canonicum imitari non iam dignetur. Quare, cum Wernz, I, n. 195, R. P. Maroto, op. c. n. 384, negamus admitti posse contrariam sententiam D'Annibale, I, n. 201, cui tamen in argumentatione sua adhaesit S. Rota, in causa Biturgensi, Locationis, n· 22 (1). Et potius obstat c. 20, qui, deliciente lege canonica, ad ius civile nequaquam remittit. Verum, in quibusdam rebus ipse Codex applicationem iuris civilis vigentis in regione imperavit. Ita, pro tempore urgendi contractuum obligationes, c. 33, § 2 ; pro matrimoniali impedimento adoptionis, cc. 1059.1080; pro praescriptione, c. 1508 (sed temperate, cf. cc. sequentes) ; et pro contractibus in universum, c. 1529.

V. De obligatione iuris civilis iam supra, n.253, actum est.

VI. Indoles et hodierna propensio. De *indole* et *hodierna* civilium legum *propensione* haec observanda sunt. Diu, praesertim post perturbationem gallicam, civiles leges ita libertati singulorum, tum in agendo tum in contrahendo, considere studebant, ut sociales rationes infra publicae potestatis regimen neglegerent et fere ignorarent. Et quia « individualis libertas » per vincula socialia minuitur, ideo societatibus *personarum (associazioni di persone)* potius infensae erant. Respectus ille « individualisticus « ipsi iuri romano iam obiciebatur. Nimis autem absoluta ratio qua liber iuris usus singulis, etiam fortioribus et potentioribus, permittebatur, oppressionem humilium et varios excessus generavit quae favorem conciliarunt opposito errori Socialisms, qui huc immediate tendit ut communis plurium rerum possessio et administratio in locum privatae possessionis et conatus singularis substituatur. Sociales autem curae legum quae, ante bellum prudenter et caute societatem ad nova

(1) a. a. **s. IX, M9.**

iidiuncta aptare conabantur, post bellica fata, iam praecipites trahuntur ad inducendum novum ordinem ubi, propter allegatas generaliores utilitates, liber usus, libera dispositio bonorum et iurium privatorum intra arctiores tines contineantur, et simul collegiales consociationes singulos eiusdem classis cives etiam imperiose regere incipiant.

Quousque publica potestas iura privatorum limitare legitime possit, saepe difficile et periculose definitur. Non ideo tamen rem ignorare et actione abstinere nobis fas est. Sed allaborandum est, ut optimus quisque pro virili parte, et communi progressui favere, et ipsam Societatem a funestis erroribus praeservare conetur.

SUMMARIUM.

336. — Obligatio legis humanae. Auctoritate per Legem divinam communicata, lex humana *vere est* principalis *causa* obligationis moralis.

II. Quia ipsum bonum commune actus postulat *omnium virtutum,* lex istos *actus* facere potest necessarios, ita ut violata loge contra istas virtutes peccetur.

III. *Gravitas* materiae aestimanda est sive ex relatione ad bonum commune quod est tutandum, sive ex relatione ad ordinem legis naturalis qui mediate violetur. Ideo consideranda sunt praecepti obiectum et proportio medii ad istud obiectum.

Materia in se levissima *ex fine* potest fieri gravis : quare idem erit leve in societate civili, gravo in societate ecclesiastica. Legislator potest gravi praecepto vel votito periculum avertero pluralitatis actuum qui singuli non multum referrent ad bonum commune. In dubio do materia, indicio legislatoris deferendum est.

Pro fine suo, legislator ecclesiasticus praesumitur sub gravi materiam gravem urgere : quam voluntatem tum verbis tum poenis, ipse manifestat, et nobis tradunt quoque probati auctores. Varia tamen statuta seu constitutiones associationum et religionum non sunt nisi leges *poenales.*

Legislatori civili non deost potestas directe ligandi conscientiam. Id tamen, ut pluros volunt, non censetur hodie fecisse, nisi quantum ad bonum commune sit nocesse, quamvis nunc animi in conscientiae obligationem asserendam magis propendeant. Hinc,

gravitas compensationis poenalis indicium esse potest legis mere *poenalis.* Non raro tamen accedet obligatio legis naturalis. Atque iterum plurimi facienda est auctoritas doctorum.

Gravis tamen foret semper violatio legis ex *contemptu formali* logis vel auctoritatis. Atque omnibus inculcanda est observatio legis, qualis a probis viris exercetur.

IV. Ea sola praecipi possunt quae conducunt ad bonum commune et perlinent ad comunicationem socialem. Tales non sunt *actus interni,* bene vero actus occulti et actus varia ratione mixti.

V. Applicatio regulae de *« non rctroactivitate* *, sic intellegenda est:

1. Reo applicatur poena initior.

2. Actus validi manent si impletae sunt condiciones requisitae cum actus est positus, nisi forte facile iterari possit.

3. *Eflectus* ante legem novam producti, semper subsistunt ; sed futura efficacia actus validi vel condicionis iuridieae aestimanda est secundum novam legem.

4. Effectus pactionum ex lege sub qua factae sunt computari debent.

5. Denique novus ordo processualis etiam ad causas antiquas applicatur, quia melior censetur praecedenti.

Populi auctoritas. I. Populus, qua talis, non est, in constituta societate perfecta, legislator. Quae igitur potest in legem, ex prudenter demonstrata legislatoris voluntate repetenda sunt. Iam vero :

1. Per *epikeiam,* lex pro suspensa haberi potest, donec obtineatur responsum ad difficultates legitime propositas, v. g. per episcopos S. Sedi. Idem dic, durante appellatione ad Superiorem.

2. Leges *moribus firmantur,* quatenus generalis inobservantia, nisi legislator expresso contradicat, omnes ab observanda lego dispensat.

3. Prudenter quoque mandatum Ordinarii exspectari potest de observantia quarundam logum generalium quae usus dioecesanos mutent.

4. *Consuetiulo* est optima legum interpres.

II. *Consuetudo,* quae, ut est *res facti,* frequens dicitur modus agendi et inde exorta inclinatio ad similiter agendum, ut *res iuris* definitur : *ius diuturnis populi moribus introductum.* Et sic differt a praescriptione, quae ius parit subiectivum, non autem normam iuris. Omne *ius* consuetudinis supponit *consensum quendam legislatoris,* saltem generaliter datum, in consuetudines ra-

tionabiles, sive praeter, sive contra logent (ce. 27. 28); *populum,* sou communitatem pro qua lox fieri possit ; *mores* populi, seu actus frequentes, uniformes, publicos, deliberatos, pariontos inclinationem ; *tempus* diuturnum, quod nunc est 40 annorum continuorum et completorum. Consuetudo *per coniventiam* breviore tempore praescribitur; dum *centenaria* et *immemorabilis* postulant vel contum annos vel ut origo memoriam effugerit. Populi mores debent esse *rationabiles,* ac proin non expresso reprobatos, praesertim ut corruptelam.

Divisio. Est consuetudo secundum legem, quao legem firmat et explicat ; praetor legem, quao ad legem addit ; contra legem, quae legi derogat : specialis consuetudo etiam legi universali derogaro potest. Est consuetudo generalis, immo generalissima, seu totius Ecclesiae, dum generalis est provinciae ; specialis, seu minoris communitatis. Ad specialem refertur stylus curiae. Est consuetudo ordinaria vel privilégiât» : centonaria et immemorabilis, «piae practice aequiperantur, nisi quod clausula revocans centonarias nondum revocat immorabiles consuetudines.

Consuetudo *cessat* ab intrinseco per contrariam consuetudinem aut legem contrariam. Lex particularis abrogat particidares consuetudines ; has lex universalis subsistere sinit, nisi expresse aliud dicat, per clausulam derogatoriam.

Formae secundariae legum sunt instructio, quae magis explicat legem et quaedam non raro simul definit, et decreta regia vel praesidis rei publicae. Id utriusque genus est commune. Cum sint accessoria, nec logi praevalent nec abrogatae legi supersunt.

Sed per decreta generalia Congregationum verae logos pontificiae interdum fiunt.

De lege ecclesiastica. I. *Nomina.* Nec specialis sollemnitas nec forma scripta legislatori ecclesiastico servanda praestituitur. Pro varia forma distinguuntur : *Constitutio Apostolica* seu lex sollemnior contenta in *Bulla,* quae inscribitur : Pius Servus servorum Dei ; *Breve,* quod datur sub anulo Piscatoris ; *Bncyclicae litterae,* quae ad quandam universitatem personarum diriguntur ; verba Jfotu *Proprio,* quao spontaneam originem demonstrant. *Decreta* sunt tum Conciliorum tum Congregationum Romanarum. Per *rescripta* satisfit alienae petitioni. *Viva voce* eduntur leges in allocutione consistorial). Si Codice quodam continentur, singulae leges vocantur *canones. Statuta* designant leges factas auctoritate non Pontificia, vel etiam ordinationes interni regiminis collegii vel personae moralis, quale est capitulum, confraternités.

II. *Promulgatio* a S. Sede nunc fit regulariter insertione in *Acta Aposlolicae Sedis* ; nulla specialia praescribitur forma episcopis, qui non raro leges pronuntiant in synodo.

III. *Vacatio.* Leges disciplinares, minime vero leges de fide aut moribus vel declarativae iuris divini, regulariter tribus mensibus vacant a die inscripto fasciculo *Acta Apostolicae Sedis* quo promulgantur.

IV. *Extensio* legis universalis est ad omnes fideles. Orientales tamen regulariter eximuntur legibus disciplinaribus pontificiis. Leges particulares praesumuntur territoriales, et subditos regulariter non obligant extra territorium cui datae sunt.

V. *Vis* legum. Lex non praesumitur irritans ; ignorantia poenam non autem effectum irritationis impedit. In *dubio* iuris, etiam lex irritans non urget; et in dubio facti, ab Ordinario dispensari potest, si ipso Pontifex in ea lege dispensare consueverit.

VI. *Diuturnitas.* Leges per se permanent donec revocentur. Lex autem generalis per se non derogat speciali locorum vel personarum logi. Codox tamen oppositas sibi leges etiam particulares sustulit, sicut et consuetudines non centonarias vel immemorabiles.

VII. *Auctor Legis.* 1. Hierarchia ecclesiastica seu series personarum quao vario gradu potestatem sive ordinis sive iurisdictionis sive utramque participant, est divinae originis, in se, non tamon in singulis personis a quibus participatur. Est divinae originis in S. Pontifice et gonerico in episcopis.

2. Primum gradum occupat S. *Pontifex,* qui, ad suam universalem iurisdictionom exercendam, utitur SS. Congregationi bus, Tribunalibus ct Officiis Curiae Romanae ; ot variis Delegatis. Ipso quoquo constituit abbates vol praelatos *nullius* ot praelatos religionum clericalium. Inadaoquate distinctum subiectum est *Concilium occumenicuin.* Altor gradus est *episcoporum residentialium* (titulares, qua tales, nullam habent iurisdictionom), cum potestate ordinaria perfecta. In eorum curia occurrunt *Vicarius generalis,* qui etiam est Ordinarius loci, *cancellarius,* ot *officialis iustitiae.* Episcopus iuvatur a capitulo ecclesiae cathodralis, vel, ubi capitulum desideratur, coetu consultorum. Distriotibus in quos dividitur dioecesis praeficitur *decanus* vel *vicarius foraneus* cum aliquo munere inspectionis. In synodo dioocosana, quae in singula decennia est convocanda, solus episcopus est legislator.

Vacanto sedo, ordinaria episcopi iurisdictio transit in *capitulum cathédrale,* quod eam, intra octo dies, totam in *vicarium capitularcm* transfundere dobet.

Plures dioeceses constituunt provinciam ecclesiasticam, cui praeeat, cum limitata iurisdictione, *Archiepiscopus* seu Motropolita, iudex appellationis, dum alii episcopi co-provinci alos vocantur suffraganei. Ipse Metropoli ta debet semel pro semper, probante S. Sede, eligere, inter suffraganeos, indicem appellationis a suo tribunali. *Concilium provinciale* vigesimo quoque anno celebrandum, constituitur potissimum episcopis provinciae et archiepiscopis vel episcopis independent! bus, qui semel pro semper sibi eligere debent concilium provinciale cui assistant. *Patriarchae,* qui mere honorifici sunt in Occidente, in Oriente sunt supremi pastores alicuius ritus.

Concilium plenarium plurium provinciarum non congregatur sine licentia S. Sedis. Decreta tum concilii provincialis tum plenarii non possunt promulgari nisi postquam sunt a S. C. *Concilii* probata.

3. *Legislatores* in Ecclesia sunt Romanus Pontifex, sive solus sive in Concilio ; sive per se, sive per Congregationes Romanas. Intra ambitum concessae potestatis, sunt Congregationes Romanae et Legati Pontificii. Dein sunt Concilium plenarium et provinciale ; Episcopi et Praelati similis iurisdictionis ; sedo vacante, capitulum cathédrale et dein Vicarius capitularis ; Capitulum generale Ordinum religionum clericalium exemptarum ; interdum capitula provincialia ; raro ipse Praepositus Generalis.

Episcopi, suis legibus leges universales magis determinant et ad dioecesim applicant.

VIII. *Sublectum legis.* Leges universales Ecclesiae obligant per se omnes baptizato» qui habitualiter sunt sui compotes, etiam haereticos et schismaticos, salva quadam exceptione pro matrimonio. Quod ad leges tamen quae sanctificationem personarum directe respiciunt, non nulli eximunt acatholicos qui ipsa nativitate ad sectas constitutas pertinent ; ac certo possunt in sua bona fide relinqui. Dubie baptizati, in foro externo, si probabile fuerit baptisma, legibus subduntur ; in foro interno, applicari potest principium: nemo lego incerta tenetur. Legibus mere ecclesiasticis non tonentur habitualiter amentes, ncc qui propter aetatem sufficienti rationis usu non pollent vel non sunt septennio maiores, excepto praecepto annuae confessionis et paschalis communionis, exceptis quoque delictis. Poenae tamen latae sententiae non incurruntur ab impuberibus ; ac loge ieiunii eximuntur fideles infra 21 annos completos et post 60 inceptos. Leges particulares territorii obligant incolas, i. e. qui ibi habent domicilium; advenas, i. e. qui ibi habent quasi domicilium ; et vagos. Immunes per se

sunt peregrini, i. e. qui versantur extra domicilium vel quasi-domicilium suum.

Domicilium seu stabilis sedes, est vel necessarium, quod lex assignat uxori, amenti, minori 21 annis, vel voluntarium, quod acquiritur commoratione in aliquo loco cum intentione perpetuae mansionis, si nihil avocet ; vel commoratione protracta per decem continuos annos. *Quasi-domicilium* comparatur commoratione coniuncta cum animo ibi manendi per maiorem anni partem vel, re vera, ultra sex menses protracta. Utrumque potest vel in dioecesi vel in paroecia haberi; et, si voluntarium fuerit, amittitur discessione a loco cum animo non revertendi.

Incolae et advenae tenentur in territorio legibus particularibus loci ; immo etiam absentes, si leges personales sunt vel si earum violatio in proprio territorio noceat. Peregrini tenentur legibus universalibus in locis ubi vigent ; extra territorium suum non tenentur per se nec propriis legibus territorii sui nec propriis territorii ubi sunt « exceptis legibus quae ordini publico consulunt vel actuum sollemnia determinant ».

Sunt quoquo *loca exempta.* Domus religionis exemptae non est exempta plene sed tantum ratione religiosorum.

IX. *Interpretatio* legis *authentica* fit per legem, sententiam aut rescriptum. Insertio in *Acta Apostolicae Sedis* probat authentiam, non autem vim legis universalis rescriptorum quae ad definitas personas vel regiones inscribuntur directae. Declaratio extra A. A. S. iuridice ignoratur. Rescripta emanant a variis Congregationibus ; authentica tamen Codicis canonici interpretatio reservatur speciali Commissioni Pontificiae. Authentica per modum logis debet promulgari, si lex fuerit dubia.

X. *Supputatio temporis,* salvis legibus liturgicis. 1. Hora 60 minutis constans, aestimanda est per se ex communi loci usu, facta tamen, pro variis obligationibus, optione temporis veri, medii, legalis aut extraordinarii. 2. Dies constat 24 horis a inedia nocte computandis. 3. Hebdomada indicat, nisi lex statuat hebdomadam sumendam esso ut in calendario, septem etiam non continua intervalla 24 horarum continuarum. 4. Mensis et annus, si non sumuntur ut in calendario, designant respective 30 et 365 dies. Proprio nomino formaliter vol aequivalenter designati, vel quando tempus continuum assignatur, sumuntur ut in calendario. 5. Si terminus *a quo* nec explicite nec implicite assignatur, tempus supputatur do momento ad momentum. Si tempus « *quo* assignatur, excluso casu speciali actuum qui. ut vota, electio, statis temporibus renovantur: vel coincidit cum initio diei, et tunc compu-

tatur primus dies, ita ut coopto ultimo die eiusdem numori tempus finiatur ; vol non coincidit cum initio dioi, ot tunc primus dies non computatur, ita ut tompus finiatur tantum expleto ultimo dio eiusdem numori. Ultimus autem dies monsis brevioris, v. g. 28 februarii, habetur pro dio eiusdem numori ac dios finales monsis qui plures habet. Si tempus est mense brevius, dios eiusdem numori illo ost quo iteratur numerus ipso spatio indicatus : dios octavus in octiduo. 6. Si actus post stata intervalla recurrunt, tempus finitur oodom recurrente die quo incepit, neglecta horae consideratione. Quod ad contractuum obligationes, valent per se regulae civiles.

Tempus *continuum* interruptionem non patitur ; *utile* non currit ignoranti vel impedito.

XI. *Privilegia,* ut in foro externo operentur, rite probanda sunt. Per se, censentur perpetua ; cum clausula « ad beneplacitum nostrum », vel simili, exstinguuntur resoluto iure concedentis. Facultates habituales (etiam pro certo numero casuum) privilegiis praeter ius accensentur, et transeunt ad Ordinarios successores. Personalia cum persona, realia et localia cum re ot loco transeunt ; reviviscunt localia, si locus intra quinquaginta annos restituatur.

XII. *Dispensationes.* I. *Auctor.* 1. S. Pontifex in omni logo ecclesiastica dispensat, in nulla voro lege divina ; vinculum tamen lege suppositum, ob iustam causam relaxaro potest. 2. Ordinarii a logo pontificia non dispensant nisi dispensatio ipsis expresso ooncedatur, vel nisi difficilis sit recursus ad S. Sedem, periculum sit in mora, ot dispensatio a S. Pontifice concedi consueverit. Expressa facultas datur Ordinariis locorum in dubio facti, in temporibus sacris, in votis non reservatis ot iuramontis, in interstitiis, in bannis, in impedimentis matrimonii, in irregularitatibus ox delicto, in poenis, in libris prohibitis, in examine parochorum. Facultates quoque peculiares obtinent a S. Pacnitontiaria, a Propaganda Fide vol a S. C. Concilii aut de Sacramentis. Dispensaro possunt in legibus quibus additur: nisi dispensetur; in legibus Concilii plenarii aut provincialis; in statutis synodalibus. 3. Superiores maiores religionum clericalium exemptarum veniunt nomino Ordinariorum, et, qua talos, memoratas facultates participant, exceptis bannis, impedimentis matrimonii, examino parochi, beneficio clausulae anisi dispensetur», decretis concilii plenarii vel provincialis et statutis synodalibus. Ipsi habent praeterea speciales facultates. 4. Parochi, in temporibus sacris ot impedimentis matrimonii dispensant. 5. Superiores religionis clo-

rioalis exemptae, in temporibus sacris. 6. Confessarii in condicionibus indulgentiarum. In casibus urgentioribus, poenas suspendero, censuras reservatas absolvere possunt; atque etiam in impedimenta matrimonii habent quandam potestatem. Sua sunt privilegia confessariis regularibus. 7. Sacerdos assistens matrimonio, in impedimentis matrimonii ob casum urgentiorem dispensat.

Potestas ad singulos casus data permittit specialem concessionem et non ultra quam postulat praesens necessitas.

II. *Subiectum* dispensationis sunt subditi ubique, et vagi in territorio ubi versantur. Sunt quoquo peregrini, cum agitur de temporibus sacris, do votis et iuramontis, de casibus urgentioribus pro matrimonio ot censuris. Paonitentes ii sunt quorum confessiones audiri possunt. Secum dispensare potest inferior cui generalis facultas est facta dispensandi, non autem per se confessarius. Annuente Superiore, possunt Regulares ab Ordinario loci dispensari, saltem in casibus in quibus proprius Ordinarius caret facultate.

III. *impetratio dispensationis* pro alio valida est ; ot tenet in dubio de sufficienti causa.

IV. *Usus* dispensationis personalis est per se ubique permissus. Nec cessat dispensatio si causa motiva ex parte subsistat, vel si dubia fuerit sublatio causae.

De Rescriptis. 1. Rescriptum seu responsum scripto datum ad instantiam potentis, est iustitiae vel gratiae. Λ Pontifice vel ab Ordinario omnes, paucis exceptis excommunicatis, suspensis v<4 personaliter interdictis, pro se vel pro aliis rescripta obtinere possunt quae valent etiam ante acceptationem.

II. Valor subordinatur tantum particulis *si, dummodo* vel aequivalontibus, ot generali condicioni : si preces veritate nitantur. Haec clausula in momento vel datae gratiae sino exsecutione vel exsecutionis vera osse debet. Veritas unius causae motivae semper requiritur, etiam si rescriptum detur *Motu Proprio.* Excipe tamen dispensationes in impedimentis minoribus matrimonii. Valori non obstant· errores in personae, loci vel rei designatione.

III. Exsecutor debet osse ab auctoritate monitus de facultate sua ; exsecutionem negaro non potest si sola exsecutio ipsi concredita est ; secus si concessio eius arbitrio committitur. Scripto tacere debet exsecutionem in foro externo; errorem, in nova exsecutione corrigere potest ; nec per se prohibetur alium sibi substituero. Rescriptum cui vel nullus vel distinctus ab Ordinario exsecutor designatur, non debet per se praesentari Ordinario.

IV. *Cessant* vacatione sedis concedentis sola rescripta quae hanc clausulam habent vel, re integra, quae gratiam particularem personis in rescripto designatis faciendam continent.

V. Recursus ab uno ad alterum Superiorem, non manifestata priore repulsa, interdum est invalidus, interdum more illicitus.

De Curia Romana. *Curia Romana,* distincta ab aula Pontificia et a Vicariatu Urbis, constat SS. Congregationibus, Tribunalibus et Officiis.

His omnibus normae praestituuntur a S. Pontifice ; imponitur secretum plus vel minus rigorosum. Debent S. Pontifici significare quidquid grave vel extraordinarium est ; et, exceptis facultatibus specialibus, et sententiis tribunalium, gratias et resolutiones ei approbandas subicere. Controversias de competentia dirimunt speciales Cardinalium commissiones.

I. SS. *Congregationes* essentialiter constant Cardinalibus, quibus accedunt Secreturius et Subsecretarius (unus vel multiplex), Consultores et Officiales minores. Competentia definitur vel materia vel territorio.

In sua provincia dant decreta generalia et instructiones ; authenticas interpretationes ; dispensationes et gratias ; demum causas via disciplinari et administrativa dirimunt.

Numerantur hodie undecim Congregationes : S. Officii – Consistorialis – De disciplina Sacramentorum – Concilii – Negotiis religiosorum sodalium praeposita – De Propaganda Fide – Sacrorum Rituum – Caerimonialis – Pro negotiis ecclesiasticis extraordinariis – De Seminariis et Universitatibus – Pro Ecclesia Orientali.

Est etiam Congregatio Reverendae Fabricae S. Petri, in Codice non nominata, quae, cum C. Concilii, communem habet facultatem reducendi onera missarum et legatorum piorum.

II. *Tribunalia* tria sunt. 1. S. Poonitentiaria (ad quam omnes recurrero possunt) pro rebus fori interni ; 2. S. Rota : ordinarium tribunal appellationis. 3. Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal, quod est quasi Curia cassationis.

III. *Officia* sunt: 1. Cancellaria Apostolica, ad bullas expediendas. 2. Dataria ad beneficia non consistorialia conferenda. 3. Camera Apostolica, ad curanda et administranda bona ac iura temporalia S. Sedis, praesertim vacante Sede. 4. Secretaria Status, quae tres partes habet : de negotiis extraordinariis, de negotiis ordinariis, de expeditione brevium. 5. Secreturiao Brevium ad Principes et epistolarum latinarum, per quas Pontifex scribenda curat acta sua latina.

De lege civili. Leges civiles hodie fiunt plerumque consensu duplicis coetus « Parlamentaris » et sanctione Principis vel Praesidia reipublicae. Princeps vel Praeses facit quoque decreta, quae semper simul a ministro subsignanda sunt ut sit qui de iis respondeat.

Promulgari consueverunt leges civiles insertione in ephemeridem officialem, et per aliquot dies vacare.

Solus S. Pontifex divinitus est exemptus legibus civilibus. Ceteri clerici sola lege canonica et quod ad partem coactivam. Immo S. Sedes foro privilegiato pro causis civilibus et pro criminalibus clericorum episcopo inferiorum interdum per concordata renuntiat ; vel admittit consuetudines contrarias. Alibi tacet et fore hoc obtinere satagit ne sine S. Sedis auctoritate episcopus coram foro laico trahatur. Clerici conabuntur lites poenales devitare ; citati interrogabunt suos Superiores ; magistratibus rogantibus suadebunt ut debita licentia se muniant ; plurium bonam fidem non turbabunt. Ipsi voro alios clericos coram laicorum tribunali sino licentia non convenient.

Nulla lex generaliter canonizat hodie leges civiles; in quibusdam tamen rebus applicatio logis civilis in foro canonico est imperata.

Post nimium individualismuin saeculi xix, leges civiles prodpendent nunc in excessum oppositum quo libertas singulorum semper magis circumscribitur. Difficile definitur quousque singulorum libertas coerceri possit.

CONCLUSIO.

De Legibus comparatis

INTER SE ET CUM LIBERTATE HUMANA.

33Î. — I. Communis ratio omnis legis. Omnis vera lex est· *principium unitatis*. Per omnem enim legem, homines ad finem socialem seu communem harmonica ratione diriguntur. Qui finis, cum sit bonum immediate omnium sub communi qualitate sociorum, et mediate singulorum, — nam ipsa Societas tandem aliquando est propter personas physicas, — ieX quae homines ad istum finem efficaciter perducit, est ipsis etiam per se principium *perfectionis et felicitatis*. Valde errant itaque qui legem ut homini odiosam vel inimicam concipiunt aut exhibent.

II. De lege divina. 1. Sine tamen lege divina, nequit lex humana esse vere singulis principium beatitudinis. Qui enim rei publicae praesunt, propter bonum commune plura imperare coguntur quibus directe vel indirecte cives, sine ulla humani seu terrestris boni compensatione, bonis temporalibus et ipsa vita privantur. Sola lex divina, cum moralem valorem omnis bonae actionis pro merito remuneret, efficit ut in ordine superiore recuperemus quae in ordine inferiore amissa sunt, et sic magnifice reparetur divortium istud innaturale quo felicitas ab actione moraliter praestantiore divellatur.

2. Nulla est actio humana quin lege divina attingatur, cum in omni actione humana, servanda sit suprema ista lex qua omnis deliberatio nostra debet esse motus in finem seu Deum. Divina itaque lex est *extensione* sua *universalis*.

3. Quatenus est medium ad finem, hanc quoque habet excellentiam, ut ne minima quidem parte excidat suo *fine* primario qui est gloria Dei. Sive homines divinae legi obtemperent sive eidem resistant, Deo gloriam suam eripere nequeunt.

4. Ideo etiam lex divina, sine ullo definitivo ordinis detrimento, integram linquere potest homini libertatem psychologicam aliter agendi atque ipsa iubet. Nulla igitur amplior et purior *tolerantia mali* quam divina excogitari potest.

5. Quatenus autem intrinsecum hominum bonum consectatur, lex divina tam naturalis quam supernaturalis in oeconomia Novi Testamenti, congruit cum ingenito voluntatis humanae appetitu, quo exigit Deum ut finem naturalem, quo etiam cupit ipsum ut finem supernaturalem, in se possidendum, si modo divina munificentia essentialem defectum proportionis nostrae ad talem finem supplere dignetur.

Quare qui, divinae legi oboediendo, divinam facit voluntatem, simul perfectius propriam suam voluntatem adimplet, atque internam suam perficit unitatem : generali et inexsuperabili eius intentioni, eius particulares electiones respondent.

6. Eadem lex oeconomiae praesentis nos adiuvat ad

bene agendum, cum exterioribus stimulis veritatum quas docet, exemplorum Christi quae proponit imitanda, tum internis motionibus Spiritus Sancti a quo in cordibus nostris iugiter scribitur; et vel maxime quando accedimus ad sacramenta quae fontes sunt gratiarum. Et sic, dum homini facultatem et facilitatem exsecutionis procurat, ipsi fit principium inaestimabilis *moralis libertatis.*

III. De lege humana. In praesenti nostra condicione, lex humana deficit in *extensione* sua: cura ne omnes quidem exteriores hominum actiones afficere queat, nec proin omnia mala prohibeat. Inde deficit in *tolerantia* sua, cum invita cogatur ferre mala quae ad meliorem ordinem revocare nesciat. Deficit in *finalitate* sua, cum finem boni communis imperfecte tantum procuret. Deficit in *sanctione* sua, quae non est nisi poenarum, et quam multi sontes effugiunt. Deficit in *dispositione* sua, quae interdum prorsus fallitur, et non potest nisi rebus ut plerumque sunt aptari, ita ut necessario accidentales « fallentias » patiatur. Ad praecavendos damnosos excessus, debet lex humana physicae nostrae libertati limites imponere. Et cum propriae legis humanae ordinationes ipsis rerum essentiis non postulentur, minus etiam internis subditorum aspirationibus consonant. Denique, ut mere exterior, moralem hominis Ubertatem longe minus quam lex divina fovere et promovere potest.

Lege autem divina, lex humana mirifice *adiuvaiur,* cum ab ea mutuetur lumen ad dirigendum, efficaciam ad cogendum, suavitatem ad obtinendam ultroneam docilitatem.

IV. Oboedientia catholicorum. Cultores verae religionis reperiunt in ista divina lege motiva sublimioris, facilioris et plenioris docilitatis ad parendum etiam legibus civilibus. *Sublimioris,* oboediendo potestatibus tamquam Dei ministris (1) ; *fovilioris,* oboediendo sicut ministris in bonum (2) ; *plenioris,* oboediendo non ad oculum tantum sed ut servi Christi, faciendo voluntatem Dei ex animo (3) ; et sic animas suas « castificantes in oboedientia caritatis (4) ».

(1) Cf. Rom 13, 1. 6. - (2) Item 13, 4. — (3) Kphes. β, 6, — (4) 1 S. Petr. 1, 22.

Sed quod praetereundum minime est, haec perfectioris docilitatis motiva nullam elidunt rationem oboedientiae quae acatholicis vel incredulis praesto manere possit.

Si itaque probabiliter opinamur plures leges civiles non esse nisi poenales, ne inde catholicorum adversarii scandalizentur vel se scand lizatos fingant. Etenim etiam tunc manent nobis catholicis omnes rationes obtemperandi, quae solae honestos adversarios nostros ad oboediendum omni legi expresse suppetunt. Nobis itaque lex, etiam poenalis, munita et stipata est praesidiis quibus solis omnis lex ab adversariis nostris protegitur. Immo etiam talis lex nobis urgetur suprema lege omnis actionis nostrae, quam praedicandam habemus post Apostolum dicentem : « Omnia vestra in caritate fiant » (I. Cor. 16, 14).

SUMMARIUM.

I. *Omnis lex* est principium unitatis socialis, ac proin perfectionis et felicitatis, nedum sit homini odiosa ct inimica.

II. *Lex divina* sua sanctione remuncratoria tollit vel impedit divortium honestatis et felicitatis ; extensione sua est universalis ; fine suo primario, gloria Dei, numquam frustratur ; sine ordinis detrimento malum amplissima ratione tolerat ; ea praecipit quae congruunt cum ingenito nostro appetitu ; fovet ac promovet *moralem nostram libertatem.*

III. *Lex humana* imperfecta est, sive eius extensionem, sive oins fmalitatom, sive eius mali tolerantiam, sive cius dispositiones et sanctiones, sive subsidia quae morali libertati offert consideres. Ipsa debet psychologicam hominis libertatem restringere ; ac praecepta edit quae in naturali nostra appetitione minus continentur. Mirifice autem lege divina adiuvatur ut imperet prudenter, efficaciter et suaviter.

IV. *Catholici* reperiunt in vera religione motiva sublimioris, facilioris et plenioris docilitatis ad logos etiam civiles servandas. Logos quoque poenales muniuntur motivis parendi quae, pro incredulis, sola stipant omnem civium oboedientiam legibus praestandam. Immo observantia logis poenalis urgetur etiam suprema caritatis lego.

TRACTATUS IV.

DE CONSCIENTIA.

I. — *Introductio tractatu*.*

Utilitas. Tractatus maximi momenti de proxima regula actionum humanarum introducendus est paucis quibusdam notionibus, quae distinctam praeparant solutionem quaestionum non tam planarum ot simul valde practicarum quae in isto tractatu proponendae sunt.

338. — I. Quid sit conscientia. *Concientia* proprie dicta est scientia quam habemus plurium actuum nostrae vitae vel *sensibilis* vel *rationali**. Vitae enim vegetativae functiones directam nostram conscientiam latent. Describi itaque potest : *Cognitio seu attestatio jacti proprii interni.*

Atque haec est conscientia *psychologica* seu proprie dicta. Simul autem nos comitatur sententia de morali valore eorundem actuum nostrorum. I. e. ultro, secundum principia moralia, indicamus de actione nostra. Ilaec dicitur conscientia *moralis.* Sicut igitur psychologicam et moralem libertatem, sic psychologicam et moralem conscientiam distinguimus. De utraque conscientia agit S. Thomas, *De veritate,* q. 17 art. 1.

Porro indicium de actione nostra fit secundum *principia moralia.* Universalissima autem principia moralia : bonum esse faciendum, malum esse vitandum ; — praecepta esse implenda, promissa esse servanda ; — nobis facillime innotescunt propter habitum ingenitum quem, a voce graeca, scholastici appellant *syntcresiin.* Est itaque synteresis, *habitus naturalis primorum principiorum moralium*. Ac principia moralia vocamus, generalia dictamina de rebus agendis, in ordine ad finem actionis humanae.

Igitur ipsa *conscientia moralis* describitur : *ludicium morale de nostra particulari actione Jacienda vel jada, omittenda vel omissa, secundum principia moralia.*

33f>. — Conscientia est regula morum. Actus humani non simili modo quo remotam suam regulam in lege, sic regulam suam proximam in conscientia reperiunt. Lex est actus Superioris, conscientia est actus facultatis pertinentis ad subditum: lex ordinem constituit, conscientia ordinem constitutum novit ac proin praesupponit ; lex praecipit, conscientia praeceptum legis intimat. Conscientia est ergo *praeco,* quo mediante, leges actionum nostrarum nobis applicantur.

Conscientiam autem esse hoc modo proximam regulam actionum nostrarum humanarum, inde perspicitur, quod voluntas est appetitus rationalis, cuius obiectum non est res ut extra nos exsistit, sed ut in intellectu nostro est intentionaliter (seu in specie expressa) praesens.

340. — II. Quotuplex sit conscientia moralis.

1. Morale indicium de actione humana nostra actum nostrum *praecedit* et comitatur, vel actum nostrum *sequitur.* Hinc distinguitur conscientia *antecedens,* de actione vel omissione instante, et *consequens,* de actione vel omissione facta.

2. Pro varia conclusione sui iudicii, conscientia *antecedens* est obligans, consulens, permittens, vetans, prout praesentatum appetibile ab ipsa pronuntiatur necessarium, optandum, liberae optionis, vel repudiandum.

Consequens autem conscientia testificatur quid moraliter egerimus, et, pro morali actionis natura, eam approbat, laudat, excusat, damnat. Huc autem se naturaliter intromittit facultas appetitiva, per se contenta de bona actione, afflicta de mala, ita ut habeatur testimonium pacificans, quietans ; et remorsus per se poenalis.

3. Conscientia, sicut omne indicium, per se *recta* est, seu speculative vera, quatenus dictat quod verum est. Per accidens tamen *erronea* erit, idquo *vincibilitcr* vel *invincibiliter.* Quae autem invincibiliter errat dicitur tamen recta secundum quid, i. e. relate ad agentem.

4. Conscientia potest esse *certa* vel *dubia*. Certa indicat sine formidine oppositi. Dubia per se de actione non indicat, vel non aliud refert nisi actionem esse dubiae honestatis. Imperante autem voluntate (quae aliqua perspecta ratione boni, v. g. ipsius quietis a laboriosa indagatione movetur) dubium seu suspensio inter utramque partem, potest converti in indicium opinativum, hac saltem parte qua apparet quodpiam motivum decidendi. ludicium istud fit cum formidine oppositi. Cum autem ista inclinatio intellectus fiat ex imperio appetitivae facultatis, *non est plus veritatis in opinione quam in dubio proprie dicto.*

5. Cum conscientia proprie dicta respiciat actionem nostram qua talem, per se eius certitudo vel dubitatio est *practica.* Distinguitur tamen conscientia *speculative* et conscientia *practice* certa vel dubia. Prior est de qualitate actionis in se spectatae, altera de actione ut a me fiet in concreto.

Quaenam certitudo hic attendatur. Observes autem nos in praesenti nostra condicione contentos esse debere in rebus practices, in quibus principia ad facta contingentia sunt applicanda, certitudine minus stricta quam quae prop ia est scientiae speculativae. Certitudo haec dicitur *moralis,* quia, secundum communem hominum existimationem, ad agendum sulhciens est. « Cum dico conscientiam, ait S. Tiio m a s, non dico vel implico scientiam solummodo stricte acceptam, prout est tantum verorum, sed scientiam largo modo acceptam, pro quacumque notitia, secundum quod omne quod novimus, communi usu loquendi scire dicimur » (1). Sic scire dicimus quod unus probus vir nobis narrat sibi constare ; sic nos existimamus certos de valido recepto baptismo, etc.

6. Cum nobis non referatur status habitualis, sed praesens factum vitae nostrae, conscientia proprie dicta semper signat actum. Conscientia habitualis nulla est. Ad recte tamen indicandum habitibus iuvamur. Inde distinguitur quoque, praeter actualem, conscientia habitu lis, quae est *habitus vel inclinatio, partim acquisita, ad indicia moralia ferenda.* Improprie autem conscientia interdum vocatur ipsa potentia seu *facultas eliciendi indicia moralia.*

(1) *De veritate,* q. 17 art. 2 ud 2.

341. — Quotuplex sit conscientia habitualis. Sumpta pro *habitu,* conscientia dicitur *tenera* vel *timorata,* quae eximia rectitudine leves boni vel mali rationes dignoscit.

Scrupulosa est quae illegitima formidine in suis indiciis agitatur.

Laxa est quae falsis excusationibus decipi consuevit. *Durior* quoque appellari potest, quatenus, percepta mali ratione, difficilius movetur.

Stricta, contra, seu *rigidior,* aequa obligationum temperatione seu epikeia uti nequit : est igitur incompleta.

Pharisaica est falsa ista conscientia quam Dominus in Pharisaeis notabat : hi, in minimis rebus stricti, in maioribus officiis laxi deprehendebantur, vel etiam graviore quadam hypocrisi ista sibi et aliis dissimulabant (Cf. S. Matth. 24, 24).

Cauteriata demum est falsa conscientia quae ipso honestatis sensu vel appetitu fere deficitur. Nomen desumptum est a I, Tim. 4, 2.

Distinctio conscientiae in actualem et habitualem, tractatum dividit in duos titulos, alterum de actuali alterum de habituali conscientia.

Prius de conscientia ut est *actus,* dein de *habitu* dicemus.

SUMMARIUM.

842. — *Conscientia* dicit proprie scientiam seu relationem immediatam de factis nostris internis. Haec est psychologica. In theologia morum est indicium morale quod, secundum principia agibilium, elicimus de nostra actione. *Distinguitur* antecedens et consequens, prout praecedit vel comitatur et sequitur actionem ; recta vel erronea, prout per se indicat secundum veritatem, vel per accidens errat, sive vincibiliter sive invincibiliter. Est quoque certa vel dubia, idque speculative do actione in se considerata, vel practice, do actione ut ab agente hic et nunc ponetur. Interveniente parte appotitiva, habetur testimonium quiotans bonae conscientiae, et remorsus malae conscientiae consequentis.

Qua praeco, quo medianto logos actionum nostrarum nobis applicantur, conscientia est proxima regula nostrarum actionum.

Propter momentum quod in habitibus inost, distinguitur quoque, ab actuali, conscientia *habitualis,* quae est habitus, par' im acquisitus, faciendi indicia moralia. Habitualis conscientia dicitur, pro varia sua qualitate, tenera seu timorata, scrupulosa, laxa, stricta seu rigidior, pharisaica, cauteriata.

TITULUS PRIMUS.

De Conscientia actuali.

Utilitas. — Titulus iste omnis est in theologia morali maxime necessarius, cum proximam regulam expl'cet cui omne indicium morale inniti debet.

CAPUT I.

De vi conscientiae certae.

343. — Conscientia practice certa semper sequenda est. Quare sive speculative vera sit sive erronea, actio bonitatem vel malitiam quam conscientia proponit re vera habebit.

Id constat ex Genesi, 20, 4-7, ubi Deo probatur excusatio ignorantiae suae quam Abimelech allegabat, et ex loco Apostoli, Rom., 14, 14. 22. 23, collato cum I Cor., 8, 11, ubi S. Paulus pollui conscientiam docet propter actionem quae falso illicita existimatur. Et ratio est, quia qua voluntate Superior vult quidpiam observari, eadem vult ut obtemperetur unico praeconi, a se designato et per se fideli, per quem solum ipsius iussa intimantur. Conscientia autem, huiusmodi praeconis munere fungitur. Ceterum, cum obiectum voluntatis sit actio ut ab intellectu proponitur, actus speciem recipit ab obiecto, « non secundum *materiam*- obiecti sed secundum *rationem* obiecti ». (S. Tn. qdlb. 3, art. 27).

Quare *specie* non differunt peccatum contra rectam et peccatum *contra* erroneam conscientiam commissum.

Actus tamen semper supponendus est humanus. Quare involuntariae distractiones non imputabuntur ei qui easdem peccata osse erronee existimet.

344. — Quid, si conscientia ignorantiae vel erroris culpanda fuerit?

Si inter agendum, ad ignorantiam suam imperitus non advertit, conscientiam gerit actu invincibilem, quam sequendo actu peccare nequit. Dammosae tamen actionis consectari: feret, si quae in culpa anteriore satis praevisa fuerint.

Si inter agendum suae ignorantiae memor fuit, de re inquirere debuit vel abstinere actione.

Quid tamen si *actio necessaria sit et copia inquirendi deficiat*: puta sacerdotem ignorantem, qui solus incidat in aegrotum cui mors imminet. Tunc eius ignorantia ad invincibilem reducitur, nec error ipsi imputabitur, nisi, ex munere quod gerit, praevidere facile potuerit futurum esse ut haec adiuncta occurrerent.

Si, omissa inquisitione, actione non abstinet, ignarus peccabit sive *iuxta* sive *contra* suae conscientiae dictamen egerit. Atque agendo *iuxta* dictamen, peccabit neglegentia sua et reus erit malorum quae in confuso praeviderit. Agendo vero *contra* conscientiam, peccabit praeterea peccato per actualem conscientiam apprehenso.

Vincibiliter aut invincibiliter erronea conscientia diiudicabitur, tum ex praesumptionibus quas permittunt materia, persona (attenta eius pietate, doctrina), tum ex aptis agentis interrogationibus: a) an aliquam indecentiam in actu adverterit; *b)* an de liceitate actionis dubitaverit; c) an conscientia eum monuerit de gravi vel levi obligatione inquirendi.

SUMMARIUM.

845. — Conscientia practice certa semper sequenda est, salva tamen imputatione erroris culpandi in causa. Etiam reus negligentiae consciae, magis peccabit agendo contra conscientiam praecipientem vel vetantem quam iuxta. Prudenter autoin aestimanda est conscientia vincibiliter vel invincibiliter erronea.

CAPUT II.

De vi conscientiae practice dubiae.

346. — Qui practice dubitat de honestate suae actionis, *agendo peccat* peccato gravitatis ac speciei de quibus prudentem suspicionem habebat. Ipse enim in violationem legis hypothetice consentit, ac proin affectum habet inclinatum in violationem legis ipsum obligantis: quod vetatur lege divina naturali quae adimpletionem singularum legum urget. Agit itaque contra conscientiam *certam,* etsi confusam, qua etiam rudis homo deprehendit sibi non licere suspectae honestatis actionem (1).

Et quamvis de lege mere humana dubitet, actionem *intrinsece* inhonestam officit : peccat enim in legem naturalem.

347. — Obligatio practice dubitantis. Qui de honestate suae actionis practice dubitat, debet, si possit, partes tutiores amplecti vel dubium *sufficienti inquisitione* deponere, secundum regulas postea tradendas.

Sufficiens porro erit investigatio quae ad momentum rei et agentis capacitatem accommodata sit. Sic doctior, in re gravi, simplici sacerdote fidere non poterit, sed per se rem examinare debebit, dum indoctus sibi fidere non poterit, sed v. g. sacerdotem suum vel quempiam quem aptum iudicet interrogare debebit. Ipsa tamen *temporis angustia a pleniore investigatione* quae aliter facienda foret *dispensare poterit,* quando proportionatum damnum ex ipsa mora timendum erit. Cum enim tunc moralis copia maioris diligentiae non habeatur, ignorantia quae superest pro invincibili haberi poterit. Quare etiam rudis casum, prudenter pro modo suo, per se solvere tunc poterit.

(1) Quatenus dubitat, conscientia de ro non indicat. Quare dubitans conscientia non est requin actionis.

348. — Peccatum neglegentis. Qui agit neglegendo fundatam sed *confusam* suspicionem malitiae, peccatne graviter an leviter?

Res ex concretis adiunctis diiudicanda videtur. Si homo fuerit timoratae conscientiae, vel obiectum per se leve apparuerit, praesumi potest nullum de *gravi* peccato dubium fuisse nisi fortasse inanem phantasiam. Contra, severius pronuntiabis, si res per primam speciem ultro gravis appareat, et agens a gravi peccato alienus non videatur. Res saepe divino indicio committenda erit Cf. Laymann, l. I, tr. 2, c. 4, n. 7.

349. — De casu perplexo. Casus *perplexus* dicitur ubi undique peccatum practice timetur, sive agendo sive non agendo. Per se quidem tunc minus malum eligendum est: quare naturale praeceptum positivo, divinum humano per se praeferri debet. Si vero gravitas moraliter eadem ex utraque parte apparuerit, ipsa liberae optionis copia non habetur. Quocirca, utcumque te geras, actu non peccabis, etiam si perplexitas ex culpanda neglegentia orta sit. Atque observant non fore nisi leve peccatum illius qui, cum notabilem excessum non cernit, optionem fecerit partis quae peior timetur.

SUMMARIUM.

850. — Practice dubia conscientia, qua talis, nihil indicat, nec proin regula esso potest. Practice dubitans de honestato actionis suae rem facit intrinsece malam. Humanum tamen nobis imponitur officium inquirendi; atque, in casu perplexo, non peccat optans pro alterutra parte quae sibi videatur foro aequalis periculi, vel pro parte quam aestimat esso minoris periculi vel mali moralis.

CAPUT III.

De Conscientia speculative dubia.

Ordo dicendi. Ut nobis comparemus distinctam cognitionem rei quae et propter multas applicationes et propter controversias facta est satis impedita et confusa, maiore cura debito ordini consulendum est in nostra expositione. Quare caput istud primo in

duos articulos dividemus, quorum prior conscientiae positive dubiae, altorum conscientiae negative dubiae erit deputatus. In priore autem articulo variis paragraphia successive trademus notiones ; systemata seu opiniones ; verae doctrinae demonstrationem ; rectum usum demonstratae doctrinae ; quaestionem de probabilitate facti. In altero demum articulo de conscientia negative dubia agemus.

Articulus I. — De Conscientia positive dubia, seu probabiliter iudicante.

§ 1. — Notiones.

351. — I. De certitudine moruli. *Certitudo* in genere definitur mentis assensus siue formidine oppositi. Sicut in immutabilitate principii metaphysici certitudo metaphysica, atque in constantia ordinis physici certitudo physica fundatur, ita *in constantia inclinationum et morum hominum moralis certitudo innititur.* Exceptio quidem, in applicatione particulari non demonstratur impossibilis; sed ubi nulla est ratio eam suspicandi, exceptionem formidare aeque a ratione atque a consuetudine prudentum alienum est. A *ratione* alienum est, quia possibilitas erroris non creat *periculum* erroris, quod periculum legitimam causam det formidinis (1). A *moribus hominum* alienum est. Cum Aristotele (2) et S. Thoma (3) omnes f cile intellegunt istud: « Certitudo non est similiter quaerenda in omni materia ». Et moraliter certum dicunt quod, quamvis non stricte demonstretur, nulla tamen seria ratione impugnatur et rationibus humano modo suasivis fulcitur quibus, in aliquo tamen casu, falsum subesse potest. Ita certi sumus de baptismo quem sacerdos minister nobis testatur contulisse.

Hinc sub altero respectu, *certitudo moralis ea dici potest qua homines in agendo contenti esse solent.* S. Thomas,

(1) ScniFFiNb Principia *philosophica,* n. 232.
(2) *Ethic. Xieom.* L. I, c. 1 et c. 3. — (3) 2, 2» q. 70 art. 2.

l. c. certitudinem istam vocat *probabilem,* i. e. talem «quae ut in pluribus veritatem attingat, etsi in paucioribus a veritate deficiat » (1).

Si autem constat, in applicatione particulari exceptionem certo argumento excludi (v. g. in demonstratione religionis catholicae, vel in quibusdam punctis historice per plures testes comprobatis), strictius aderit certitudo moralis quam quando simpliciter ratio exceptionis non apparet.

Certitudo moralis non omnem sed prudentem tantum formidinem excludit.

Extenso autem *nomine,* moraliter certum dicitur indicium quod, etsi in se non sit nisi probabile, ita ut solam opinionem fundare queat, practice tamen applicationem permittit certi principii moralis, quale istud est : in dubiis pro libertate respondendum est (Cf. Schiffini, *Prine.* n. 34, obi. 4).

Certitudo tunc, in hoc posteriore casu, non est nisi *practica,* dum *speculative certum* est quod proprie dicitur moraliter certum.

Huc pertinet quoque casus propositionis quae argumento probabili tantum suadetur, cui tamen nullum positivum argumentum opponitur. Moraliter certa dicetur ista opinio, quatenus secundum eam agere certo licet.

Aequivoce igitur *dicitur moraliter certum, quod rationibus convincentibus ex moribus hominum demonstratur', et quod mere innititur ratione probabili cui non contradicitur.* Prior certitudo etiam in parte logica philosophiae locum obtinet ; altera propria est disciplinae moralis.

Diverso demum usu, *moralis* dicitur omnis certitudo quae imperio voluntatis tribuenda est.

352. — II. De dubio et probabilitate. 1. Etiam postquam, pro causae merito et copia investigationis, diligens, quae praecipitur, inquisitio facta est, non semper ad certitudinem, etiam moralem, pervenimus ; sed, perpensis

(1) Huc ratione, Aristoteles definire potuit (I *Top,* c. 12) *opinionem probabilem : ·* quae vera videtur omnibus, aut plurimis aut sapientibus, atque vel omnibus vel plurimis vel spectatissimis. »

rationibus pro et contra, intellectas secundum se dubius haeret vel, imperante voluntate, uni parti assentitur, cum rationabili formidine oppositi : « accipit quidem unam partem, tamen semper dubitat de opposito » (1). Tunc versatur in statu *opinantis* (2).

Quando assensus *suspenditur,* status mentis dicitur *dubii stricti.* Dubium strictum quoque habetur quando pro neutra parte rationes apparent (v. g. suntne stellae numero pares). Sed id tamen inter utrumque casum interest, quod, deficiente ratione, status dubii stricti est insanabilis ; dum, quando sunt rationes positivae, ipsa animi suspensio supprimi potest, adducendo statum opinionis seu iudicii opinativi. Qui status dicitur *dubii lati.* In quo tamen, ut supra, n. 340 monuimus, nulla maior veritas percipitur quam in dubio stricto.

2. Porro « *Opinio probabilis* generatim *illa censetur quae gravi nititur fundamento, licet non penitus certo, simulque nullam contra se habet rationem convincentem* » (3). *Grave* autem motivum est istud quod, non solum simpliciter seu separatim, sed etiam comparate, seu perspectis rationibus oppositis, virum prudentem ad assensum *inclinat,* quamvis assensum *non determinet* (4):

a) Ex *obieclo* distinguitur probabilitas *iuris* et probabilitas *facti,* eodem modo quo, n. 55, ignorantiam iuris ab ignorantia facti separavimus ;

b) Ex *fonte* unde hauritur, distinguitur probabilitas *intrinseca* vel *extrinseca,* prout motivum assensus rationibus intrinsecis vel ex doctorum auctoritate desumitur. Melius diceretur probabilitas ab intrinseco vel ab extrinseco nota;

c) Ex *vario* probabilitatis *gradu,* duae opiniones quae

(1) S. Th. *Dc veritate,* q. 11 art. 1.

(2) Opportune monet Schiffini, *Prine.* n. 221, formidinem tamen oppositi excludi posse, eo quod mons ad periculum falsltatis non advertat : quod saepe casus ost rudium. Ilunc statum vocat « imperturbatae opinionis ».

(8) Reiffknstuel, *Theolog. mor.* tr. I, q. 4, n. 41.

(4) Sio explicandum vel corridendum putamus quod saepe scribitur, opinionem probabilem eam esse quae innitatur motivo quod virum prudentem ad assensum moveat. Cum enim motivum non moveat Intellectum nisi evidentia sua, sequeretur nullam opinionem esso posse probabilem nisi quae doctis viris aestimetur esso certa.

inter se comparantur esse possunt aeque *probabilem* pro-quibus motiva aequalis vel fere aequalis ponderis certant; altera *probabilior,* altera *minas probabilis,* eum altera inotivis nititur quae non modice motivis alterius fortiora sunt, quamvis mentis haesitationem non tollant.

353. — Quaenam opiniones indicandae sint probabiles ?

Praemonitio. 1. Sicut nos docent quae n. 350 perpendimus de certitudine morali qua practice contenti esse possumus et debemus, dubia dici nequit lex vel obligatio ob quamlibet excogitatam vel allegatam rationem, sed oportet ut, omnibus satis perspectis, ratio haec *gravis* et *solida sit* et *permaneat.*

Permaneat, inquam. Etenim, cum probabilitas dicat obscuritatem (qua parte negat perspectam certitudinem) haec, non tantum decretis auctoritative datis, sed etiam probatis doctorum studiis expelli potest. Scientia moralis profectum non ignorat. Et plura quae aliquo tempore probabiliter olim proferebantur, temere tantum hodie affirmarentur.

Sic S. Alpiionsus (1) potuit probabiliter asserere excommunicationem non committi a sacerdote qui complicem absolvere fingat : quod hodie, etiam ante Codicem, responsis *S. Officii* prorsus explosum est. Sic etiam opinio illa quae, propter errorem, a restitutione eximit illum qui voluntarie ignes admovet domui alienae sed quam putabat esso Caii, dum erat Titii, ipsis protestationibus sensus communis explosa nobis videtur: eam tamen propugnabat C. DELuGO(2);et S. Alpiionsus (3) probabilem existimavit. Nec iam *intrinsece* probabilem habemus sententiam quae ab iniustitia eximit sacerdotem qui clam sibi partem retinet stipendiorum missarum manualium quarum onus a se in alios transfert. Ratio enim dubitandi, iam bene soluta a S. Alphonso (4), luculente vana ostenditur egregia et ampla dissertatione P. Arendt, S. I. « *De laesione iustitiae commutativac in missae manualis stipendio alteri celebranti· deminuto* ».

Quare status praesens controversiae attendendus est.

2. *Vitanda confusio.* Facta hac praemonitione, ne re-

ti) *Theol. mor.* l. 6, n. 556. — (2) *Dc iustilia et iure,* ‹l. 17 n. 75. 76. — (3) Op. c. l. 3. n. G28. — (4) L. 6. n. 322.

sponsum quaestioni faciendum perperam intellegatur, indicium de probabilitate *opinionum* a probabili indicio *de re* vel *actione* accurate secernendum est. De pluribus rebus indocti quoque probabiliter indicant ; de honestate actionis probabile saltem indicium habere omnes possumus et debemus, quamvis alio modo in alia persona et casu comparetur. Cf. infra dicenda. Veram *de ipsa opinione hic agitur qua quaedam actio* v. g. *probabiliter honesta* praedicatur.

3. Aestimatio de *intrinseca* sententiae probabilitate examen rationum et difficultatum postulat : quod examen est tantum peritorum theologiae vel scientiae a qua solutio pendet. Quare nec omni sacerdoti vel confessorio indicium illud pervium est. Cf. Ballerini-Palmieri (1). Et si dubium vertitur in legis interpretatione, theologus lumen a iurisprudente mutuari non raro cogetur.

Extrinsece probabilis dicitur sententia *cui adhaerent quinque vel sex auctores boni nominis, qui rem examinarint* nec mere alius alium sine examine exscripserint. De ista probabilitate indicare possunt etiam mediocriter docti, qui, statu quaestionis intellecto, probabilitatem admissam reperiant apud plures peritos et prudentes auctores qui rem ab intrinseco consideraverint.

Immo, ex *auctoritate unius viri* opinio probabilis aestimari potest, licet communem sententiam deserat, « quotiens nempe auctor est omni exceptione maior, idest valde peritus iuris tum naturalis tum positivi, qui praeterea firmis ac validis rationibus consueverit conclusiones suas roborare, qui veritatis potius quam novitatis censeatur amator, et demum qui aliorum argumenta plane discusserit et infirmaverit » (2). Hic igitur, ut saepe, probabilitas ex rationibus partim intrinsecis partim extrinsecis coalescit. Cf. B. P. I, n. 185. Quo magis res dubia vel difficilis aestimetur, ac proin quo minus sit in ista re certa opinio communis, ut v. g. quaestio de gravi violatione voti paupertatis,

(1) Op. *thenl.* I, tr. 2, n. 191.
(2) Ball-Palm. I, tr. 2, n. 186.

eo facilius auctoritas prudentis et docti viri sufficiet ut sententia probabilis indicetur.

Illud autem observes : cum auctores non sint legislatores, omnis vis probabilitatis extrinsecae ex praesumpta ratione intrinseca repetenda est.

Discrimen tamen hic observandum est inter legem immutabilem, qualis est divina lex, et leges quae humana auctoritate mutari possunt. Cum ipsa Ecclesia commendet ut probatos auctores sequamur, etiam is cui perspecta est falsitas cuiuspiam interpretationis quam graves auctores defendunt, secundum eorum sententiam agere non prohibetur. Et post aliquod tempus receptae opiniones fundant interpretationem usualem de qua valet : « Consuetudo est optima legum interpres » (c. 29). Et frustra time, ex monumentis demonstraveris aliam legis significationem, cum secundum receptas istas opiniones lex temperata censenda sit. Sic ipse Codex, c. 6, 2° vult ut canones qui ius vetus ex integro referunt, ex receptis apud probatos auctores interpretationibus aestimentur. Ita, etiamsi efficias, attentis primis decretis, omnem iurisdictionem in complicem, in ordine quoque ad alia peccata esse confessario sublatam, nihilominus, cum diversa sententia sit multorum probatorum auctorum, iurisdictio in alia peccata manet probabilis ac proin practice certa.

354. — Indicium probabile de honestate actionis faciendae. 1. Ut indicium probabile de honestate suae actionis sibi comparet, indoctus qui dubitat vel haesitat plerumque auctoritate aliena duci debet; et communiter etiam indicio unius viri quem merito pro instructo habet, ipse stare potest. Sic rudes theologiae parocho vel confessario acquiescere possunt, nisi positivam causam habeant suspicandi eorundem, in certis rebus, ignorantiam aut temeritatem ; vel nisi ipsi, in quibusdam argumentis, utputa in iuris cognitione, magis versati sint.

2. Nec prohibentur plures adire probos confessarios vel doctores, si forte primus interrogatus nimis severe responderit. Quod si vere contraria a peritis viris responsa obtinuerint, rem pro positive incerta per se aestimare poterunt, ita ut liberam optionem servent.

3. Ipsi non adeo docti theologi fidere possunt auctori-

tati prudentis scriptoris, qui opinionem tamquam extrinsece probabilem referat. Positivam tamen erroris suspicionem pro merito causae et pro copia quam habent diluere debebunt. Immo de auctore gravissimae et probatissimae auctoritatis, qualis S. Alphonsus, responsum est licere sacerdoti confessario ut eius opiniones simpliciter, nullo alio delectu facto, sequatur. Id, ut liquet, accipiendum est, quatenus vel decretum S. Sedis vel mutata lex probabilitatem opinionis clare non sustulerit. Cf. resp. S. *Paenitentiariae,* 5 iul. 1831. A. *S. S.* I, 497. vel Bucceroni. *Enchiridion,* 4, p. 9.

3. Nec *doctus theologus* ad omnia per se examinanda obligatur ; sed ipse operari potest secundum sententiam quam viri docti ut probabilem et tutam defendunt. Et prudentis viri est non ita, saltem, in rebus gravioribus, suo iudicio fidere, ut propriam persuasionem vel opinionem aliorum consultatione vel interrogatione confirmare neglegat.

355. — De opinione tuta et tutiore. Sedulo istud observandum est, opinionem sub diverso respectu dici *tutam* et *tutiorem*. *Tuta* dicitur opinio respectu *peccati formalis,* quam sine culpa sequi potes ; dum tutior dicitur respectu peccati *materialis.* Tutior est opinio quae, sive magis sive minus probabilis sit, omne tamen peccati materialis periculum magis removet. Est ergo opinio pro lege, pro obligatione. Hinc Titius partes tutas amplecti potest etiam cum opinionem minus tutam sequitur.

Articulus II. — Variae opiniones seu systemata moralia.

356. — Systematis moralis ineluctabilis necessitas. Quando, post congruentem investigationem, incerta manet conclusio de honestate actionis vel omissionis futurae (de solo isto respectu in theologia morum solliciti sumus) ineluctabili necessitate solvenda nobis imponitur quaestio: quonam certo iudicio practico actio nostra regetur? *Indicio,* inquam, *practice certo,* cum conscientia practice dubia actionem humanam regero nequeat, sicut vidimus, n. 346.

Frustra necessitatem istam declinare conaremur. Tam frustra, quam si vellemus de omni re directam certitudinem nobis comparare.

Practica porro certitudo, quae directe deficit, obtineri non poterit nisi *indirecte appellando principium* quoddam universale tamquam maiorem syllogismi : illudque *componendo cum iudicio speculative dubio* conscientiae, et *colligendo demum conclusionem* syllogisticam : Ergo actione ista abstinere debebo vel eam tuto facere possum.

Supponamus principium, hodie ab omnibus deserendum, *tutiorismi: Semper eligenda est opinio tutior.* Cum ista maiore coniungatui haec minor propositio: *Atqui honestas talis actionis est solummodo probabilis, ac proin opinio vetans est tutior·,* haec sequetur conclusio: *Ergo hac actione mihi certo abstinendum est.*

Hac ratione, ubi directa certitudo deerat, *reflexam* nobis comparamus certitudinem, propter quam ipsa principia per (piae obtinetur vocantur *reflexa.* Quaenam autem appellanda sint principia, id in controversiam venit. Ac *systemata moralia* vocantur *diversae rationes propositae ut a iudicio speculative dubie ad certum de actionis honestate dictamen perveniamus.* Nomen inde fortasse datum est, quia sententiae istae omni morum disciplinae dominantor.

357. — Varia systemata moralia. I. *liigoristae* seu *antiprobabilistae* vel *tutioristae,* omnem actionem damnabant, nisi eius honestas saltem *probabilissima* esse demonstraretur. Sic opinabantur mitiores, ut Fagnani, Habert, qui scripserunt postquam Alexander VIII, 7 dec. 1690, inter propositiones damnatas et prohibitas tamquam temerarias, scandalosas, male sonantes, iniuriosas, haeresi proximas, haeresim sapientes, erroneas, schismaticus et haereticas respective, hanc tertiam Balanorum et lansenistarum reprobavit: «Non licet sequi opinionem (probabilem) vel inter probabiles probabilissimam» *(Denz.* n. 1293). Antea, strictiores actionem secundum se *certo* licitam exigebant. Ratio systematis desumebatur ex morali obligatione, quam fingebant, vitandi omne etiam materialis transgressionis

legis periculum. Systema istud nullos iam habet defensores catholicos (1).

II. *Probabilioristae* opinionem tutiorem sequendam esse contendunt, nisi speculativa actionis liceitas sit manifesto et solide probabilior. Arguunt et ipsi ex necessitate vitandi periculi violationis legis etiam non consciae. Quod rigorismi principium temperant tamen hac altera ratione, quod opinio certo probabilior sit moraliter certa, eo quod probabilitates contrariae se mutuo destruant, ita ut solus excessus supersit tamquam motivum positivum decidendi. Hanc quoque rationem appellant, legi nostri intellectus consentaneum esse ut, deficiente evidentia, amplectamur quod magis verisimile sit. Probabiliorismum tuentur Billuart (2) et recentior schola FF. Praedicatorum, a qua tamen plures aequales nostri eiusdem Ordinis recedunt.

III. Aequiprobabilistae, qui interdum se vocant probabilistas moderatos, praeter usum opinionis certo probabilioris, quem semper concedunt, sinunt quoque, ubi quaestio sit non de legis seu obligationis cessatione sed de prima eius exsistentia vel de initio obligationis, usum opinionis aeque probabilis (3). Nituntur ipsi mutua probabilitatum contrariarum destructione ; sed, quando moraliter aequales sunt probabilitates ita ut nulla ratio positiva, secundum ipsos, supersit, tunc utendum dicunt *principio possessionis,* ita ut pro lege vel pro libertate respondeas, secundum quod lex vel libertas possideat. Legem autem esse in possessione quando agitur de cessatione legis, minime autem

(1) *Acatholicum* repcrit in Habsack cf. hic infra. Non nulli in Gallia et Germania (v. *g.* qui in Universitate Tubingiana docuerunt), repudiato quolibet systemate morali, omnes casus directa ratione solvere proponebant. Hi tuno vel rigoristae osse debent, vel pro uno systemate morali, tot systemata excogitare quot sunt modi diversi quibus ad certas conclusiones morales se pervenire posse existimant.

(2) Dissertatio VI, *De actibus humanis.*

(3) Probabiliter recitavi breviarium, probabiliter non : cum certo essem obligatus, recitatione adhuc teneor. Probabiliter transacta est media nox ; probabiliter non. Si inter feriam V et VI, possum carnes manducare, quia dubium est do initio obligationis ; non possum, si inter feriam VI et sabbatum dubium oriatur, quin do cessatione obligationis agitur. Dubitans de sua aetate 21 annorum, non tenetur ieiunare ; tenetur dubitans do aetate 60 annorum.

quando agitur de eius initio. Addunt quoquo naturali aequitati esso consentaneum, ut aequa lance interdum pro lege, interdum pro libertate respondeatur (1). Aequiprobabilismum tuentur PP. C. SS. Redemptoris, Simart, C. d'Annibale et non nulli PP. Ordinis Praedicatorum.

IV. Systema compensationis seu rationis sufficientis, cuius origo ascribitur a C. d'Annibale (2) Patri Potton (3), O. Pr., usum principii : *Lex dubia non obligat,* non permittit simpliciter, sed tunc tantum quando causa excusans a legis obligatione proportionata est legis gravitati et probabilitati : quo probabilior et gravior sit lex, eo maiorem causam requiri ut permittas periculum transgressionis materialis ; periculum istud esse malum quod propter pr portionatum effectum bonum, non autem aliter, permitti possit. Seu aliter : legi certae perfectam, incertae autem imperfectam respondere obligationem, quae gravitate motivi agendi finitur vel terminatur. Huic systemati recentiori, plures in Gallia adhaerent ; favet quoque R. P. Pkummer, O. Pr. *Manuale Theologiae moralis,* I. n. 351. 352.

V. Probabilistac puri seu *absoluti, practice tutant esse actionem affirmant cuius liccitas, omnibus perpensis, solide probabilis speculative demonstratur.* Ab adversariis interdum vocantur lati, laxiores, ot magis recens « minusprobabilist-ae ». Sic Ordo Fratrum Minorum, sic plures olim FF. Praedicatores, sic nunc scriptores S. I.

Fuere qui nimia benignitate vel temeritate moti, opiniones dubie, tenuiter probabiles pro practice tutis proposuerunt. Hi nomen habent *laxistarum*.

Laxismum tamen nullus profitetur ; sed S. Sedes, proscribendo has duas propositiones, alienam se probavit a dictis quae ansam praebent laxitatis. Sunt autem : Prop. 27 damnata (ut minimum tamquam scandalosa) ab Alexandro VII, 24 sept. 1G65 : «Si liber sit alicuius iunioris et moderni, debet opinio censeri probable, dum non constet reicctam esse a Sede Apostolica tamquam improbabilem » *(Dene.* n. 1127) ; prop. 3, ab *Innocentia* XI, 2

(1) Sic d'Annib. I, 201. — (2) CL d'Annib. I, 263, notu 1.
(3) *De Theoria Probabilitatis*, Puris, 1874

martii 1679 : « Generatim, dum probabilitate sive intrinseca sive extrinscca quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non excatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus » (Z)ene. n. 1153).

Hodie plerique scriptores vel professores in Belgio, Gallia, Hispania, Italia simplicem probabilismum docent, quem Harnack in sua *Dogmengesdiichte* (1) acriter sed inepte impugnat : inepte, dico, quia eruditus vir ne significationem quidem verborum in hac re assecutus est.

Fratres Praedicatores probabiliorismum formaliter non deseruerunt. Sed cum, post sollemnes S. Sedis approbationes S. Alphonse datas, causa ista desperata dici possit, satis aequiprobabilistis favere coeperunt, ut constat ex lucubrationibus quae in Revue Thomiste prodierunt. Immo, in opere suo *La phil. morale de S. Thomas,* R. P. Sertillanges, probabiliorismum simpliciter improbat, et c. XVI his verbis concludit : « *L'iquiprobabilisme* bien compris peut donc passer à bon droit pour une solution thomiste ».

De ipsa S. Alphonsi *mente* non disseremus. Plures scriptores Cong. SS. Redemptoris, v. *g.* Aertnys, non omnes tamen, fatentur ipsum, postquam magistris probabilioristis usus est, per partem vitae suae probabilismo puro calculum adiecisse ; et sane, aetate valde matura 53 et 59 annorum (1749 et 1755), binas scripsit dissertationes in quibus probabilismum simplicem apertissime et multis argumentis tuetur. Eae fuere dein temporum difficultates quae verbales systematis mutationes, formulas minus claras suadere videbantur; ipse autem S. Doctor tantae humilitatis erat ut ex ipsis impugnationibus ad sententiam suam temperandam vel emolliendam adduci potuerit.

Quare melius nobis videntur mentem S. Doctoris essecuti esse C. d'Annibale, I, n. 263, nota 10, ubi scribit, numquam a S. Alphonso impugnatum fuisse probabilsmum moderatum qualem tuebantur Suarez, Lcssius, Laymann, Bonacina... de Lugo, quorum doctrina S. Doctori (§ 4, η. II) « quanta sit, un-

ii) Tom. **III'**, 1910. p. 748-756.

dique perfecta est ». « Et quae postea acquiprobabilismo tuendo scripsit, disseruit, ab an. 1748 et 1755 (V. § 11) usque ad vitae suae exitum, illa ad tuendum moderatum, contra latum proba* bilismuin, scripta cum primis fuisse»; —atque R. P. Aertnys C. SS. Redemptoris, *De Conscientia,* n. 94: «In primis dissertationibus suis S. Alphonsus enixe defendit contra Probabilioristas thesim Probabilismi "Licet sequi opinionem probabilem pro libertate, relicta probabiliore pro lege „. Ab hac sententia S. Doctor numquam recessit ; sed, ad avertendum a probabilismo periculum laxitatis, postmodum, tamquam partem systematis sui adiciendam esse censuit hanc moderationem : « Non licet sequi opinionem benignam, quando opinio pro lege est *certo et notabiliter* probabilior », quia huiusmodi opinio iam est, sicut declaravimus, moraliter certa, et altera non est vere ac solide probabilis sed dubia tantum aut tenuiter... Distinctionem inter opinionem paulo et multo probabiliorem ascribendam esse illi inotivo quod supra attulimus, S. Alphonsus luculenter exponit in sua *Apologia* anni 1765 hisce verbis: «Numquam contendi neque nunc contendo nova condere systemata ; bene novi nullum Probabilistani solidae doctrinae pro licito habere usum opinionis tenuiter aut dubie probabilis. Verum, quia multi Probabilistac *indiscriminatim* dicunt licere sequi opinionem minus probabilem quando illa aliquod fundamentum habet ex ratione sive ex auctoritate, *idcirco volui distinguere,* dicendo illicitum esse sequi opinionem minus tutam, quando *multa et certa* est praeponderantia a parte opinionis tutioris ;... quia tunc opinio minus tuta non potest dici certe probabilis » (1). Itaque eo consilio distinxit, ut *certae* probabilitatis ac *moralis* certitudinis limites definiret, eoque pacto praecluderet usum opinionum quae non verae ac solide probabiles sunt... Ex his omnibus infero, Probabilismum sic moderatum, potius quam laxiori sensu acceptum, *communem* dicendum esse ». Cf. plura in d'Alès, *Dictionnaire d'Apologétique,* verbo *Probabilisme,* ubi disquisitio historica reperietur, scripta a P. de Blic, S. I.

Illud demum observandum est, probatos scriptores variarum scholarum hodie minus materialiter quam formaliter dissentire. Sic C. d'Annibale tutum in conscientia praedicat usum probabilismi puri. Sic, e C. SS. Redemptoris,

(1) *Vindiciae Alponsianae,* I, 60.

Aertnys (l. c. n. 94. 95) se practice cum pluribus scriptoribus Societatis sentire profitetur; Marc vero, eiusdem Congr. declarat sc moderatis Societatis probabilistis (tales vocat Suarez, Vasquez, Lessius, Laymann, Lugo) minime infensum esse (1). Et R. P. Sertillanges, e Fr. Pr. dum haec nuper scribebat: « Appuyé sur ceci que l'action ne saurait atteindre l'évidence; que la prudence est sauve à un moindre prix; que le critérium de l'obscur c'est le vraisemblable; et que la Providence nous ayant jeté dans le probable, elle doit s'en contenter de notre part, arguant ainsi, explicitement ou implicitement, l'esprit trouve bon d'adhérer à l'opinion dite prudente; le vouloir suit, et détermine finalement l'adhésion » (2); dum haec, inquam scribebat, quid faciebat nisi repetebat celebratum istud a a probabilistis « Qui probabiliter agit prudenter agit » i Addebant autem sufficere ad honestatem ut prudenter ageremus.

Ex sua parte vero, Wirceburgenses iam scribebant *De actibus humanis,* n. 240: « Vix ullus prudens theologus opinionem suam affirmabit manifesto et notabiliter probabiliorem, quam diu oppositam agnoscit vere ac theologice probabilem; quae si cessat talis esse, cessat et quaestio ». Inde, quamvis *theoretics,* seu in abstracto verum sit solidam probabilitatem unius partis non excludi maiore, etiam in notabili gradu, probabilitate partis oppositae, nihilominus, *psychologice,* fortasse haec duo simul non affirmabuntur.

Quocirca existimamus hodie inter probatos theologos, vix ullum reperiri qui huic conclusionis formulae refragetur: *Quotiescumque de sola liceitate actionis nostrae immediate quaeritur, tuto agit qui solide probabilem sententiam amplectitur.* Si hoc modo practice convenimus, facilius etiam, secundum sana philosophiae principia, concordia theologorum, quam iansenismus destruxit, iam, profligata hac lue, restituetur.

(1) *Institutiones morales* I, 8G4.
(2) *La philosophie morale de* S. *Thomas,* c. 16, III, p. <549.

§ 3. — Systema morale verum statuitur.

358. — Hoc modo procedemus, ut, breviter exclusis aliis systematibus, systema probabilismi puri sed moderati efficiamus esse verum.

I. *Nec Tutiorismus,* quem nemo catholicus iam admittit, *nec ProbabUiorismus neque Aequiprobabilismus nec systema dictum a compensatione speculative seu theoretics admitti possunt.*

Speculative seu *theoretice* dicimus ; quia, si variis istis nominibus mero obtinere contendunt ut, in disciplina morali catholicorum, solus floreat probabilismus iste moderatus quem coluere Suarez, Lugo et alii praestantes doctores xvi et xvn seculi, tunc redeunt dicta de practica concordia plororumque scriptorum catholicorum nostrae aetatis. Itaque :

1. *Tutiorismus* hoc fundamentali vitio laborat : cum non distinguat inter facta ordinis physici et facta ordinis moralis et iuridici, istud prorsus praetermittit, fieri posse ut propter ipsum dubium cesset condicio necessaria ut lex exsistat vel subiecto applicetur. Tunc autem nullum remanet periculum violationis legis unde Tutioristae argumentum sumebant, dum periculum facti physici meo dubio de eventu minime removetur. Cf. positivam demonstrationem probabilismi.

2. *Probabiliorismus* opus habet hoc principio: rationes probabiles quae in partes contradictorias inclinant se mutuo elidunt, ita ut, si sint aequales, nulla supersit probabilitas; si inaequales, excessus maioris probabilitatis maneat solum motivum assentiendi, ita ut una sola supersit conclusio prudens ; haec quae excessu isto fundatur (1).

Iam vero tantum abest ut mutua ista elisio necessaria sit, ut aegre casum reperias ubi id accidere demonstretur (2).

(1) Cf. Bhxuabt , dies. 6 ot ipsum Sertillangeh, *La philosophic morale de S. Thomas d'Aquin,* p. 552. 553.

(2) Cf. Ballerini-Palmieri, *Op. Theol.,* T. I. Tr. 2, n. 188.

Ratio est, quia plerumque motiva e fontibus diversis hauriuntur. Quae cum sint disparata, bene simul stare possunt. Sic, v. g. estne, e iure naturae, obligatio restituendi pauperibus quod, iniuste acquisitura, domino reddere nequeas ? Qui negant, ex eo arguunt quod ius naturae id unum praecipit, ut dominus iniuste laesus, ex damnis reficiatur : qui affirmant, contendunt iniustam illam possessionem iure naturae sanciri non posse. Pcccatne qui perfectiorem actionem ad quam clare invitatur omittit ? Qui negant, distinctione nituntur inter opera consilii et praecepta ; qui affirmant, appellant caritatem hominis ad seipsum et necessitatem agendi rationabiliter. Quomodo, sic aiunt, electio partis minus bonae rationabilis esse possit ? Iam vero, quis non videt utrisque rationibus suam vim propriam servari, et motiva huiusmodi nequaquam comparari posse cum ponderibus quae in binis lancibus unius librae ponantur ! Immo si quinque testes, aliunde probati, non consentiant de aliqua re, sed duo uno modo et tres alio modo factum narrent, dubitabitur quidem quo pacto re vera res successerit, sed positiva ratio pro utraque narratione manebit.

Quando vero Cl. Marc, *Institutiones,* I, n. 74, concedendo raro fieri ut motiva ipsa so destruant, contendit tamen eorum vim *relative* ot *practice* elidi, quatenus, propter aequalitatem inotivorum, iam neutro possit intellectus ad assensum moveri, ita ut sola voluntate motus uni parti adhaereat, offendit in sanam philosophiam. Haoc enim nos docet, naturae intellectus repugnaro ut sola voluntate, sino aliqua ratione, cuidam parti adhaereat ; intellectum, dein, per se solum non determinari ad assensum nisi per rei evidentiam, ita ut etiam si unicum sit motivum probabile, imperio voluntatis indigeat ut perveniat ad opinandum. Demum, ut mox melius apparebit, ne quidem necesso est pro recto probabilismi usu, ut intellectus alterutri parti adhaereat tamquam verae.

Si autem praeterea contendant probabilioristae, hanc esse legem rationis nostrae, ut, deficiente evidentia, adhaereamus parti magis veri simili, id nec speculativo nec practice, saltem universaliter, admitti potest. Non *speculative* : intellectui enim sufficit ut testetur id quod re vera videt,

i. e. rem osse dubiam sed magis veri similem ; immo de se non recipit nisi quod videt. Non *practice*. Etiam in foro externo absolvitur reus qui magis veri similiter culpandus sit. In civili indicio, si facultas indici linquitur, in sententia habebit rationem probabilitatis oppositae, saltem in computandis expensis. Tunc tantum quando necessitas est addicendi ex toto rem alterutri litiganti, iudex secundum magis veri similia ius dicet. In privata autem nostra actione, interdum prudenter abstinere debebimus actione cuius felix exitus sit multo magis veri similis ; fit etiam, si, ex parte minus probabili, longe maius lucrum speretur, ut negotiator hac via minus tuta fortunam prudenter tentet. Numquam ergo re veri simili sicut certa movemur, nedum dici possit, deficiente certitudine, nobis ducem perpetuo adesse verisimilitudinem.

Cur ergo, in foro interno, ubi, deficiente certitudine, ipsa condicio obligationis deficere potest, regulam sequendi partes certo magis veri similes imponas ; quae regula ne quidem in foro externo et rebus exterioribus constans dici potest *i*

Addas, in ista graduum distinctione, multum subiectivae inclinationi tribuendum esse, ita ut quod unus dicet probabilius alter pro aeque vel minus probabili habebit. Atque, ut ait R. P. Prummer, O. Pr. *Manuale Theol. mor.* I, n. 346, probabiliorismus est in praxi fere impossibilis. Nam sententia communis habet absolvi debere paenitentem qui, relicta opinione probabiliore, probabilem sequi vult, ita ut confessarius probabiliorista contra suum systema interdum agere cogatur. « Unde hodie forsan nullum confessarium esse puto, qui omnes logicas consequentias Probabiliorismi in praxi tribunalis paenitentialis adhibet » (Prummer, l. c.).

3. *Aequiprobabilismus,* in parte qua cum isto systemate convenit, communi Probabiliorismi errore peccat. Praeterea, adhibet ficticiam istam legis vel libertatis possessionem quam ad rem minime spectare, in ipsa introductione demonstravimus. « *Ad hominem* » possit siccum R. P. Prümmer, op. c. I, n. 348, dici: «Si lex est stricte dubia,

id est si aeque graves rationes suadent eius obligationem vel deobligationem, semper possidet libertas, quae natura et ratione videtur praecedere legem. Unde, in isto casu distinguere inter cessationem legis et exsistentiam legis est supervacaneum. In stricto enim dubio standum est pro illo pro quo stat praesumptio. Porro praesumptio stat pro libertate usque dum obligatio legis sit saltem facta probabilis ».

4. *Quod ad systema compensationum,* 1. Cum conscia legis obligantis violatio sit peccatum non tantum materiale sed vere formale, dum « compensatores » probabilistis mere obiciunt permissionem peccati *materialis,* ultro fatentur nullam ex ipsa mero probabili lege oriri obligationem, sed tacite provocant ad superiorem legem quae vetaret permissionem peccati materialis factam sine causa proportionata : quae lex ipsis demonstranda remanet. 2. Nec semper peccatum materiale apprehendendum est. Cum enim lex obiective obscura non sit promulgata, saepe deerit ipsum fundamentum peccati materialis : lex quae inconscie violetur. 3. Etiam quando peccatum materiale adesse potest: vel agitur de lege positiva ; et tunc, secluso scandalo, eius non culpanda violatio nemini est nociva ; vel agitur de lege naturali, et tunc gravis ratio respondendi pro minima obligatione semper aderit ut excusans. Quaestiones enim huiusmodi non moventur, nisi quando quaedam seria utilitas ordinis praesentis saltem temporalis observantiam legis dubiae reddit difficilem. 4. Nec umquam, si stricte loquamur, *proprie permittitur peccatum materiale.* Is enim effectus proprio permittitur qui praevidetur secuturus. Hic non praevidetur nisi *fortasse* secuturus. Potius igitur permittitur periculum peccati materialis. Quomodo umquam demonstrabunt huiusmodi permissionem, sub gravi, sine proportionata causa vetari, si levis tantum est de se obligatio eum monendi qui materialiter sed certo legem naturalem violat ? 5. Denique systema non habet usum universalem. Quid enim, si ipsa proportionata causa probabiliter tantum adsit ?

De systemate isto haec habet d'Annibale, I, n. 2G3, nota 1 : « Fundamentum (novum prorsus) quo totum hoc aedificium superstructum est, nutat profecto ».

Verum, ut observat Bouquillon (1), id facto voruin esse potest, ut cuidam compensationi locum demus. Cum certitudo moralis lata, quae requiritur et sufficit ad prudenter operandum, satis indefinita sit, et aliquando vix in infimo gradu exsistat, consideratio *momenti* legis valere poterit ad practice affirmandam obligationem quae vix sit moraliter certa ; et, o contra, consideratio difficultatis sive extrinsecae sive etiam intrinsecae valere poterit ad practice negandam obligationem quae sit fere moraliter certa ». Atque otiain, ut videbimus, solutio logis particularis minime hominem absolvit a communi debito observandi generales regulas actionis honestae, sive obiectum, sive motivum, sive modum honestatis respiciant.

359. — II. Verum systema morale statuitur. 1. *Ad praecavendus autem argumentorum fallacias, ista probe animadvertenda sunt:*

a) *Discrimen inter rem manifestam et veri similem.* Cum res quaedam manifesta est, aeque dici potest : *res* videtur, eius *evidentia* cernitur ; sed cum res verisimilis tantum est, veri similitudo quidem sed nullo modo ipsa res cognoscitur. Quare nequaquam dici potest : ad rem propius accedit qui eam quaerit ubi magis veri similo est fore ut reperiatur, cum, contra, fieri possit ut magis ab illo loco distet quam a loco ubi quaerens nunc se sistit ;

b) *Hominem nullo famulatu divino liberamus.* Quem ab aliqua definita obligatione liberamus minimo immunem facimus a generali famulatu divino quo homo, omni sua actione, Dei gloriam procurare iubetur. Capax enim est homo ad ordinem quendam in rebus tam suis quam alienis rationali suo appetitu constituendum (2). Et dum sic, tamquam subordinatus ordinator, quaedam apte disponit, divinam laudat Maiestatem, cuius perfectiones manifestat et in quam

(1) *ThcoL mor. fundament.* η. 297.

(2) « Homo, ut sapientissime scribit Leo XIII, Enc. *Berum novarum,* 15 mail» 1891,... sub lego aeterna, sub potestate omnia providentissime guber· nantis Dei, seipso gubernat providentia consilii sui ·.

etiam libéras suae actiones referre potest. Servit itaque Deo etiam qui agit quod nullo praecepto divino agere iubetur. Ceterum, in fine vel modo cuiuslibet actionis, observandum quodpiam praeceptum necessario occurrit ;

c) *Impossibilis esi perfecta concordia inter intellectum et voluntatem.* Inter intellectum et voluntatem concordia quidem procuranda est. Sed dum conscientia directa obligationem *affirmare, negare* potest vel de ea *dubitare,* voluntas non potest nisi facere vel omittere, nec actum perfecte cum dubitatione congruentem habere potest. Inde, si, quotiens conscientia incertam refert obligationem, totiens ligatam pronuntiaveris voluntatem, nimium exigere videberis ; nimis parum, autem, si eam totiens ab omni vinculo .absolveris. Haec discrepantia intellectus et appetitus quaestioni de systemate morali tandem aliquando locum dat (1): iste eius nodus expediendus est ;

d) *Quomodo devenitur ad opinionem.* Sola rei evidentia cogitur intellectus. Quare assensus opinativus semper voluntate determinatur (2). Haec autem ratione *boni* movetur (3). Si itaque non aliud bonum quam veritas quaerendum se offert, homo in partes magis veri similes inclinabit. Verum alia bona sunt, aliae utilitates ordinis quoque humani, propter quae aliud prudenter statuimus agendum esse ac partes quae magis veri similes sunt suaderent. Consideres istud practicum discrimen.

Si certa ruina, certum naufragium, certa latronum invasio prospiciatur, nemo prudens pecunias negotio vel navi commiserit, vel inormis iter fecerit per vias quas latrones obsessas teneant. Si vero haec moraliter non constent, propter magnam ut ilitatem, magnum bonum consequendum,

(1) Hanc, quam ad cardinem rei pertinere putamus observationem, mutuamur a quodam professore theologiae dogmaticae.

(2) Cf. 2, 2, q. 1 art. 4, c ; q. 2 art. 9, o. et ad 2.

(3) Itaque elemento quod addit voluntas tribuendum est, *opiniones* exsistere contradictorias. Et sic lit ut probabilitates non se mutuo excludant, sicut ipsae opiniones contradictoriae. Et quia nulla opinio falsitatem oppositae opinionis necessario infert, fit etiam ut nullae dentur opiniones *proprie* contradictoriae, quamvis dentur opiniones contradictoriorum Cf. R. P. Munzi, *Looica,* n. 294.

prudenter fortuna tentabitur, quamvis minor sit spes successus quam cladis vel infortunii. Mens agentis ad contrariam probabilitatem considerandam se convertet. Sane sibi non dicet : censeo futurum esse ut navis pereat, ut latrones me opprimant ; sed potius hoc altero modo ratiocinabitur : seria est probabilitas evadendi naufragium vel manus latronum, et periculum utilitate redimitur ;

e) *Nulla vis intellectui infertur.* Qui partes minus probabiles amplectitur nullam vim sibi inferre debet ut illas falso aestimet magis veri similes ; sed satis est ut eas practice tutas indicet quia probabiles.

360.— 2. His praemissis, sit haec *simplex probabilismi demonstratio.* Omne praeceptum divinum vel certo constat vel incertum est. Praecepto *certo,* etiam si moraliter tantum tale sit, tenemur: hoc indubium est. An etiam incerto?

Si tenemur, frustra varii gradus dubitandi distinguuntur ; sed donec moraliter constet abesse praeceptum, partes praecepti, seu tutiores, amplectendae nobis sunt. Si vero incerto praecepto non tenemur, iterum, omissa omni alia distinctione, liberam optionem servabimus, donec moraliter constet praeceptum re vera haberi.

Ratio autem dubitandi de honestate liberae optionis ex solo periculo hauritur violandi, si secus agas atque probabile praeceptum indicaverit, sive praeceptum divinum quod fortasse exsistat, sive ordinem moralem qui divinis praeceptis sancitur.

Sed si res propius consideres, nulla praecepti violatio timenda est. Divinum enim praeceptum voluntatem dicit divinitus homini subdito intimatam et proin per se notam. *Incertum* autem *praeceptum per se ignoratur.* Etenim sola eificaci probatione res ipsa, quae dicitur vera, cognoscitur; qui vero rem ut veri similem didicit, non ipsam rem, sed mere eius apparentiam, quandoque fallacem, cognoscit. Quare praeceptum incertum pro nullo habendum est.

Secluso autem praecepto divino, de periculo agendi contra ordinem moralem solliciti esse non debemus. Quibus enim limitibus praeceptum divinum, iisdem cura vi-

tandi materialem eius transgressionem continetur (1). Undenam legem generalem quae plus exigat demonstres promulgatam ? Hoc praeterea positive addere possumus. JRectus ordo postulat ut, cessante praecepto, homo optiones liberas servet, quibus actiones saltem *formaliter* bonas efficiat. Materialis igitur transgressio a Deo permittitur propter bonitatem istius libertatis humanae (2). Denique, si maior cura necessaria nobis foret, ne quidem cum actio nobis certo honesta videtur anxiam sollicitudinem deponere permitteremur : errare enim humanum est. Multo minus illud liceret cum opinio honestatis est tantum probabilior vel probabilissima : manent enim tunc positivae apprehensiones violationis materialis.

Hinc quoque perspicitur quid respondendum sit obicienti, in casu proposito non minus quam obligationem, ipsam licentiam agendi directe saltem ignorari. Id ultro fatemur. Sed licentia agendi demonstrari non debet, propter principium communiter admissum: *licet quidquid non prohibetur.* Physica enim optandi facultas, variae sollicitationes quibus ad agendum impellimur, bonitas quae per se in actione qua tali inest (3), ipsum obiectum formale (bonum) sub quo omnia appetimus, moralem agendi libertatem probant, nisi obstet vetitum divinum quod ratione humana cognoscatur.

Quocirca *falluntur* quoque *qui,* ut C. d'Annibale, *legi et libertati aequaliter favendum esse putant,* ac proin aequiprobabilismum tuentur. Lex enim si est, semper praevalet libertati quam tollit ; si autem dubia est, sensus communis cum omni iure dicit, non quod interdum pro lege interdum pro libertate respondendum sit, sed simpliciter : in dubio pro libertate respondendum est, vel : lex dubia non obligat (4).

(1) Qui hoc nogarlt, Deo imputare debet ordinem moralem uou satis sancitum.

(2) Haec est directa refutatio tutiorismi et systematis compensationum.

(3) Cf. SERTILLANGE8 op. c., p. 43, n. 1 ; p. 45, n. 4.

(4) ‹ In obscuris, minimum est sequendum ». R. I. 30 in 6®. Cf. D'Annihalf:, *Summula,* I. 162.

Fac advertas demum, ordinem quem homo libera sua electione constituat meliorem seu sublimiorem in se esse posse quam illum cuius observantia ex systemate severiore ipsi immerito imponeretur. Contraria enim probabili vel probabiliori obligationi electio voluntate nostra in optimos fines caritatis, salutis proximi, dirigi potest.

Hactenus simplex rei expositio et tamen adaequata consideratio. Re vera enim ad duo genera, non ad plura, pertinent indicia speculativa de honestate actionis : vel certa sunt vel incerta.

3. *Quid autem ei varios gradus discernere velis ?* — His tamen qui observare volunt varios gradus quibus res non demonstrata, si oppositae comparetur, esso potest magis vel minus aut etiam aequo veri similis, sic responderi potest.

Sane, prima quidem specie, se offert istud genus ratiocinii. Homo veri studiosus, cui plena desint argumenta, secundum magis veri similia opinabitur. Si autem argumenta contraria ponderis fere aequalis esse videantur, tunc dubius, anceps et quasi suspensus animo inter utramque partem manebit.

Sed, ut iam monuimus, studium veri non est solum bonum quo ad agendum movemur. Atque in omni vitae usu, practica quidem indicia secundum proprie dictas persuasiones speculativas diriguntur; sed quando agitur de incertis conclusionibus, saepe, ob iustam causam, a partibus quae magis veri similes sunt, prudenter receditur. Exempla supra vidimus, n. 358, 3; 359 d.

In re autem morali statim hae quaestiones menti oboriuntur : Prudens erroris formido opinione non excluditur ; incerta ergo est obligatio, incerta quoque honestas, quae magis veri similes praedicantur. Cur itaque eodem modo agere debeo sive certa sive incerta obligatio fuerit ; cur eodem modo agere licebit sive honestas certa sit sive incerta ? Tunc enim tantum quando certa est obligationis affirmatio vel negatio, actio vere cum mente congruit ; sed quando obligationis affirmatio vel negatio incertae sunt, obligatio nimis severe imponi, nimis benigne relaxari videtur.

Considerato solo statu mentis opinantis, his quaestionibus satisfieri nequit ; certum argumentum desideratur, quo efficiatur opinionem speculativam sufficere ut secundum eam agere debeamus vel possimus. Et sic revocantur principia reflexa supra appellata : neminem lege non promulgata tenori ; neminem praecepto adigi cuius scientiam non habeat. Diversa autem principia do

elisione probabilitatum vel do possessione iam explosa sunt. Porro principia priora nullam distinctionem inter varios gradus probabilitatis permittunt (1). Ergo redeundum est ad simplicem et logicam divisionem qua certum iudicium speculativum ab incerto separatur.

4. Hoc brevi quoque ratiocinio uti possumus. *Certo honesta ac proin practice tuta est actio quae practice nulla lege prohibetur. Atqui* actio cuius liceitas est speculative probabilis nulla lego prohibetur. *Ergo* est certo honesta, ac practice tuta.

Probatur maior. Sicut supra diximus : cum libertas nostra ordinem non tollat, cum agere sit per se bonum, cum sub specie boni omnia appetamus, cum ad quaerendum bonum proprium ultro feramur, tenendum est cum sensu communi : licere ea quae non prohibentur.

Probatur minor. Actio non vetatur lege particulari cui actio est tantum probabiliter conformis : huius enim legis non habetur scientia aut imputabitis ignorantia ; lex autem ipsa non potest nisi medianto certa cius cognitione ad nos pervenire.

Nec vetatur logo generali qua prohiberetur quidquid probabiliter tantum non est contra legem particularem. Namque generalis illa lex non demonstratur, nec proin promulgata est. Similiter ratiocinatur R. D. De Bock, *Tract, fundam, theol. mor.2,* n. 223.

Confirmatur thesis, a) considerata humana natura eiusque fragilitate. Parum humanum videtur, ut fragilis homo incertas quoque seu probabiliter nullas obligationes implere moraliter debeat. Quare do lege humana, iam antiqua sapientia pronuntiabat, iura promptiora esso ad solvendum quam ad ligandum ; atque in dubiis esse pro libertate respondendum. Cf. S. Alpii., diss. 1765, c. 4, n. 35.

Confirmatur quoque b) logica necessitate optandi pro probabilisme vel pro tutiorismo, qui ab omnibus repudiatur. Etenim, vel stat principium : Lex quae post diligentem investigationem

(1) Ut possemus varios gradus distinguere, oporteret principia reflexa habere quibus distinguuntur : sed duo tantum habemus, quae distinctionem Istam ulteriorem non ferunt.

vere dubia apparet non obligat vel; principium: *Lex dubia non obligat* reicitur. Si verum est, demonstrat probabilismum. Si reicitur, logice nec probabiliorismus nec aequiprobabilismus admitti possunt. Ambo enim systemata permittunt ut respondeatur pro libertate cui opponitur lex minus probabilis, ergo simpliciter dubia. Nec dicant, moraliter certa est libertas, quando ei opponitur lex minus probabilis. Namque hoc gratis affirmatur, nisi recurras ad principium : *Lex dubia non obligat.* Logicam istam conclusionem esse, vix non concedit R. P. Prummer, *Manuale,* I. n. 346, 1.

N. B. C. d'Annibale multis exemplis demonstrat principium: Lex dubia non obligat, I. § 162, nota 21. Quod autem libertas legem praecedat, bene officit, § 261. « Sententia contraria, ait, a natura legis alienissima est... id licitum intellegimus quod lex non vetat, illicitum, quod lex prohibet u.

861. — Scholia. I. Quid senserit S. Thomas. Aetate S. Thomae, quaestiones istae de probabilismo non ponebantur. Quare nolimus illum tamquam formalem nostrae sententio patronum advocare. Satis nobis profuit, cum ipse formaliter docuerit nostra principia reflexa.

Haec enim habet: «Promulgatio ipsa necessaria est ad hoc quod lex habeat suam virtutem » (1). « Nullus ligatur per praeceptum aliquod nisi mediante scientia illius praecepti. Et ideo ille qui non est capax notitiae praecepto non ligatur, nec aliquis ignorans praeceptum Dei non ligatur ad praeceptum faciendum, nisi quatenus tenetur scire praeceptum. Si autem non teneatur scire nec sciat, nullo modo ex praecepto ligatur (2) ». «Cum dico conscientiam, non dico vel implico scientiam solummodo stricte acceptam, prout est tantum verorum, sed scientiam largo modo acceptam, pro quacumque notitia, secundum quod omne quod novimus, communi usu loquendi scire dicimur » (3). « Illud dicitur licitum, quod nulla lege prohibetur » (4).

3G2. — IL De unice probabili sententia. Opinio etiam esse potest *unice* probabilis, quae nulla gravi ratione impugnatur, nec tamen vere demonstratur. Partes minus tutas contra istam opinionem sequi non licet ; carum enim electio non foret prudens

(1) *Summa* 1, 2, q. 90 art. 4. — (2) De *veritate,* q. 17 art. 3. — (3) Ibidem art. 2 ad 2. — (4) In 1. 4. d. 15, q. 2 art. 4 solutio 2.

vel rationalis. Quare huiusmodi opinio practice moraliter certae assimilatur. Cf. Noldin, *Principia* n. 224, 5. Sed, ut in tradendis notionibus diximus, certitudo moralis hic late sumitur.

363. — III. Opinio probabiliter probabilis. *Quaeri* hic consuevit utrum ex opinione *probabiliter probabili* indicium practice certum do honestate actionis colligi queat.

Cum Ballerini-Palmieri (1) et Noldin (2), responsum ex verborum significatione pendere arbitramur. Si, qui sensus potior videtur, cum certitudine illa morali, late dicta, de qua n. 351, vel propter gravem rationem, nulla contraria gravi ratione impugnatam, affirmes opinionem esse probabilem, sane eadem tamquam vere tibi probabilis aestimanda erit.

Si vero ipsa probabilitas in seriam controversiam veniat, et motiva seria ex utraque parte cernas, ipsa probabilitas nobis incerta videtur, sicut incerta est lex quae seriis motivis affirmatur et negatur. Incerta autem probabilitas est probabilitas non visa, quae proin dubia tantum est nec sufficit.

364. — IV. Vis Praesumptionum. *Praesumptio,* ex consueta agendi ratione deprompta, in non paucis casibus probabilitatem efficit sufficientem cur, nisi gravis ratio positive obstet, secundum istam praesumptionem casum solvas. Regula ista, necessitate humana, ne vitam plenam anxietatibus agere cogamur, fundatur, et variis effatis continetur : « Ex communiter contingentibus, prudens fit praesumptio ». « In dubio standum est pro valore actus ».

Quare, qui diligens esse solet in accusandis peccatis, — in adimpienda paenitentia, — in recitando officio, — in repellendis tentationibus, dubium do accusato peccato, etc. spernere potest.

Perinde *neglegas dubia negativa* an contritionem habueris in confessione, an absolutionem dederis, immo an bene baptizaveris. Audiatur ipsum *Rituale,* de consecratione : « Si celebrans non recordetur se dixisse quae in consecratione communiter dicuntur, non debet propterea turbari... Si vero valde probabiliter dubitet se aliquid essentiale omisisse, iteret formam, saltem sub condicione. Si autem

(1) *Opiis IheoL,* **I, tr. 2, n. 190.** — (2) *Princip.* **n. 235, 2.**

non sunt de necessitate Sacramenti, non resumat, sed procedat ulterius ».

Simili ratione legitimum praesumitur mandatum a Superiore tibi datum ; purum, vinum quod in ecclesia tibi offertur ad sacrificandum ; bene positus, lapis altaris portatilis, ita ut, nisi specialis causa aliud suadeat, positiva investigatione abstinere queas.

§ 4. — DE USU PROBABILISMI.

365. — Proprius probabilismi locus. I. Probabilismus ibi propriam sedem habet, ubi *de sola actionis liceitate* agitur, considerata lege qua actio possit iuberi vetari, permitti. Tune, secundum ipsum ordinem a Deo sapientissime praestitutum, applicanda sunt principia : *lex dubia non obligat·, nemo ligatur nisi per scientiam legis* (1); ac propterea, qui probabiliter agit prudenter agit, quia nulli periculo se exponit offendendi in legem obligantem. Quare etiam tunc usus probabilismi est *semper licitus* seu legitimus : nulla exceptione coartatur.

Cum vero agitur de *probabilitate facti,* nullum hominum dubium removere potest periculum facti, sicut periculum legis violandae dubio iuris eliminatur. Quibusnam normis dubia facti regantur, mox infra dicetur.

Quae ergo afferuntur interdum *exceptiones probabilismo non sunt nisi apparentes,* inde subortae quia extra propriam sedem probabilismus appellatur.

366. — Quid agere melius sit. Usus opinionis tutioris non est semper moraliter perfectior. Perfectior per se est, ubi ad faciendum quod tutius est sola propria utilitas vel commoditas deserenda foret, non autem ubi propter alias rationes pars minus tuta eligitur. Si incerta sit obligatio restituendi summam viro qui ea abutetur, et velis eandem operi apostolico largiri, quisnam prudens arbiter restitutionem aestimabit moraliter perfectiorem ?

(1) Cf. d'Annibale, l. 1C2.

Immo usus opinionis minus probabilis esse potest *praeceptus*. Superiori enim iubenti secundum opinionem probabilem obtemperandum est, etiam si alia opinio subdito sit probabilior. Sic Superior prohibet ieiunium quo probabilius te astrictum existimas : ieiunare prohiberis.

36Î. — 1. Usus opinionis extrinscce probabilis. Opinio extrinsecc probabilis illi utilis esse nequit cui eius falsitas perspecta est. Praesumptio enim cedit veritati. Nec auctoritas extrinseca vim habet, nisi quatenus praesumptionem validarum rationum fundat. Ipse itaque tali opinione uti vetatur. Viro autem prudenti nec pertinaci vix accidet ut certo falsam indicet opinionem quae passim pro probabili habetur.

2. Ita dicimus s Item de obligationibus iuris *naturalis aut divini*. Cum autem de *legibus humanis* agitur, rationabiliter existimatur legislator non ultra urgere suam legem quam probati auctores illam intellegunt.

Quare, si prorsus falsam existimem benignam cuiuspiam canonis interpretationem, quae satis recepta est, secundum eam ipse agere non prohibeor. Sic, si principia consideremus, excusatio reservationis ex ignorantia petita, videtur omnino vana. In locis tamen ubi episcopus formali decreto controversiam non abstulerit, excusationem illam allegare eamque admittere quilibet paenitens vel confessarius poterit. Notissima enim controversia nos sinit ut silentium Codicis hactenus tamquam tolerantiam opinionis benignioris interpretemur.

3. *Confessarius* aut alius vir doctus potest *consulenti* respondere secundum probabilem aliorum sententiam, omissa, propria sententia, etiam si haec probabilior fuerit. Immo potest ei significare opinionem quam alii viri docti tamquam probabilem defendunt, quamvis ipse illam falsam iudicêt. Ac ius habet ad absolutionem paenitens qui talem opinionem sequi velit (1). Atque etiam si opinio cui

(1) lata confessarll obligatio confirmat probabiltemum. Cf. de Bock. 7 *hcol. fund.* n. 231.

paenitens adhaeret non sit probabilis nisi apparenter, dummodo paenitens in bona fide versetur, absolvi poterit : est enim dispositus.

§ 5. — De probabilitate facti.

368. — Principium tutioris partis. Cum facti periculum nulla probabilitate opinionis minuatur, dicitur *perinde esse in moralibus, agere et exponere se periculo faciendi.* Itaque nulla immediata applicatio probabilismi fieri potest ad indicia probabilia de variis factis. Igitur :

1. *Actione* quae *probabiliter damnosa* erit *proximo,* fere sicut certo damnosa abstinendum est, nisi excusationes vitandi damni *proportionate gravis* (proprii vel alieni) afferre possis. In qua tamen aestimatione distinctio periculi certi et periculi probabilis observari potest.

Nec probabilis honestas actionis confundi potest cum exsistentia mere probabili condicionis requisitae ad istam honestatem. Haec probabilis exsistentia actionem linquit practice dubiam, ac proin certo inhonestam. Sic venator in necem ferae cum vitae humanae periculo intendere vetatur; nec rem per fenestram cum periculo, etiam mere probabili, nocendi viatori proicere possumus.

2. *Necessitas salutis aeternae* consequendae postulat ut, sicopia habeatur, media non eligantur nisi quae certo (certitudine morali stricte accepta) sufficient. Qui probabilibus mediis contentus sit caritati erga se graviter derogarit. Hinc probabili tantum baptismo nemo contentus esso potest.

Solent hoc loco quoque allegare *prop.* 4 ab Innoc. XI *reprobatam·,* « Ab infidelitate excusatur infidelis non credens, ductus opinione minus probabili ». Verum damnatio non ita intellegenda est, quasi actum fidei elicere debeat qui non percipit religionem catholicam nisi ut magis probabilem. Hoc enim impossibile est, cum assensus fidei super omnia certus esse debeat. Sed iste est sensus. Dum per gratias successivas infidelis ad fidem attrahitur, non potest invitanti Dei gratiae resistere et ab inquisitione cessare, allegando probabilitatem quam tunc tribuit suae infidelitati;

multo minus id poterit si superstitio in qua natus est iam minus veri similis ipsi appareat. Vel, ut alio dicendi modo utamur, numquam, in nullo rerum ordine, probabilis fuisset haec sententia : «Licet adhaerere religioni quae minus probabilis esse cognoscitur». Nunc autem fieri nequit ut credenti credibilitas religionis sit tantum probabilis.

3. *Reverentia sacramento debita,* saepe etiam iustitiae et caritatis obligatio, exigunt ut certam sacramenti validitatem morali diligentia procuremus. Moralis ista diligentia ex sacramenti necessitate, dignitate, raritate, et ex facilitate vel difficultate obtinendi certitudinem pensanda est. Sic paenitentis dispositio, sinceritas vini pro Missa, veritas aquae pro baptismo inaequali ratione constare debent. Praeterea principium istud hoc altero temperatur : *sacramenta propter homines instituta sunt.* Quare, quotiescumque fidelium bonum curae valons sacramenti anteponendum videtur, hanc curam deserere ut bonum illud procures omnino licet. Itaque, propter omnino vitandum periculum idololatriae, dubiam materiam eucharistiae conficiendae conscio modo apponere, praesertim cum eucharistia necessitatem medii non habeat, numquam fas erit ; verum meribundo dubium baptismum, dubiam absolutionem conferre saepe oportebit.

4. *Iustitiae debito* desunt quotquot *medici* vel *chirurgi* medicamenta probabilia tantum adhibent, ubi certa praesto sunt. Ac gravius peccabunt, si incerta medicamenta simul noxia esse possunt. Nec, cum stricto proprii corporis damno, aegrotus iuri suo renuntiare potest. Quare ne quidem aegroto assentiente, medicamina explorandi causa tentare licebit, si vel vita vel sanitas multum inde periclitentur.

369. — Exceptiones quae usum probabilitatis facti permittunt. Nihilominus probabilitas facti honestati actionis sufficere potest :

1. *Ubi Ecclesia* condicionem valori per se requisitam sua auctoritate *supplere possit* et *velit.* Sic, « in dubio positivo et. probabili sive iuris sive facti, iurisdictionem supplet Ecclesia pro foro tum externo tum interno » (c. 209)

[368-369.)

2. *Accedente legitima dispensatione,* quae certain reddat honestatem. Sic, etiam cum agitur de legibus irritantibus et inhabilitantibus, « in dubio facti, potest Ordinarius in eis dispensare, dummodo agatur de legibus in quibus Romanus Pontifex dispensare solet » (c. 15).

3. Quando *nulla certa ratio obligat ad praecavendum periculum erroris* etiam materialis : ut periculum involuntariae effusionis seminis.

4. Quando, propter varias opiniones dc liceitate in tali vel tali casu, *probabilitas facti in probabilitatem iuris converti possit.*

Ita, non solum cum opus feceris quo *votum* probabiliter impletur ; cum horas canonicas eo modo vel tempore recitaveris ut legi probabiliter satisfeceris; sed etiam si probabile, non tamen certum sit, votum *de facto* fuisse impletum, breviarium fuisse recitatum, probabilis sententia te onere levatum existimat, quia obiigatio non supersit nisi incerta, et parum humanum foret te obligaro ad iterandum quod probabiliter iam praestiteris. Igitur, *propter hanc probabilem sententiam,* non autem quasi immediatus probabilismi usus se tunc offerat, practice nihil ultra facere debebis.

Quid, si obligatio iustitiae fuerit ? Dobotne iam nihil qui probabiliter solvit quod ex iustitia debebat, an saltem, pro rata dubii, supplere debebit quod fortasse non solvit ? Quamvis istud sensu quopiam honestatis probetur ac proin suadendum sit, et nobis speculative verius appareat, res tamen controvertitur ; et, propter discidium doctorum, debitor qui nihil supplero voluerit, se tutum existimare poterit.

Atque observes practice non referre sitne culpanda vel non actio unde dubium originem trahat. Sane via minus secura uti non licet ad debitam pecuniam creditori mittendam. Si tamen sic malo feceris, quam diu probabile sit pecuniam sic missam pervenisse, debitor nulla obligatione practice tenebitur.

370. — De simultanée usu probabilitatum oppositarum. Quaeri consuevit utrum probabilitatibus contrariis uti liceat necne. Et casus sequentes proponuntur :

a) Duo testamenta eodem formae vitio affecta ut ambo probabiliter valeant, probabiliter nulla sint. Licetne Titio, propter suam utilitatem, alterum pro valido, alterum pro nullo habere ?

b) Testamentum informe est. Potestne legatarius legatum accipere quia testamentum probabiliter valeat ; onera vero quae legatario imponuntur non implere, quia testamentum probabiliter nullum sit ?

c) *Duo cibi* apponuntur in die qua *alteruter certo prohibetur* : sed uter sit distingui iam non potest. Licetne Titio utrumque (1), vel alterutrum sumere ?

d) Die ieiunii, Titius sententia utens quae horam prandii ad substantiam ieiunii pertinere negat, plenam refectionem mane sumit. Potestne vespere alteram plenam sumere, quia secundum severiorem sententiam, prandio matutino ieiunium istius diei substantialiter corruptum sit, ita ut observatio ieiunii illa die facta sit impossibilis 1

e) In nocte qua festus dies diem abstinentiae excipit (v. g. in nocte inter pervigilium Pentecostes et Pentecosten), Titius ex diversitate horologiorum probabile aestimat diem festum iam et nondum advenisse. Potestne carnibus vesci tamquam in die festo, et completorium recitare atque ad s. eucharistiam accedere quia, quo tempore carnes comedit, dies festus probabiliter nondum advenerat ·

Responsum. — Tn primis istud observandum est, quaestiones istas ad probabilismum nec proxime nec proprie pertinere. Si quartum casum de plena refectione in die ieiunii excipias, ceteri omnes directo allegant probabilitatem facti, et supponunt licere usum testamenti informis, cibi probabiliter (probabilitate facti) vetiti, et aestimationem dierum ex horologio privato. Hac suppositione facta, iam oritur quaestio : estne fas uti probabilitatibus contrariis. Moralitas enim actionis quae istis probabilitatibus utitur directe examinanda est. Eiusque bonitas vel malitia certae esse possunt, vel esse incertae sed probabiiles. Singuli itaque casus perpendendi sunt.

a) Duo testamenta sunt duae causae numero plene distinctae. Aliunde autem constat licere Titio ut, pro arbitrio vel utilitate sua, ambo testamenta pro validis vel invalidis habeat. Dum ergo alterum tamquam validum alterum tamquam invalidum tractat, binas optiones facit quae, separatim sumptae, hones-

(1) Quast de utroque cibo successivo pronuntiet, cibus iste probabiliter licitus est.

tae sunt. Et quia nullo vinculo inter se coniunguntur, utriusque honestati nihil officit.

Scandalosa tamen optionis varietate, quae parum honestis motivis imperetur, abstinendum est. Recta praeterea iustitiae administratio postulat ut index jurisprudentiam suam sine ratione ne mutet ;

b) Nulla opinio probabilis permittit ut legatarius testamentum simul tamquam validum et tamquam invalidum consideret. Ex duabus enim sententiis in hac re prolatis, altera testamentum valere totum, cum legatis et oneribus, altera testamentum totum corruere dicit. Itaque legatarius optionem facit cuius honestas nequaquam probabilis est;

c) Sic dicendum arbitramur. Probabilitas *facti* : veri simile est ut cibus talis sit esca quam certo vetitam novi, serium periculum violandi legem creat. Quare valet illud : « Perinde est in moralibus facere et exponere se periculo faciendi ». Quare, nisi proportionato incommodo excuser, neutro cibo vesci mihi licebit. Incommodum tamen benignius accipi potest quam si cibus certo illicitus apponeretur.

Erunt tamen qui diversimode sentiant. Plerique mixtas utroque cibo epulas prohibitas dicent, quia pulmentum came et pisce compositum certa lege vetatur. Omnes quoque eum damnabunt qui corpora quidem separata esse sinat, sed confusionem inter illa artificiose induxerit : legi enim fraudem facere vetamur. Si autem confusio casu acciderit, alii usum partialem alii usum totalem successivum permittent;

d) Titius prandium matutinum sub sola ratione *unicae* refectionis honeste eligere potuit. Qua electione alterum prandium excludebatur. Ambae praeterea opiniones de ieiunio id commune habent ut unicam tantum refectionem plenam permittant. Dum severior opinio prandium matutinum sub gravi prohibet, nequaquam alteram plenam refectionem agenti secundum benignio-rem permittit. Quare haec Titii calliditas nulla probabili ratione defenditur ;

e) Difficultas accurate cognoscendi tempus causa est cur, deficiente certiore indicatione, ex horologiis etiam privatis tempus aestimare liceat. Inde fit ut horologia, improprie tamen, dicantur esse doctores probabiles (1). Communissima porro sententia,

(1) Cui unum tantum praesto est horologium, is hoc sequi debet ; neo, nisi forte agatur de uno momento, praesumere potest horam tardiorem altero bono indicari. Absente enim alio doctorc probabili, solum qui adest sequi debemus.

quam C. de Lugo (1) valde subtili ratione edicere conatur, sic casum Titii solvit. Titius carnibus vesci non potuit nisi quasi in die festo. Cibus autem die festo sumptus sequentem communionem illo dic prohibet. Ergo esum carnium et communionem simul eligere ipsi non licet.

Re vera tamen respectus utriusque ieiunii, ecclesiastici et eucharistici, diversi sunt et per se separari possunt. Cur conjungendi sint in diei aestimatione l Desideratur argumentum intrinsecum. Summum illud dici potest: propter materialem utriusque causae affinitatem et quasi convenientiam, rationabilis mens legislatoris est ut coniungantur. Quae ratio satis debilis nobis videtur.

Sane istud permittit ipse Leumk. I, 205 : Qui cibo indigens atque existimans feriam λΓΙ elapsam esse ideo carnes comedat et iuri communicandi renuntiet, si postea altero horologio, quo aeque fidere potest, moneatur se probabiliter foria VI comedisse, potest, errorem suum corrigendo, propositum suum mutare et mane SS. eucharistia refici.

Nec eum damnabimus qui discrepantia, horologiorum utens, carnes comedit quasi in die festo et completorium recitat quasi in pervigilio. Cur distinctis actionibus distinctae probabilitates applicari non possint ?

3TI. — De tempore neutrali. *lies etiam benignius indicandae sunt, ubi ipsa lex variam temporis optionem permittit.* Canon 33, § 1 hoc permittit : « in privata missae celebratione, in privata horarum canonicarum recitatione, in sacra communione recipienda et in ieiunii vel abstintiae lege servanda, licet alia sit usualis loci supputatio, potest quis sequi loci tempus aut locale, sive verum sive medium, aut legale sive regionale sive aliud extraordinarium ». Ac menti legislatoris consentaneum putavimus ut amplam istam facultatem ad indulgentias quoque et requiem festivam traduceremus *(Summa novi iura,* n. 19. Cf. quoque Claeys Bouuaert, *Selecta capita Codicis,* n. 15).

Ista dipositione videtur nobis legislator pro variis istis actionibus seu officiis tempus induxisse *commune* inter duos dies vel duas diei partes, quod, quasi neutrale.

(1) *Dc Eucharistia,* 3, 15, n. 47, 52, 53.

utrique diei vel parti diei tribui possit. Quare nihil prohibet quin secundum tempus *verum,* breviarium recites, legem abstinentiae secundum tempus *medium* observes, et secundum tempus *legale* ad ieiunium eucharisticum attendas.

Articulus II. — De Conscientia negative dubia.

372. — Casuum propositio. Illud probe tenendum est. Ex qua parte dubium est negativum, nulla habetur ratio, saltem seria, quae indicium probabile fundet ac proin appetitum rationalem prudenter dirigere queat. Quare, ut supra, n. 362, vidimus, opinio unice probabilis, practice ad moraliter certam accedit ; et dubia negativa *iuris,* sive agatur de primo initio vel de cessatione legis vel de eius significatione, sine usu morali sunt, seu contemnuntur. Inde securum esse diximus qui ex habituali diligentia sua, pro confessione integre facta, officio toto recitato, etc. argumentum habet positivum quod solo dubio negativo impetitur.

373. — Verum non raro fit, cum dubium est *facti,* non iuris, ut *utraque pars sit negative dubia.* Sic dubium *iuris* est: fuitne an non talis lex revocata, et canon 23 sapienter statuit : « in dubio, revocatio legis exsistentis non praesumitur » ; sed, quod accurate observandum est, in dubio *facti* versarpur quando quaeritur : *estne hodie an non feria VI qua obligat lex abstinentiae.*

Iam vero, quando nulla ratio affirmandi vel negandi praesto est, sunt qui ex principio possessionis casus huiusmodi solvere velint. Sic Sanchez (1), plures alii atque etiain Noldin (2), qui tamen fatetur in dubio negativo facti saepe difficulter intellegi quaenam pars possideat, ita ut alia potius principia adhibeantur. Quare, ut illi existimant, si negative dubites utrum dies abstinentiae inceperit annon, abstinentiae lege non teneberis ; teneberis vero si dubites utrum desierit annon : quia in priore casu libertas, in altero lex possideat. Supra, frustraneam esse osten-

(1) De *Matr.* l. 2. d. 11. n. 32. — (2) *Principia,* n. 218.

dimus illam appellationem principii possessionis extra materiam iustitiae. Non nulli casum propositum eodem modo solvunt, quia, ut aiunt, factum non praesumitur sed probari debet. In dubio itaque de incepta die obligatio abstinentiae probanda est ; cessatio, contra, obligationis probanda est in dubio de linita die obligationis. Ita Laymann, *Theol. mor.* l. 1, tr. 1, c. 5, n. 36; Noldin, *Principia* n. 249.

Verum ratio effati quo innituntur hic deficit. Cur factum non praesumitur sed probandum est ? Quia factum de se indicia positiva linquere solet, ita ut si haec deficiant, iam veri simile fiat factum non advenisse. In casu autem proposito, dum tempus aequabili modo decurrit, nec initium nec finis obligationis peculiaria vestigia relinquunt. Sed, hoc etiam praetermisso, si rem accuratius consideraveris, initium, finis obligationis abstinentiae non tam sunt facta quam consectaria moralia quae conectuntur certae horae. Verum dubium istud est : estnc hora 1la, ante mediam noctem, an la post mediam noctem. Sic autem apparet ex utraque parte factum esso incertum, ita ut principium : factum non praesumitur, vere applicari nequeat. Porro, sive nox sit qua dies abstinentiae incipiat sive nox sit qua cesset, dubium omnino idem est ; res objective eodem prorsus modo se habent, ita ut sensus communis duas diversas solutiones repudiare videatur.

3T4. — Solutio ex mente legislatoris. Magis in universum, itaque, dicemus quod Laymann de solo ieiunio eucharistico, l. cit. n. 36, insinuat, casus seu dubia iuris quibus dubia facti, ex utraque parte, negativa occasionem dant, solvendos esse *secundum mentem,* prudenter colligendam, *legislatoris.* Ex mente autem legislatoris, hanc distinctionem adhibendam arbitramur.

1. *Ubi agitur de lege humana mere prohibente, et nulla ratio iustitiae vel caritatis obligat ad praecavendum periculum erroris materialis* (v. g. de lege vetante communionem non ieiuno, esum carnium tali vel tali die) legislator in benigniores partes sino incommodo propendere potest. Et quia iura promptiora esse dicuntur ad solvendum quam ad ligandum, partes istas vere secutus esse prudenter existimari potest. Quare :

a) In dubio invincibili utrum necne post mediam noctem comederis vel biberis quidpiam, te communione non prohibitum

1372-374.]

indicabis. Accedit haec altera ratio in casu communionis, quod, hodie praesertim, causa haec maxime favorabilis est. Cf. de ista re S. Alphonsüm, l. 1, η. 38.39 ; et l. 6, η. 282.

Neo damnandus est qui, in illo dubio, siti vel fame invitatus, comedit vel bibit. Si morale medium habuerit cognoscendi horam, investigationem neglegere honeste non posset nisi renuntianda communioni. Postquam autem hoc *sincere* fecerit, i. e. renuntiaverit communioni, si dein ratio vel devotio specialis illi communionem suadeat, accessu ad s. mensam prohibendus non videtur;

b) Minime laudamus, ut patet, qui tempus quo negative dubitet de obligatione ecclesiastica v. g. abstinentiae consulto seu sine ratione eligat, v. g. ad carnes manducandas.

Sed qui, postquam, pro copia examinis quae moraliter praesto est, rem exploraverit, dubitat utrum necne 12" noctis hora audita sit, benigniores sibi partes rationabiliter eligere potest, sive de abstinentia, sive de ieiunio, sive do labore servili in festis prohibito agatur.

2. *Ubi vero praeceptum aliquod positive implendum est,* vel ad certum officium vel usum *condicio positiva praescribitur,* oportet ut probabili saltem ratione occasio praecepti implendi habeatur, vel condicioni requisitae satisfieri possit. Hoc, bono communi, cui legislator mentem suam aptat exigitur. Quare :

a) Tempus quod lege praecipiente definitur aptum officio positivo implendo, v. g. horis canonicis recitandis, probabiliter saltem adesse debet. Ideo S. Alph. ut benignam suam solutionem dubiorum de servato ieiunio eucharistico defendat, ex eo arguit quod agatur non tam de loge positiva ieiunium exigente quam de lege prohibente, quae vetat ne non ieiunus accedas. Cf. l. 1, n. 38;

b) Qui dubitat negative do *aetate sua,* utrum necne annos compleverit quibus ordinem sacrum recipere, beneficium adipisci, matrimonium celebrare possit ; vel ordinem sacrum vel beneficium adipisci vel matrimonium celebrare vetatur. Condicio enim positive requisita ad ordines vel ad beneficium vel ad matrimonium, probabili saltem ratione demonstranda est. Namque bonum commune postulat ut idonei tantum ordines recipiant, beneficium assequantur, matrimonium contrahant.

3. Denique *si legislator subditos, condicione posita, lege astrinxerit,* quamdiu condicio ista positive non constite-

rit, subditi loge non tenentur. Bonum enim commune quoque postulat ut onus non imponatur nisi certum. Quare qui dubitat utrum necne viginti unum annos natus sit, ieiunare non debebit.

SUMMARIUM.

375. — I. *De notionibus. Moralité,r certum* dicitur proprie quod ex indole et moribus hominum constat ; et magis stricte, si exceptio in casu particulari excluditur ; minus proprie, de re quao ita veri similis est ut sola absit positiva ratio dubitandi. Quare moraliter cortae assimilatur opinio unice probabilis positivo, quae nulla gravi ratione impugnatur. Diverso usu, moralis certitudo dicitur adhaesio, etiam firmissima, quao voluntate imperatur, ut est ipsa adhaesio fidoi supernaturalis.

Probabile vero est quod tali motivo innititur quo, etsi sit falli bile, vir gravis in assensum inclinet. Motivum potest esse rei intrinsecum, vel extrinsecum : auctoritas doctorum. Haec fundat praesumptionem inotivi intrinseci, atque causa esse potest cur humanus legislator propriam legem secundum receptas opiniones temperet.

Dubium *positivum* converti potest in opinionem seu assensum cum formidine oppositi. Assensus iste fit imperante voluntate, nec plus perceptae veritatis continet quam dubium ipsum.

Pro gradu probabilitatis, duae sententiae possunt esso moralitor aequalis probabilitatis; vel una potest esse magis quam altera probabilis. Sed probabilior potest essofalsa, vera autem, minus probabilis, ita ut sequenti probabiliorem non possit dici: magis accedis ad veritatem.

Soli periti theologiae vel scientiae a qua solutio pendet, de *intrinseca probabilitate* sententiae *iudicare* possunt ; de *extrinseca,* legendo auctores probatos, etiam *modice doctus* pronuntiaro potest. *Extrinscce probabile* est quod plures viri periti, qui rem examinarunt probabile dicunt ; immo quod unus prudens, si rem penitius investigaverit ot addat non spernendam rationem. *Dubia* autem *probabilitas* sententiam prudentem fundaro nequit.

Probabile indicium do honestate actionis suae indocti plerumque ex auctoritate aliena sibi comparabunt ; et nemo dobot perso omnia intrinseco examinaro, sod omnes probatis auctoribus fidero possunt.

Tuta dicitur pars quam quis sine peccato formali amplecti

potest ; *tutior* vol mintu *tuta,* opinio, prout stat pro obligatione vel pro libertate.

II. *Varia systemata. Systema morale* dicitur proposita via perveniendi a dubio speculativo ad practice tutam rationem agendi.

Quia necessario fit ut impervia nobis sit certitudo directa de actionis honestate vel malitia, et quia non est triplex conclusio practica voluntatis sicut est triplex status mentis, quae potest affirmare, negare et dubitare, ideo necessario recurrendum est ad certa quaedam principia (reflexa) quae voluntati certam nonnam practicam offerant.

Rigoristae omnem actionem damnabant cuius honestas non demonstraretur saltem probabilissima.

Probabilioristae (plures Fratres Praedicatores) actionem negant esse honestam, nisi eius honestas sit saltem certo probabilior.

Aequiprobabilistae (Patres C. SS. Redemptoris et plures alii), permittunt praeterea ut, quando probabilitates sunt moraliter aequales, respondeatur pro libertate cum agitur de nova lege vel initio obligationis.

Probabilistae (Fratres Minores, PP. S. lesu et plurimi alii), quando quaestio immediate versatur circa actionis liceitatem, nsum opinionis solide probabilis semper permittunt.

Nemo theoretice est *larista:* practice fuit et esse potest qui vel tenui probabilitate contentus sit, vel nimis facile pronuntiet opinionem esse solide probabilem.

S. Alphonsus per maiorem vitae suae partem simplicem probabilismum tuitus est, quem dein dictis suis temperavit ut omnem laxismum magis excluderet. Adiunctis etiam coactus fuit minus perspicue sententiam suam aperire ; atque humilitate sua movebatur ut profitenda absolute opinione tunc valde impugnata abstineret.

Compensationis systema, usum opinionis probabilis non admittit nisi cum proportionate causa permissionem peccati materialis excusat.

Hodie magis theoretice quam practice supereat controversia.

III. *Refutatio et probatio. Rigorismus,* auctoritate exclusus, peccat negato principio do condicionibus necessariis ut lex vere obliget.

Probabiliorismus etiam errore decipitur elisionis probabilitatum contrariarum.

Aequiprobabilismus praeterea male applicat principium possessionis.

Systema compensationis peccat, quia non est semper locus timendo peccato materiali ; et semper ratio sufficiens adest permittendi periculum peccati materialis. Et quando compensatio videtur mere probabilis, alio systemate necessarie uti debet.

Probabilisinus simplex nititur his principiis certis : nullam esse legem non promulgatam ; et applicationem legis non haberi sine scientia legis, seu cognitione humano rnodo certa.

Logice debet esse quis vel probabilista vel tutiorista.

IV. *Probabilitatis usus.* Qui vere persuasus sit erroris opinionis communis, eam sequi non potest, salva benigna legislatoris humani mente, quae permittat usum interpretationis probatorum auctorum. Confessario tamen semper licet secundum opinionem quae probabilis habetur responsa sua accommodare. In actibus formaliter saltem diversis, nihil per se impedit usum simultaneum probabilitatum oppositarum, nisi priore electione altera virtualiter demonstretur excludi.

Ipsa autem lex, pro variis obligationibus positivis implendis introduxit tempus quasi commune duorum dierum, quod utri que diei vel parti diei tribui possit.

Dubia probabilitas securitatem practicam non praebet.

V. *De probabilitate facti.* Probabilismns nequit immediate ad *probabilitatem facti* applicari. Contra, hic valet principium : perinde esse in moralibus facere et exponere se periculo faciendi. Inde obligamur partibus tutioribus amplectendis. Excipe si legislator, ob dubium facti obligationem suam relaxet, vel si probabilitas facti in probabilitatem iuris converti possit, sive quia nulla sit obligatio praecavendi periculum erroris etiam materialis, sive probati auctores probabilitatem liceitatis actionis in his adiunctis affirment.

VI. — *Dubia negativa* iuris vel facti, per se contemnenda sunt. Cum utraque pars est negative dubia, solutio petenda est ex prudenter aestimata legislatoris monte. Quare lex mere prohibens non videtur urgenda esso ; condicioni vero positive requisitae saltem probabiliter satisfaciendum est. Si subditi condicionate ligentur alicui legi, lege non tenentur donec moraliter constet condicionem impletam esso.

1375.)

TITULUS IL

De conscientia habituali.

Utilitas istius tituli maxima est pro animarum directione seu ministerio pastorali.

Articulus I. — De conscientia recta et tenera.

376. — I. Quid recta conscientia. *Rectam* vocamus conscientiam quae de honestate vel inhonestate actionis habitualiter vero pronuntiat, secundum illa dictamina actionem suadet vel dissuadet, atque actiones factas pro merito laudat vel carpit.

Haec est conscientia *plene reda,* ad quam efficiendam intellectus cum voluntate concurrit. Indicia enim practice-practica imperantur voluntate.

Deminute reda dicenda est conscientia, cuius sola indicia speculativo-practica cum veritate congruere solent, ita ut practicae suasiones et consequentes affectus a speculativis visionibus discrepent.

II. Quid tenera. Perfectio conscientiae rectae est eius *teneritudo*. Tenera enim seu timorata dicitur, quae leves etiam honestatis vel inhonestatis rationes percipit, suadet vel dissuadet antecedenter, et consequenter probat vel reprehendit.

377. — Aestimatio. Maximi facienda est conscientia recta. Formaliter enim, quanto aestimanda est veritas, tantum laudis eidem tribuendum est; ac praetera suis iam iudiciis ac dein stimulis fons est bonitatis moralis.

Ut tenora autem, pretium habet auctum ingenii subtilis qualitate, et multis actibus bonis qui minus sensibilem stateram moralem non afficerent. Ac gratia quadam et florida venustate hominem decorat. Denique bona illa conscientia, cuius pedissequa est caritas (I Tim. 1, 5), animum

simul ineffabili vi roborat, ineffabili quiete pacificat, ineffabili suavitate laetificat. Etenim, quasi praecursor aeterni ludicis, praenuntiat sententias istas inconcussas, iniuriarum ultrices, quae insto ut in viis suis firmiter ambulare pergat, iniquitates praesentes compensant; atque aeternam largitionem imperturbatae pacis et felicitatis inchoare videtur.

3Î8. — Condiciones et acquisitio consc. rectae ct tenerae. Recta et tenera conscientia bonam supponit qualitatem tum *intellectus* tum *voluntatis : intellectus,* qui veris rationibus percipiendis et librandis sit idoneus; *voluntatis,* quae secundum res perceptas imperare audeat et velit. Dotes utriusque facultatis partim ingenitae sunt, partim tamen libera exercitatione acquiri possunt. Ad hunc finem valde conferunt studium veritatis et sinceritatis, cum exterioris, tum etiam interioris ; usus verborum alienus ab ab omni nimietate ; munditia cordis immunis ab affectibus minus ordinatis ; praeparatio voluntatis firmae ; fuga omnis peccati ex spiritu filiali. Delicata enim obsequia a servis et mercennariis, qua talibus, ignorantur, sed propria sunt filiorum.

Haec studia, non in nobis tantum sed maxime etiam in iis quorum curam habemus fovenda sunt : prudentis enim disciplinae et institutionis laetissimus fructus est bona conscientia. Atque in hoc ordine supernatural!, plurimum iuvabimur oratione : « Cor mundum crea in me Deus et spiritum rectum innova in visceribus meis » Ps. 50, 12.

37i>. — Precaria conscientia deminute recta. Vix umquam imperfecta seu deminuta rectitudo conscientiae servabitur. Etenim, omnis actio minus bona, sicut in aliquo errore intellectus radicem habet, sic etiam tendit in vitiandum seu obscurandum ipsum intellectum.

Nec appetitus diu tolerat oppositionem inter actiones et moralia nostra indicia. Quare conabitur applicare intellectum ad rationes istas considerandas ct aestimandas quae peccanti peccata extenuant vel excusant : i. c. paulatim intellectum pervertet.

Articulus II. — De conscientia scrupulosa (1).

380. — I. Variae notiones. 1. Dictus a lapillo aspero qui, calceum subintrando, molestum incessum efficit, *scrupulus* iam a Cicerone (Rose. Amer. 2, 6) in inquietam animi sollicitudinem transfertur. Est autem *objective,* ratiuncula quaedam levis et inanis, cuius solutio non invenitur, et ob quam actio vel praecepta vel mala foret ; aut, *subiective,* ipse consequens et anxiosus timor de obligatione vel actionis malitia.

Hoc itaque loco, *scrupulus* pro *morbida animae anxietate de obligatione exsequenda vel dc peccatis commissis* potissimum sumitur.

2. Scrupulositas *antecedens* dicitur quae, de obligationibus sollicita, actus futuros respicit ; *consequens,* quae, in peccatis haerens, actus praeteritos afficit.

Pro varia *origine,* est ingenita, haereditate transmissa, vel acquisita, quae institutioni, sociis, accidentali commotioni tribuenda est.

Pro varia *extensione,* est generalis vel particularis, cum anxietas in omni fere re deprehenditur, vel, contra, paucis argumentis, immo uno est circumscripta.

Pro varia *intensitate,* vel veros scrupulos continet, vel tantum scrupulorum inchoationem aut etiam reliquias apud eum qui a scrupulis convalescit. Haec deminuta scrupulositas quadam haesitatione vel formidine manifestatur.

Pro varia *permanentia,* diuturna aut brevis esse potest.

3. Scrupulositas *ad genus quoddam « phobiae » ascribi potest.* Is autem est formo eius processus. A fatiganto deliberatione do honestate actionis vel examino actionis factao initium habet.

(1) Plurce scriptores in Gallia et Italia do scrupulis corumquo romedis scripserunt. V. g. D.r Raymond, R. D. Toulemonde, R. P. Gemelli. Optimum opus, complectens, praeter partem communem, partem specialem ad usum confessariorum est : *L'Ange conducteur des dînes scrupuleuses ou crainlives.* Bruges, 1905. Laudatur quoquo Natale Tunco, *A uso dcgli ammalali, incdici c confessori.* Il trattamento morale dello scrupolo o doU'osaossiono morbosa. 2 vol. Torino, 1919 e 1920.

Postquam ad aliquam conclusionem tandem perventum est, sententiae sic laborioso obtentae mox interno contradicitur, variis, saepe miris obiectis rationibus, quae scrupulosum impellunt ad iterum iterumquo deliberandum do conflrmanda vel reformanda sententia. Denique, quasi necessitate coactus in actionem ruit : ea dicit vel patrat de quo anxio inquirebat ; confessionem instituit anxius do incompleto examine, de non elicito actu contritionis ; eucharistiam recipit, de statu gratiae minime securus. Hinc novus scrupulus quod egerit contra conscientiam, vel cum practice dubia conscientia.

4. *Notae scrupulosi.* Homini qui eos diligenter observat scrupulosi videntur in inveniendis et distinguendis rationibus *arguti* et quasi callidi ; in quadam suorum argumentorum aestimatione *pertinaces;* simul tamen in *conclusionibus* timidi, et quadam *diffidentia* sui suspicantes defectum verborum in proponendis difficultatibus, intellectus in capiendis vel interpretandis responsis, memoriae in retinendis vel consiliis datis vel praeceptis potissimum positivis, vel ipsis factis suis, ita ut de clausa a se ianua, de exstincto lumine, de horis recitatis, de missa audita dubitent ; ac maxime in proposito servandi pacem, silendi de scrupulis, omittendi novam rei inquisitionem, simpliciter oboediendi, *inconstantes* et *parum -firmi.*

In nullo principio generali vel in dialectica syllogismi seu ratiocinii textura, sed in applicatione principii ad statum suum vel ad facta sua, idest in «minore», laborant vel haerent ancipites, ita ut do qualitate motivi (vani, serii), diligentiae adhibitae (sufficientis, tenuis), causae ob quam omittere ieiunium. aliena gesta improbare, narraro liceat, et de qualitate status sui (tentationis superatae, admissae) pronuntiare ipsis molestum et quandoque impervium omnino sit.

Morbus itaque non est solius intellegentiae, sed etiam, immo potius voluntatis ; et, qua parte intellectivus est. minus discursivam rationem quam intuitiones afficit, non quidem altissimas, sed quibus vel facta aut singula aut simul collect;| directe, uno veluti obtutu, aestimanda et indicanda sunt.

Animus liberalis et fortis, sicut pusillanimis et ad se diligendum applicatus, cum scrupulis componi potest. Qua talis tamen, scrupulosus numquam generosus et magnanimis demonstratur, cum do reatu suo, de sua sorte futura, non autem do Deo amando, de iuvando proximo, de perfectiore bono inquietus sit.

Distinctio a nimio rigore. Cum anxietas, perturbatio quaedam animi ad scrupuli essentiam pertineat, scrupulus a propensione etiam nimia ad severitatem vel a tranquillis doctrinae aut indicii erroribus probe secernendus est, sicut a S. Ignatio in regulis de scrupulis ab his distinguitur.

381. — **II.** Scrupulositatis indicia. Haec a confessario, ex descriptione modo facta, facile erui possunt. Ipsi vero scrupuloso nulla molior demonstratio quam ex indicio prudentis sui confessarii peti potest.

382. — **III.** Theologia scrupulorum. 1. Homo qui ex apprehensione speculativa etiam in se spernenda, definite iudicarit actionem suam vetitam sibi esse aut dubiae tantum esse honestatis, laboraverit conscientia erronea vel dubia, quacum agere minime licet. Scrupuli tunc ipsum dictamen conscientiae ingrediuntur ; ex ipsis conscientia formata est. Verum iste non est casus scrupulosi qui ex monitione confessarii scrupulos suos contemnere iubetur. Ipse, etiam quando formidolose operatur, ultro formale hoc vel victuale indicium habet, scrupulum a se tuto neglegi posse. Quare ad ordinem phantasticum ascribendi sunt consensus quos dedisse dicat vel in pravam suggestionem interiorem, vel in propositum agendi utcumque se habeat actionis moralitas, vel in hanc conclusionem : « Peccabo et dein confessione peccatum expiabo ». Idest, phantasia ipsi assensum huiusmodi repraesentavit, ita ut se sic agentem quasi aspicere ipse sibi visus sit. Non secus tamen atque in somnio, istis suggestionibus vel propositis nullum liberum consensum dedit; de sola fortasse praevisa confessione hunc usum fecit, ut inde ad agendum contra scrupulos animosior evaderet. Quare scrupuloso qui, v. g. ex consilio confessarii, novit habitualiter dubia sua ab ipso contemmenda esse, fas est agere cum conscientia scrupulosa, seu manente scrupulo. Notitia enim ista ipsi certam conscientiam praebet. Immo sic agere *debet,* quia, cum in proxima eius potestate non sit ut scrupulum sibi auferat, manente scrupulo, non potest nisi : vel scrupulo concedere,

infirmitatem suam augendo, vires morales ipsamque libertatem minuendo; vel, bonam suam voluntatem ex impatientia mutare et formale peccatum amplecti, scrupulum hoc modo pedibus conculcando ; vel, voluntatem bonam servando, scrupulum ex probata regula spernendi dubia sua neglegere et superare : quae agendi ratio sola rationabilis, salutaris et honesta est.

2. Fieri quidem potest ut in processu rationum scrupulosarum scrupxdosi diu laborent, atque ita ex *pugna lassi* et *perturbati* sint, ut caeco modo in actionem ruant: tunc vero *libertate necessaria,* saltem ad graviter peccandum, *destituuntur.*

3. Simili ratione *pro ficticiis* haberi poterunt *promissiones, vota, blasphemies* quae non nulli saepe, immo paene cotidie fecisse vel dixisse somniantur. Haec audire vel aestimare, confessarius simpliciter renuat.

4. *Obligatio scrupulos impugnandi* adest et quidem gravis, ubi scrupuli cum officio status, v. g. parochi, componi non possunt ; vel ubi periculum satis proximum ruinae sive mentalis sive spiritualis inducunt. Iu subiectivum tamen reatum homo qui graviter est scrupulosus vix incurret ; dummodo cum infirma sua voluntate contra scrupulos in genere conari velit.

383. — IV. Scrupulorum medicina. Medicus huc potissimum spectare debet, non ut difficultates speculative solvat et intellectui satisfaciat, sed ut aegroti voluntati sufficientem audaciam vel fiduciam communicet vel restituat, et scrupulosus secundum sensum communem, cuius expers minime est, agere audeat.

Curatio porro duo haec stadia plerumque complectitur : inopi *immediatum subsidium* praestandum est, et iam ab initio praeparanda est *completa sanatio.*

1. *Immediatum subsidium* in hoc consistit, ut medicus sua voluntate suppleat quod efficacis imperii in aegroti voluntate desideratur. Ideo curare debet ut apud aegrotum *auctoritate* valeat. Quare : a) iuvabitur aestimatione qua scrupulosus ipsum habet tanquam probum et sanctum virum ; *b)* iuvabitur nomine

doctrinae ct scientiae. Existimationem istam medicus non minuet, ideoque sit brevis in explicatione consiliorum suorum, ne, inter allegata motiva, scrupulosus unum minus solidum reperiat propter quod de reliquis dubitare incipiat. Praecipue abstineat repetenda expositione quam scrupulosus fecit difficultatis suao vel casus sui: si enim scrupulosus aliquantisper fuse dixerit, vix fieri potest ut inter suam et medici narrationem aliquam non deprehendat diversitatem, undo casum non intellectum ac proin non solutum existimet ; c) medicus iuvabitur firmitate vultus, verborum et orationis : nihil haesitanter pronuntiet ; *d)* iuvabitur monopolio : caveat ne scrupulosus, alios interrogando vel libros consulendo, quandam observet discrepantiam sententiarum, propter quam medico suo diffidere incipiat.

Auctoritate sua *utetur* ad imponendas normas paucas, claras, breves, tales quae distinctionibus et exceptionibus vix locum dent. Has ad scrupulosi necessitates accommodatas proponet; et genere binae sunt : aliae materialiter et formaliter verae sunt ; aliae non sunt nisi practicae formulae ad emergendum e scrupulis, quas confessarius, ex nota sibi eius conscientia, scrupuloso praescribere potest.

1. *Theologia* porro scrupulosi haec suppeditat : *a)* Scrupuli incommodum sunt quod a pluribus obligationibus positivis vere dispensat : v. g. a materiali confessionis integritate, a praecepto correctionis fraternae ;

b) Etiam cum probabilitate erroris particularis, potest scrupulosus, sanitatem intendens, tamquam universalem considerare et sequi regulam qua per se ab honestate non recedit, et ad sanitatem plus vel minus plenam, ut spes est, perducetur. Ius enim ipsi est media efficacia et per se honesta adhibendi ad sanandum. Effectus autem erroris est accidentalis et, ob proportionatam causam, legitimo permissus.

His nixus principiis, confessarius, pro scrupulosi opportunitate, ipsum liberet ad omni sollicitudine monendi superiores, corrigendi aequales ; tempus maximum ipsi statuat scrutandi conscientiam pro confessione, vel omne examinis proprie dicti onus ipsi auferat ; accusationem sacramentaloin ad pauca puncta vel ad sola peccata exteriora reducat ; do praeteritis confessionibus ipsum silere iubeat.

2. A nulla sane lege naturali vel divina ipsum dispensare potest. Quare petenti : aPossumno pravis delectationibus adhaerere », formaliter non assentietur ; sed monebit ipsum ut a regulis doctrinalibus, sibi funestis, animum divertat, et practices sui

confessarii indicationes sequatur. Is regulis quibus scrupulosus impeditur alias, simpliciores et crassiores, substituet. Exemplo sint: « Nihil cura nisi quod tibi liquido constet sicut 2x2 = 4 ». « Omne quod dubium tibi videatur neglege, et iudica te dubitare, si quaeras utrum dubites an non ». « Solos actus exteriores cura, neglegendo quaestiones omnes de interno assensu, desiderio, etc. ». « Eligo statim sine deliberatione ». Immo, in casu magis extremo, paonitenti ceterum morato, possit hoc suadere : » Age quasi omni officio solutus sis, ita ut te invitatum tantum ad bene agendum reputes ».

II. *Medicatio.* Simul autem confessarius morbum radicitus extirparo conabitur, ne scrupulosus in perpetuum alienis consiliis mancipatum sit. Ideo :

1. Ad illuminandum cius *intellectum,* ipsum docebit, in rebus moralibus mathematicas probationes quaerendas non esso ; parum attendendum esso ad ea quae esse vel accidere mere possunt, sed probabilibus rebus providentiam nostram finiri; nec, cum iudicio intellectus, anxietatem, quae est in appetitu, confundi posse.

2. Ad roborandam eius *voluntatem,* ipsum universaliore ratione ad firmum agendi modum in omni re excitabit ; anxietatem quam in agendo experiatur neglegere iubebit ; propositum acris pugnae adversus scrupulos habere et fovero suadebit, ob has vel similes causas: quod scrupuli profectui animae et merito obshnt, nedum faveant; quod a multis bonis operibus, apostolicis praesertim, homines propter scrupulos praepediantur ; quod scrupulis nihil generosum, nihil nobile insit ; quod gratum Deo et Christo sit ut scrupulosum animum deponat ; immo quod istud facere debeat ; quod proinde magis tutus erit si scrupulos contemnat et expellat, quam si anxium esso et minutioribus rebus decipi se sinat,

3. Proderit saepe ut scrupulosus in multis robus occupetur : cum tunc multa mente volvero non vacet, et ipsa actionis promptioris necessitate compulsus, damnosam scrupulorum stultitiam agnoscat.

4. Fervore vitae non minus impelletur ad concipiendam maiorem fiduciam quae scrupidos contemnere audeat.

5. *Confessarius* scrupulosum ad casus suos per se solvendos paulatim perducet, vetando, v. g. no saepius quam semel vel bis in hebdomada aut in menso dubia proponat ; no ultra duo vol tria recitet ; suggerendo ut agat eo modo quem, in existima-

tionc sua, alii homines communiter tonerent, vel quern animae rector ipsi indicaret ; et omnem formidinem abiciat quam alii non viderentur ipsi experturi esse, aut quam pro vana et ridicula haberent.

Conversatio denique cum amicis qui boni et fortis animi sint, libri de viris heroicis et sanctis utilitate non carent. Immo physica corporis cura neglegenda non est. i

38-i. — Peior scrupulosorum causa. Dum cum scrupulosis piis et bonis ample agi potest, cautius ille moderandus est qui scrupulos cum vera tepiditate spirituali et veris peccatis coniungit. Huius causa longe impeditior est. Praeter regulas quae formaliter verae sunt, quibus v. *g.* a nimis molesta conscientiae discussione, a correctione fraterna eximitur, aliae dispensationes sine abusionis periculo saepe dari non poterunt. Quare utile erit quandoque consilium, ut moneatur multis molestiis ipse expediri posse si modo ferventius vivere incipiat; et a Deo peculiariter se invitari ut ex scrupulis occasionem fervoris hauriat. J

385. — De specialibus anxietatibus haec pauca addi possunt : 1

a) Qui de *horis canonicis* vel de precibus quibusdam nimis sollicitus est, bis, ob quamlibet causam, quidquam recitare prohibeatur ; existimetque iam a se recitatum esse quod timet ne omiserit. Et cum lex Ecclesiae cum magno incommodo non obliget, potest confessarius ipsi tempus praescribere in quo horarum recitationem concludat, ita ut quae forte supersint omittat; immo, si res id postulet, breviarii onere scrupulosum levare possit; 1

b) Anxius *de fide et spe,* ne laboret in actibus eliciendis, sed se divinae Providentiae simpliciter commendet et committat ; j·

c) Anxius de *praeteritis confessionibus*, de his non audiatur; 9

d) Anxius de *phantastica repraesentatione* vel *organica commotione* quam, aspiciendo honesta vel innoxia, patitur, ad mores hominum qui honesti sunt se accommodet^ et motus vel phantasias contemnat. I j

N.B. Scrupulosorum satis similes sunt plures qui, dum credere volunt, quadam difficultatum specie vel apprehensione turbantur. In utrisque anxietas dubiam conscientiam de honestate vel de fide minime efficit. In utrisque, causa formidinis saepe est quod ex solo intellectu seu ratiocinio quaerendam ducant certitudinem quae, in ordino morali et religioso, utraque facultate : intellectu et voluntate, obtinenda est: addas huc necessitatem gratiae. In utrisquo, praetor orationem, remedium saepe est in corrigenda et perficienda voluntate, ut firmior fiat, purior, nobilior in intentione ; in utrisque demum ipso imperio quo actio vel assensus fidei imperatur, certa conscientia de honestate vel fide per se demonstratur.

386. — V. Scrupulorum utilitas. Scrupuli temporariam utilitatem habent expiandi peccata et actiones temerarias, humiliandi et mortificandi hominem, purificandi intentionem, dum in ista desolatione viam virtutis et fervoris tenere pergit ; denique augendi experientiam suam psychologicam, qua scrupulosus, semel sanatus, aliis prodesse poterit.

Diuturni tamen scrupuli vires debilitant, multa bona impediunt, hominem ad nimis timidam et restrictam actionem deiciunt ; et desperatione quadam adducunt ut vitae perfectiori, immo virtuti renuntiet.

Articulus III. — De conscientia laxa.

387. — Notio. Conscientia *laxa* dicitur, tum ea quae sola gravia peccata curat, tum, magis proprie, quae, ex habituali dispositione, erronee vel ob leviorem rationem indicat, sive *ante actionem,* hanc licere vel saltem non sub gravi prohiberi ; sive *post actionem,* hanc malitia certe gravi Garnisse ex obiecto, imperfecta advertentia, nullo aut non pleno consensu, quando haec revera aderant. Inde est *antecedens* vel *consequens.*

388. — Regulae. Qui, ex prudentis confessarii moratione, se hoc conscientiae vitio laborare noverit :

«) Debet contra laxitatem niti, nisi gravem ignoran-

tiae reatum committere velit et de erroribus moraliter rationem reddere debere, quatenus in confuso praevisi sint. In quem finem prosunt studium reflexionis, seu maioris considerationis, piae exercitationes, oratio et frequens accessus ad sacramenta;

b) Exorta dubia diligentius quam ceteri explorare debet ante quam ea pro inanibus spernat ; et actu graviter peccat quotiescumque agat cum cognitione saltem confusa gravitatis peccati aut gravis obligationis magis inquirendi. Potest tamen ex ipsa sua praecipitatione, ob deficientem deliberationem, a gravi peccato excusari ; quod facilius in eo admittetur qui conatum ad emendationem vitii adhibere coeperit ;

c) Confessarius huiusmodi paenitentis consensum de quo is dubitat potius plenum fuisse praesumet. Nisi consensisset, « ne dubitaret quidem » (Lehmkuhl, I, 139). Simul ipsum de damnis sui status monebit, nec per se permittet ut in dubiis suis sacram communionem non confessus recipiat.

SUMMARIUM.

389. — 1. Plene *recta conscientia,* quae secundum veritatem responded, suadet et comprobat vel vituperat, in magno pretio habenda est. Eius perfectio est teneritudo. Deminuto recta, cuius suasiones a indiciis discrepant, est precaria.

II. *Scrupulus* dicit morbidam anxietatem, quae ad genus phobiae ascribenda est, et magis quam defectu intellectus, vitio seu infirmitate voluntatis explicatur. Valde differt a quieta propensione in severiora.

Scrupulosus se talem, ex iudicio confessarii aestimare potest. Ipsi licet, manento anxietate, agoro. Quamvis scrupuli, per aliquod tempus, utilitate non careant, obioctivam obligationem habet scrupulos eliminandi.

Curatio scrupulosi duo stadia complectitur : in priore, auctoritate aliena ducitur ; in altero, docetur propriam gubernationem sui recuperaro. Etiam cum praovisionc accidentalis erroris, absolutas Togulas agendi accipere ot sequi potest. Laboriosior est cura scrupulosi tepidi quam ferventis.

III. Contra *nimie laxam* conscientiam agi debet. Corrigenda est maiore reflexione et diffidentia a proprio indicio. Ex consuetudine aliqua praecipitatio propter inadvertentiam excusari poterit. Contra nimis laxum erunt potius solvenda dubia.

CONCLUSIO.

390. — Haec quasi summa capita tractatus de Conscientia retinenda videntur :

I. Nulla humana actio omni divinae legi subtrahi potest, ita ut omnis quaestio de probabilismo versetur circa obligationem legis particularis, cuius suppressio intactas esse sinit normas generales quibus actiones humanae conformandae sunt.

II. Quaestio de probabilismo spectat ad tractatum *De Legibus,* quatenus, in versandai sta quaestione, utimur principio de necessitate promulgationis ut lex exsistat ; spectat ad tractatum *De conscientia,* quatenus scientia legis seu certa intimatio conscientiae legem sola imponit. Formaliter tamen locum suum reperit in tractatu *De Conscientia,* cum id quaeratur immediate, quo pacto conscientia speculative dubia regula fiat proxima actionis humanae.

III. Prudens probabilismi usus hodie suffragio moraliter unanimi permittitur, ita ut magis sereno animo principia perpendi possint.

IV. Dubia facti non principiis probabilismi, saltem directe, sed propriis regulis solvenda sunt.

V. In summo pretio, tam pro perfectione quam pro actione nostra, habenda est conscientiae rectitudo. Haec nobis omni studio comparanda est, tamquam subsidium praeclarum virtutis, internae pacis et libertatis, et omnis beatitudinis.

TRACTATUS V.

DE PECCATIS.

TITULUS I.

Peccati notio, divisio. — Peccatu II ortale veniale, imperfectio.

CAPUT i.

De peccato in confuso.

Utilitas. Quia studium theologiae moralis potissimum ordinatur ad rectam administrationem sacramenti paenitentiae, in quo minister est in primis iudex de absolvendis peccatis, momentum totius tractatus de peccatis neminem fugere, potest. In primo autem capite iam plura tradimus quae re vera sunt fundamentalia, de ipsa essentia omnis peccati ; de eius specificatione et sede. Neque hodie neglegi potest quaestio, olim tantopere disputata, de peccato philosophico (1).

N.B. Do peccato agemus in confuso, non quod res hic sine ordine et claritate dicere proponamus, sed quia, ab initio, istud fortiter inculcare velimus, non esse genus quoddam peccati sub quo mortale ct veniale tamquam species poni deberent. Ideo confusam damus notionem peccati, quando non separation dicimus de utroque peccato. Si esset genus commune, caput I inscriberetur : De peccato in communi.

391. — I. Peccati nomen et confusa descriptio. Vocabulum peccati iam saepe ab ipso Cicerone usurpatum est ad designandum actum humanum diflbrmem a sua regula

(1) Do poccato personali exsistit egregius libellus Em. Card. Billot. eoholastico adornatus.

sen lego (1), ut in pulcherrimo dicto : « Praeter culpam ac peccatum,... homini accidere nihil potest quod sit horribile ac pertimescendum » (V. Eam. 21).

Nominali descriptione, peccatum dicitur *actus moralis malus* (2). In quibus verbis, vox *moralis* non designat genus, cuius duplex species foret moralitas *bona,* moralitas *mala.* Nulla enim est communis ratio moralitatis, quae indifferenter flat bona vel mala, sicut eadem ratio animalitatis in homine et in bruto salvatur ; sed qui dicit actum *moralem* iam dicit confuse actum bonum vel actum malum, sicut qui nominat *ens,* iam *tale* ens insinuat.

Praeterea, quamvis relata descriptio cadat in peccata *mortalia* et in *venialia,* et loqui soleamus de specificatione *theologica,* qua mortalia peccata a venialibus distinguuntur, *ne quidem est genus peccati* cuius species forent peccatum mortale et veniale : sed, ut ex notione hic tradenda facile apparebit, est peccatum proprie dictum, *mortale,* et est peccatum deminutae rationis, *veniale.*

392. — II. Essentia. Quatenus est actus *malus,* peccatum dicit aliquam *privationem boni,* quae hic erit aliquis recessus ab ordino rationis vel a lege Dei ; sed quatenus est actus *moralis,* dicit necessario aliquod bonum quod inordinate appetitur. Malum enim qua tale non est appetibile, sed illud non eligimus nisi sub specie boni vel ut coniunctum cum bono quod amamus. Unde, qua tale, malum non est voluntarium nisi *per accidens.* Sed quamvis totus malus sit actus et tota mala sit omissio quibus, propter aliquod bonum, eligimus seu amplectimur malum, minus tamen malum est velle malum sub specie boni quam sub specio mali. Itaque, in ista tendentia versus bonum, in ista electione mali sub specio boni, remanet vestigium positivi ordinis. Inde illud dictum a S. Thoma, quod malum in moralibus non est pura privatio ; sed « est quoddam bonum adiunctum privationi

(1) Quia leges sunt artis, ideo usu metaphorico, artifex insimulari potest, quod contra artem peccaverit.

(2) *Summa,* 1, 2, q. 71 art. 6.

alterius boni » (1). Dum in ordine physico habetur privatio totalis, v. *g.* visionis per caecitatem, et partialis, per caecutionem. Observes tantum, in ordine physico, simpliciter bonum esse quod in caecutiente remanet visionis, dum in ordine morali ipsa positiva appetitio est mala, quia fundat electionem mali.

393. — II. Specificatio. Si in omni peccato habetur aliqua appetitio obiecti boni, quae per se est voluntaria, et appetitio mali, quae est tantum voluntaria per accidens, cum actus voluntarii specificentur qua parte sunt *per se* voluntarii potius quam alia qua sunt tantummodo voluntarii *per accidens,* inde iterum illud consectarium seu corollarium a S. Thoma indicatum, quod *specificatio moralis peccatorum fiat per obiccta* ad quae peccans se convertit, potius quam per privationem quae prosecutionem obiecti comitatur. Unde fit ut in eadem *specie morali* convenire possint peccatum mortale seu proprie dictum et peccatum veniale, seu peccatum deminutae rationis. (Cf. 1, 2, q. 72, art. 5 ; q. 73, art. 3 et infra, n. 426-427.)

394. — IV. Distinctiones. Peccata, distinguuntur :

1° *Deliberata,* quae ex pleno consensu committuntur, et *subrepticia* seu *semi-deliberata,* in quibus defuit plena advertentia, vel ubi sola remissio quaedam in repellenda mali suggestione voluntati obici potest.

2° Commissa in officiis ad *Deum,* ad *scipsum,* ad *proximum,* ex ordine seu obiecto proximo ad quod pertinent. Officia autem ad Deum tum virtutibus theologicis tum morali virtute religionis reguntur. Priorum obiectum materiale est ipso Deus ; religionis obiectum materiale est cultus Dei amplissime acceptus.

3° *Malitiae, infirmitatis, ignorantiae,* prout libera mali electio fit sine ulla ignorantiae illusione et sensuum affectione ; aut reatus levatur propter impulsum passionum, tentationum, vel propter qnandam ignorantiam, quamvis in se culpandam.

(1) *Summa,* 1 p. q. 48 art. 1 ad 2; 1,2, q. 73 art. 2.

4° *Cordis, oris, operis,* prout mente sola, aut etiam verbis, immo externa actione, concluduntur. Observes esso peccata, puta odium, blasplieiniam, quae mente vel verbis *perficiuntur,* dum alia mente vel verbis mero *inchoantur* : puta internam intentionem et externum propositum furandi.

5° Peccata *commissionis* vel *omissionis,* prout vetita actio fit vel praecepta actio neglegitur.

6° Peccata *propria* vel *aliena* : haec in illicita ad alterius peccatum cooperatione consistunt.

.395. — Peccatum formale, materiale. Peccatum proprie est *formale,* quod formaliter dictamini conscientiae et per se simul legis dictamini opponitur, dum *materiale* peccatum a sola remota regula legis, non autem a proxima conscientiae discrepat. Materiale peccatum excludit liberum consensum in malum.

Quare, peccatum materiale supponit : *a)* personam quae legi subiacet ; 6) actum qui per se libere fit, ac proinde deliberari potest, non autem motum primo-primum ; c) actum lege prohibitum, qualis non est passiva pollutio; *d}* errorem seu qnandam bonam fidem agentis cum ignorantia vetiti.

396. — V. Subicctum peccati. In omni porro potentia quae principium est actuum inesse potest, utique dependenter a voluntate, peccatum. Quare peccatum habetur in appetitu sensibili, in ratione et in voluntate. (Cf. 1, 2, q. 74 art.. 1-4). Non habetur in potentiis quas despotice regimus, v. *g.* in potentia locomotiva.

39T. — VL De peccato philosophico. Peccatum *psychologice* adesse novimus, ubi contra absolutum dictamen conscientiae actum sit. Ac peccatum ordini rationis et legi Dei simul adversari non ambigitur (1). *Theologicum* porro

(1) Non raro hic malo allegatur locus S. Thomae, 1, 2, q. 71 art. 6 ad 4, quasi b. Doctor ibi tradiderit oinnem moralem malitiam radicari in prohibitione divina, ita ut, hac ratione, cum agitur de lege divina, neganda sit distinctio celebrata, qua quaedam dicuntur mala quia prohibita, alia voro prohibita quia mala. Quod prima specie S. Thomas in loco indicato docere videtur. Sic enim habet : « Cum dicitur quod non omne peccatum est malum quia prohibitum, iutclligitur de prohibitione factu per ius positivum. Si autem referatur

dicitur, quatenus Deum offendit ; *philosophicum,* quatenus ordini rationis repugnat. Mere philosophicum itaque fuerit quod rectae rationi non vero legi Dei opponitur.

Objective nullum tale exstare certissimum est, nam « quaecumque continentur sub ordine rationis continentur sub ordine ipsius Dei » (1), ac proin sapientissima Dei voluntate sanciuntur. Ceterum, sine Deo, nec ordo rationis nec bonum honestum foret, cum essentiae rerum suum ultimum in essentia divina fundamentum habeant, et intellectu divino formaliter constituantur.

Verum quaeritur utrum homo qui Deum perfecte vel invincibiliter tamquam ordinis et rationis auctorem et praeceptorem ignoret, *mere philosophice* peccare possit: an repugnet, contra, ut idem homo aliquid absolute faciendum vel omittendum dicat, nec divinum imperium saltem in confuso advertat.

Id *regulariter evenire,* ita ut proponenda sit tamquam ordinaria aliqua divisio peccatorum in philosophica et theologica, omnino negandum est. Alexander VIII, decr. S- *Officii,* 24 aug. 1690, ut scandalosam, temerariam, piarum aurium offensivam et erroneam damnavit hanc propositionem : « Peccatum philosophicum seu morale est actus humanus disconveniens naturae rationali et rectae rationi ; theologicum vero et mortale, est transgressio libera divinae legis. Philosophicum, quantumvis grave

ad ius naturale, quod continetur primo quidem in loge aeterna, secundario vero in naturali iudicatorio rationis humanae, tunc omne peccatum est malum quia prohibitum ». Verum interpretatio ista excluditur ultimis verbis quae non debebant neglegi : « ex hoo enim ipso quod est inordinatum, iuri naturali repugnat». Ilis verbis enim inordinatum proponitur potius ut logice prius quam ius naturae. Verum dicendum est quaestionem de ista prioritate, seu do relatione prohibitionis divinae ad malitiam actus, hoc loco a S. Thoma non attingi. Praesens eius intentio haec est, ut demonstret veram esse definitionem S. Augustini, quo peccatum dicitur « dictum vel factum vel concupitum contra legem aeternam ». Ad hoo autem satis est ut nihil malum exsistat quod l Ua lego non prohibeatur, ita ut malitiam suam (sive primam, sive secundam, sive initialem, sive completam) ex oppositione ad legem divinam hauriat. Hic igitur S. Doctor iam affirmat quod non semel repetet, divina lege, non autem humana lego omnia peccata prohiberi et puniri. Cf. 1, 2, q. 91 art. 4c (quo loco Augustinus allegatur ex eodem libro I do libero arbitrio ex quo in obiectlono praesenti afferebatur) ; 1, 2, q. 93 art. 3 ad 3, etc.

(1) *Summa,* 1, 2, q. 72 art. 4. c.

in illo qui Deum ignorat, vel do Deo actu non cogitat, est gravo peccatum, sed non est offensa Dei neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei neque aeterna poena dignum » *(Dena.* 1290). Id autem, — rem potius pro hypothetica habentes, — in rigore accidere posse non pauci scholastici existimant : sic Lessius, Suarez, VaSquez, Lugo ; dum alii idem stricte repugnare contendunt. Sic hodie C. Frins et plures alii.

De qua re ita dicendum arbitramur.

Is qui *absolutam obligationem* faciendi bonum et declinandi a malo percipit, simul ultro, in percepto ordine, percipit saltem confuse vim ordinatricem sibi dominantem, cui obtemperat dum bonum facit et declinat a malo ; cui resistit, a qua se alienum efficit, si malum faciat. Sic autem Deum qua legislatorem tacite agnoscit, atque actione sua vel honorat aut plus minusve spernit. Ergo, si male egerit contra conscientiam, simul egerit contra Deum. Cf. Lehmk. I, n. 281.

Ii vero qui *explicite* Deum negant et animum dein ad imperiosas iussiones conscientiae reflectunt, logice adducuntur ad conclusiones modernae impietatis, quae absoluta officia moralia simpliciter negant. Ordinem rationis servare decorum quidem esse ; nobilem esse appetitum satisfactionis quae ex servato ordine gignitur. Eam tamen pertinere ad genus relativae bonitatis quod solum homini pervium sit, quod proinde maiori bonitate elidi possit. Et re quidem vera, secluso Deo, dictamen necessarium quo indico honeste agendum esse et aeque necessarius appetitus propriae beatitudinis saepe inter se conciliari nequeunt. Absurditas ista seu contradictio efficit ut actu saltem elicito utraque necessitas ut absoluta negetur.

398. — Corollarium. Barbari talia scrutari non solent. Quare, in regionibus missionum, miseri indigenae, quamvis Deum ordinatorem et legislatorem formaliter et explicite ignorent, nihilominus dum faciunt quod bonum esse aestimant, meriti apud Deum (supposita gratia) non sunt incapaces; et agendo contra conscientiam theologice peccare existimandi sunt.

SUMMARIUM.

899. — 1. Usu iam antiquo, peccatum dicit actum humanum a sua regula difformem ; et est *actus moralis malus,* observando tamen nullam esso gonericam inoralitatis rationem quae indifferenter fiat bona vel mala, sed tantum confusam ot analogicam proponi notionem sicut *entis.* Analogico quoque ratio peccati convenit mortali et veniali.

2. Cum malum semper sub specio boni vel ut cum aliquo bono coniunctum appetatur, malum in moralibus non dicit puram privationem, sed est aliquod bonum coniunctum privationi alterius boni. Ac moralis specificatio peccati, potius quam per coniunctam privationem, fit per obiecta ad quae peccans se convertit, cum ista parte actus sit per se voluntarius.

3. Distinguuntur peccata deliberata et subrepticia ; commissa in officiis ad Deum, ad seipsum, ad proximum; malitiae, infirmitatis, ignorantiae ; cordis, oris et oporis ; commissionis vol omissionis ; propria vel aliena.

4. Peccatum, proprie est *formale. Materiale* peccatum supponit personam logi subioctam, quao libere agit, et quadam bona fido actum vol omissionem lego prohibitam facit.

5. Peccatum fit sempor dopondenter a voluntate ; sed inesso potest in qualibet potentia quao principium est actuum.

6. Peccatum *philosophicum,* nullum ost *obiectivc,* cum lege divina omne malum morale votetur ; nec etiam *subiedive,* cum conscientia absolutae obligationis inferat confusam Dei legislatoris notionem. Unde ipsi barbari meriti (cum gratia divina) ex demeriti theologici sunt capaces.

CAPUT II.

De peccato mortali seu de peccato proprie dicto.

Ordo dicendi. Primo do *peccato actuali,* dein de peccato *habituali,* tum de roatu *culpae* et *poenae* breviter agemus.

I. — *De peccato mortali actuali.*

Ordine trademus cius notionem ot demonstrationem;— psychologicam explicationem ; — definitionem ot condiciones. Doctrinam dein complebimus variis considerationibus de peccato

omissionis, do inaequali gravitate peccatorum etiam mortalium, de physico ordine ad quem pertinet peccatum.

400. — I. Notio et demonstratio peccati mortalis. Peccatum dicitur *mortale,* quatenus peccanti viam ad vitam aeternam praecludit.

Esse huiusmodi peccata luculente ex ipsa *Scriptura sacra* efficitur. Hoedi, qui, in sollemni iudicio, a sinistris Indicis ponentur, qui maledicti discedent in ignem aeternum, profecto rei sunt peccati mortalis (1). Mortale commisit ludas, de quo Dominus : « Vae homini illi per quem Filius Hominis tradetur » (2). Enumeratis iniquitatibus paganis, S. Paulus directe dignos morte pronuntiat qui talia agunt : «et non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus» (3). «Neque fornicarii, nequo idolis servientes, neque adulteri, etc. regnum Dei possidebunt » (4). « Peccatum, ait S. Iacobus (5), cum consummatum fuerit generat mortem ».

Apertissima sunt etiam testimonia *traditionis,* ita ut in allegandis Patribus non sit immorandum. Innocentius III (6) incunctanter ait : « Actualis poena peccati est gehennae perpetuae cruciatus ». Duo concilia oecumenica : Lugdunense II et Florentinum haec habent : « Illorum animas qui in actuali mortali peccato vel cum solo originali decedunt, mox in infernum descendere, poenis tamen disparibus puniendos (7) ». Inter utrumque concilium, Benedictus XII, C. 29 ian. 1336 : « Definimus quod secundum Dei ordinationem communem, animae decedentium in actuali peccato mortali, mox post mortem suam ad inferna descendunt, ubi poenis infernalibus cruciantur » *(Denz.* 531).

Rationem autem hanc eleganter proponit S. Thomas : « Ubicumque est aliquis debitus ordo ad finem, oportet quod ordo ille ad finem ducat ; recessus autem ab ordine finem excludat ; ea enim quae sunt ex fine necessitatem sortiuntur ex fine, ut sicet ea necesse sit esse, si finis debeat sequi, ot iis absque impedi-

(1) S. Matth. 25,31-46. — (2) S. Matth. 26, 2 l; et S. Marc. 14,21. — (3) Roni. 1,32.— (4) I, Cor. 6, 9-10. Atque idem repotit, ad Gal. 5,19-21.— (5) lac. 3, 2. (6) *Dcnz.* u. 410. — (7) *Denz.* 464, et 603.

mento exsistentibus, finis consequatur. Deus autem imposuit actibus hominum ordinem aliquem in respectu ad finem boni, ut ex praedictis patet. Oportet igitur quod, si ordo ille recte positus est, incedentes per illum ordinem finem boni consequantur, quod est praemiari ; recedentes autem ab illo ordine per peccatum, a fine boni excludi, quod est puniri » *(C. Gent.* III, c. 140). Qui locus, cum S. Doctor in eo agat de poena in genere, complendus est sequenti, ubi, agens de poena debita peccato mortali et veniali, haec habet : « Homo per opera virtutum, in quibus praecipue est intentio finis debiti, consequitur suum ultimum finem, qui est felicitas. Si ergo aliquid contra virtutem agat, ab intentione ultimi finis aversus, conveniens est quod ultimo fine privetur » (C. G. III, c. 143).

401. — **II.** Psychologica explicatio. Si Deum in se et reliqua in Deo contemplaremur, videremus, claro intuitu, felicitatem nostram ab observato ordine morali seu lege Dei separari non posse ; atque una eademque via ad Deum, ad Bonum, ad Beatitudinem perveniri. Nunc autem illa evidentia immediata nos deficit ; mediata autem non adeo fortis aut stabilis est, ut omnem deceptionem praevertat. Fit itaque ut fruitio quaedam contraria isti ordini vel isti legi videatur esse appetibilis, elementum beatitudinis, et nobis proponi possit ut hic et nunc eligenda, tamquam melior nobis quam ipse servatus ordo. Simul tamen conscii sumus permanentis necessitatis seu obligationis, quodeumque ferendum sit detrimentum, manendi in ordine morali, nihil eligendi quod bono honesto sit contrarium. Itaque opposita electio continere demonstratur repudiationem boni honesti, et, quantum est ex parte eligentis, renuntiationem fini ultimo seu Deo, ad quem servatus ordo se habet ut medium necessarium.

In eo igitur qui sequitur indicium practicum optandi pro contraria ordini honestatis fruitione, apparet *error ct imprudentia indicii, malitia voluntatis* quae illud amplectitur, *practice desertio viae* quae ducit *ad vitam aeternam, offensa Dei,* qui ordinem moralem tuetur, ita ut homo peccans simul erret, peccet, spiritualiter moriatur, et se a Deo avertat.

In ordine tamen praesenti, cum bona habitudo ad Deum salvetur in gratia habituali, quae est formaliter vita nostra supernaturalis, spiritualis mors animae dicit ablationem gratiae quam Deus solus infundere et subtrahere potest. Homini autem abutenti sua libertate et male se convertenti ad creaturas, Deus re vera gratiam aufert, et homo spiritualiter moritur.

402. — **III.** Definitio. Ipsa ista explicatione, vora comprobatur haec duplex definitio peccati, cuius altera desumitur ex parte voluntarietatis seu conversionis ad bonum commutabile, i. e. mutabile quia finitum, altera ex parte boni incommutabilis (Dei) :

« *Factum vel dictum vel concupitum aliquid contra legem aeternam* » (1).

Aversio a Deo fine ultimo per voluntariam conversionem ad bonum commutabile.

Priore ratione, directe id consideratur quod per se est voluntarium ; altera, id quod per se est malum. Et quia agitur de actu voluntatis, potissimus est usus prioris definitionis (2).

In hac priore definitione, verba : *Contra legem Dei* illam aversionem a Deo inferunt a qua altera definitio initium habet.

Nec definitionibus obici potest eas actum supponere, dum tamen etiam *omissione* peccatur. Namque omissionem per modum entis concipimus, et sic concepta omissio proponitur voluntati sicut obiectum quod cum lege concordare vel legi plane repugnare potest. « Sicut agere imputatur homini ad peccatum, quia opponitur praecepto legis negativo, ita et ipsum non agere, quia opponitur praecepto affirmativo » (S. Thomas, *De malo,* q. 2 art. 1, c. Cf. iam dicta do actibus humanis).

403. — IV. Condiciones peccati mortalis. Ut peccatum mortale committatur, requiritur et sufficit, ut cum *advertentia* ad malitiam; ad malitiam quae saltem, confuse, ut *gravis,* apprehenditur, coniungatur *consensus* perfecte liber,

(1) S. August. Contra *Faustum,* l. 22, c. 27 (P. L. 42, 413).
(2) Cf. δ'υτηιη. 1, 2, q. 72 art. 6.

perfectione ista intrinseca quae expeditum usum linquit facultatum superiorum. Cf. dicta supra, n. 41.

Malitia autem quae ut gravis apprehenditur potest esse vel ipsius transgressionis, quae in se cognoscitur esse gravis, vel imprudentiae, omittentis in re gravi debitam inquisitionem.

Dubium de commisso peccato gravi erit plerumque ex praesumptionibus solvendum. Praesumptio ista hauritur ex habituali agentis dispositione et ex obiecto quod prima specie leve vel notabile appareat.

De utroque elemento, i. e. de *obiecto* actus, quod est quasi *materia,* et de *consensu,* quo peccatum informatur, et qui pendet, in homine sane et vigili, ab *advertentia,* separatim dicendum videtur.

404. — De materia gravi. 1. Respectu gravitatis, materiam distinguunt gravem ex *toto genere suo,* ubi nulla parva aestimari potest, quia ratio inordinationis gravis in toto genere reperitur : blasphemia, delectatio venerea; et materiam gravem ex *genere suo,* in cuius genere per se gravi, ob materiae tenuitatem, gravis malitia abesse potest. Denique est materia *levis* ex genere suo : haec non fit gravis, nisi addita circumstantia quae speciem mutet.

2. Undenam materia gravis dignoscetur ? Criteria interna ab *externis* distinguamus:

a) *De criteriis internis.* Id quo ultimo seu formaliter materia constituitur gravis, est voluntas Dei sub gravi praecipiens vel prohibens. Sed quia Sapientissimus Deus voluntatem gerit essentiis rerum attemperatam, inde licet nobis magis intimam explorationem tentare. Ac praecepta legis naturalis a praeceptis positivis discernenda sunt. Quod ad legem *naturalem* (quam sumimus sicut nunc eius praecepta sunt obiectum supernaturalis observationis), critérium nobis offertur ipso rerum ordine. Si enim essentialis ordinis observatio est conaturalis condicio vitae aeternae, omnis *substantialis* violatio istius ordinis erit materia gravis. Triplex autem essentialis ordo observandus nobis est : ordo ad Deum, ordo ad proximum, ordo in nobismet ipsis.

Ordo noster ad *Deum* est subiectionis ; ad *proximwn,* est aequalitatis, qua personam eius vel in se vel in rebus suis violare vetamur, et proximitatis, qua ipse ut « alter ego » a nobis diligendus est. *In nobis* ordo postulat ut, contenti dominio utili nostrae personae et facultatum nostrarum, nullum actum faciamus perfecti dominii in eas, sed veneremur in nobis Deum, parentes et patriam tamquam auctores nostros. Inde subordinationem facultatum nostrarum pervertere non possumus. *Quidquid* ergo *componi nequit cum ordine isto sic explicato,* sed eum vel simpliciter negat, vel adeo relatione contrarietatis eidem opponitur erit gravis peccati obiectum.

Hinc, in ordine *ad Deum,* substantialis erit violatio quae non est de modo tantum honorandi, colendi Deum (ut distractio voluntaria in oratione) sed Deum vel negat seu eius attributum vel cultum ipsum, saltem actu transeunte. Quare non est levitas materiae in peccatis directe contra Deum aut divinum attributum, v. *g.* in iis quae directe opponuntur virtutibus theologicis : haeresis, desperatio, odium Dei ; nec in blasphemia, in iuramento assertorio, superstitione, simonia iuris naturae.

In ordine *ad proximum,* substantialis erit omnis violatio quae est proximo notabiliter damnosa in re cuius ipse non est dominus, vel quae iustam et gravem eius offensionem inducit.

In ordine ad *ipsum agentem,* substantialis erit omnis directa dispositio sui vel facultatis suae, cum haec opponantur divino dominio nostrae personae. Quae usurpatio committi potest physica destructione sui (suicidio) vel facultatis (mutilatione), vel morali abusu per actus qui sint contra ordinem totius facultatis, Qui abusus cum insit in omni venerea delectatione directe quaesita extra matrimonium, ideo non datur in ista luxuria materia levis.

N. B. Consueta verba : « materia gravis » suggerunt quantitativam aestimationem, quae, cum agitur de lege naturali, numquam est *formalis,* nec semper applicari potest. In ipsa enim iustitia commutativa, ubi, cum agitur de rebus exterioribus, quantitas re vera consideratur, furtum tamen non est grave praecise quia est talis quantitatis, sed quia *propter talem quantitatem* proximus censetur rationabiliter et graviter invitus, ita ut ordo ad ipsum sit substantialiter violatus. In materia autem castitatis, quantitativa ista consideratio effecit ut in admittenda gravitate omnis libidinis luxuriosae extra matrimonium, immo

omnis fornicationis, inulti tantam experirentur difficultatem ; causa quoquo fuit cur confugerint ad extrinsecas rationes periculi alucinationis ot abusus. Ast tunc malitia non videtur iam intrinseca : quod tamen ratione violationis naturalis postulatur. Ac ratio ista extrinseca laboriose demonstratur universalis.

Quia finis omnis legis est caritas, haec altera forma quoque probatur: « Mortale ex genere suo est quod per se laedit caritatem Dei, vel proximi quod ad personas, res aut iura, vel nos ipsos corrumpit gravitur » (1).

Quando agitur de *lege positiva,* haec imponit ordinem non essentialem de se, cuius proin observatio minus immediate cum fine hominis coniungitur. Quare hic consideratio momenti finis et relationis rei ad istum finem fit magis formalis. Quod maxime verum est de lege *humana.* Ut haec graviter obligare possit, requiritur ut lex ad bonum commune notabiliter conferat, eiusque violatio isti fini notabiliter noceat, saltem si multiplicaretur. Nam lex potest gravi prohibitione multiplicationem istam impedire.

Quae hactenus exposita sunt, notionibus de peccato veniali illustrabuntur et complebuntur.

b) De criteriis externis. Quamvis principium distinguendi mortale peccatum a veniali, ex contrarietate ad ordines caritatis desumptum (2), hominem non lateat, superat tamen humanam artem, de singulis peccatis vehit ab intrinseco definire, utrum mortalia sint an venialia, ita ut S. Augustinus confiteatur se frustra allaborasse, ut omnia gravia a levibus discerneret (3) Et S. Thomas : « Omnis quaestio in qua de peccato mortali quaeritur, nisi expressa veritas habeatur, periculose determinatur (4) ». Quare id suadebat S. Augustinus. « Non afferamus stateras dolosas, ubi

(1) Busembaum ox Azok, p. 1, l. 1, c. 9: et Sanchez, *Decal.* L. 1, c 1. n. 4. Et cf. S. Thom. 1, 2, q. 88 art. 2.

(2) Cf. *Summam,* 1, 2, q. 88 art. 2 c.

(3) · Quae eint ipsa peccata quae ita impediunt perventionem ad regnum Dei ut tamen sanctorum meritis impetrent indulgentiam, diftlcilimuin est invenire, periculosissimum definire. Ego certe, usque ad hoc tempus, cum inde satagerem, ad eorum indaginem pervenire non potui ». (Civ, *Dei,* L. 21, c. 27, n. 5. P. *L.* 41, 750. Cf. etiam *Enchiridùim,* c. 73.)

(4) Quodlibct 9, art. 16.

appendamus quod volumus et quomodo volumus, pro arbitrio nostro dicentes: hoc grave, hoc leve est; sed afferamus divinam stateram de scripturis sanctis, tamquam de thesauris dominicis, et in illa quid sit gravius appendamus, immo non appendamus, sed a Domino appensa recognoscamus » *(De baptismo,* l. 2, c. 6, n. 9. *P. L.* 43, 132).

Spectanda praeterea est positiva Dei voluntas, quae certe in multis rebus, per praeceptum latum ob finem gravem, gravitatem materiae veluti complere potest. Inde quoque Augustinus: «Sunt quaedam quae levissima putarentur, nisi in Scripturis demonstrarentur opinione gravia » *(Enchir.* c. 79. *P. L.* 40, 270).

Quocirca triplex critérium distinctionis tradi consuevit: *Scriptura* sacra, quae de mortali damnare censetur actionem quam declarat « esse dignam morte », aut « excludere a regno », aut « esse exsecrandam et abominabilem », vel similibus verbis notat. (Cf. Suarez, ad 1, 2,Tr. 5, Disp. 2 s. 5, n. 19.) — *Decepta sententia Patrum et Doctorum,* namque, in re morali, auctoritas plurimum valet. — *Indicium rationis,* secundum ea quae modo diximus.

Deficiente autem certa probatione, materia non est pronuntianda gravis. Iam S. Raymundus monuerat: « Unum consulo, quod non sis nimis pronus indicare mortalia peccata, ubi tibi non constat per certam scripturam... alias possent induci homines in desperationem (1) ».

S. Alphonsus vero periculum temerariae condemnationis auctoritatibus et rationibus confirmat: quos enim homines facile damnas de mortali in actionibus in quibus gravis malitia evidenti rationi non apparet, eosdem periculo aeternae damnationis facis obnoxios.

405. — De advertentia. *Advertentia* ad malitiam *postulatur actualis.* Non sufficit ut homo potuerit et debuerit advertere. Sed qui, conscius, obligationem advertendi omiserit·, tunc, in causa, reus fit effectuum malorum quos in confuso saltem praeviderit.

(1) ***Summa,*** L. 3, Dc Poenitentia et roinlasiono, $ 21.

Non requiritur tamen ut *quam diu duret actio* peccaminosa *duret advertentia,* sed satis est ut adfuerit initio actionis, immo ante eam inchoatam, quando voluit peccator eam inchoare et perficere : ut qui proponit bibere usque ad ebrietatem, vel eam quantitatem sumere unde novit ebrietatem secuturam. Nec postulatur *distincta* advertentia ad malitiam, sed sufficit conscientia rei graviter malae *in confuso.* Nec debet esse explicita attentio ad Dei *offensam,* cum peccatum philosophicum non detur. Ac non requiritur *reflexa',* sufficit *directa* cognitio quae ex habituali *notitia* hauritur. Perfecta tamen apprehensio malitiae *substantialis* necessaria est; sed de circumstantia speciali habitualiter nota dicitur satis esse ut subconscio vel confuso modo praesens sit intellectui.

Hic discretione quaduni opus est. *Per se* (seclusa speciali ratione) non admittetur ut luxuriose peccans non adverterit ad votum castitatis, cuius tot occasiones memoriam renovant ; sed admittetur oblivio voti abstinentiae ab eo violati qui, inter socios, oblatum liquorem sumat. Femina garrula potest, sino advertentia, graviter de proximo detrahere ; si tamen ipsa experientia vel iussione confessarii edocta est de necessitate maioris attentionis, difficilius excusabitur.

406. — Varia Complementa. 1. Dc Peccato omissionis. Voluntas *bifariam* in omissionem ferri potest. Etenim ipsa omissio potest ut fuga rei fastidiosae peccanti placere : ut si assistentia missae taedium ei generet ; et fieri potest ut nihil in omissione ut sic eidem placeat: ut si satis libenter missam audiat ; et tunc voluntas directe fertur iu illud quo debitus actus impeditur : v. g. in ludum propter quem missam omittit (1). Actus iste positivus, qui est causa impulsiva peccati omissionis, extra eius essentiam tamen versatur. Quare non spécifient peccatum, quod in ipsa cessatione ab actu debito consistit. Inordinatas nihilominus habetur affectus propter quem quis vult sacrum omittere. Quocirca, si quis sacrum neglegat ad studendum, peccat graviter

(1) 3. Tn. 1, 2. q. 71 ari. 5.

omissione contra religionem; et praeterea *veniali* curiositatis vitio inficitur. Cf. Suarez, *Rei.* Tr. 5, d. 2, c. 13, n. 4. Itaque species peccati gravi non ideo mutata est.

40Î. — II. Inaequalis gravitas peccatorum, etiam mortalium. Inaequalis ista gravitas ipsa Scriptura demonstratur, et quidem ex ore Domini, ubi peccatum traditoris maius esse indicavit peccato Pilati.

Ac ratione comprobatur. Etenim, etiam peccatum mortale specificatur ab obiecto ; atque obiectum vario gradu ordini morali seu legi Dei adversari potest.

Omnium gravissimum est odium Dei quod directe repugnat caritati ; peccatum quod immediate contra Deum committitur, sicut infidelitas et blasphemia, est gravius quam peccatum eiusdem rationis commissum contra hominem ; peccatum circa substantiam hominis, sicut homicidium, gravius est quam peccatum circa res exterires, sicut furtum. (Cf. 1, 2, q. 73 art. 1 et 2.)

408. — Peccatam est ia ordine naturali. III. Quando de bono agebatur, bonitatem naturalem et supematuralem saltem ratione distinximus. Actus cui naturalis bonitas inest nondum ideo supematuralem perfectionem participat. Sed de peccato actuali eadem distinctio non valet. Deus enim offenditur, non praecise quatenus est auctor vitae supernaturalis, sed quatenus auctor et dominus naturae, nos ligavit praeceptis suis, inter quae sane istud maximum reperitur ut finem supematuralem intendamus. Nec possumus nos avertere a fine supernatural!, quin simul nos avertamus a fine naturali, qui priore veluti sorbetur. Neque ex principio elicitivo (naturali vel supernatural) distinctio sumi potest, cum peccare sit in nostra potestate et peccatum solis viribus nostris semper perficiamus.

Ut paucis idem repetamus : Omne peccatum mortale ad inordinationes naturales ascribitur, tum quia homo peccat viribus naturalibus, tum quia, peccando mortaliter, homo se avertit simpliciter a Deo fine ultimo, nec tantum a Deo auctore beatitudinis.

II. — *De peccato mortali habituali et de macula peccati.*

409. — 1. A schola dogmatis assumimus, ut Scriptura et traditione demonstratum, haberi, praeter peccatum actuale, peccatum *habituale:* cuius ipsa fides nobis tradit exemplum in peccato originali.

Ceterum, etiam inter homines aequales, post gravem offensam, perdurat status quidam mutuae inimicitiae, in quo, non solus *offensus,* quod per se patet, sed quod prima specie mirum videtur, ipse *offensor* aversus manet a persona cui iniuriosus fuit. Ac simili modo, commissum peccatum, moraliter, usque ad reconciliationem, vel saltem usque ad paenitentiam, perseverat. Perseverantia ista peccati constituit formaliter *statum peccati,* seu peccatum *habituale, reatum culpae* (1). In omni mundi ordine, etiam naturali, exstitisset. In praesenti autem, post peccatum mortale, *materialiter* consistit, *in privatione gratiae santificantis* (quatenus connotât voluntatem qua quis voluntarie se avertit a Deo), nec cessat nisi per eiusdem gratiae restitutionem.

2. Quia autem gratia ista simul est decor animae, eius privatio anima inficit *macula.* Quare ipsa Scriptura exhibet peccatores ut inquinatos, immundos, abluendis sordibus foedatos (2). Macula itaque ratione tantum a peccato habituali distinguitur.

III. — *De reatu poenae.*

410. — I. *Permanens* ille *culpae reatus* est proximus titulus poenae subeundae. Haec proin debetur quamdiu iste reatus maneat.

Ex dogmatica mortalis peccati exploratione novimus peccatum mortale esse per se irreparabile: nullum enim principium reparationis, quo sibi caritatem et gratiam restituat, manet in homine qui mortaliter peccavit.

(1) Reatus hic sumitur pro statu imputationis.

(2) Cf. Ion, 33, 9; Prov. 21,8; Ev. S. Ioanx. 13. 10; Is. 4, 4; Zachah. 13, 1; Art. 2β, 16: 1 Cor. 6. 11.

IL Praeterea aversioni a Deo. bono infinito, manet peccatori infinita et perpetua poena *damni,* seu privationis visionis beatificae. Poena *sensus* debetur proprie propter inordinationem conversionis ad creaturas. Ex hac parte, peccatum est finitum, et posset, secundum se, finita et temporali poena sensus expiari. Sed propter aeternum reatum culpae, fit ut ipsa poena sensus aeternum duratura sit. Haec humana tentatur explicatio rei quae divinitus nobis revelata est.

Sed, secundum placita S. Thomae, propter eandem rationem, quia remissio venialis culpae vel solutio debiti non concipitur in permanente statu inimicitiae, infligitur damnatis aeterna poena etiam pro peccatis venialibus et pro mortalibus quorum culpa quidem ablata erat sed expiatio manserat imperfecta. Quod plures alii theologi non admittunt.

Observes demum proximam aeternae damnationis causam non repeti a S. Thoma ex infinitate peccati (quae subiective nulla est), sed ex satis nobis mysteriosa necessitate, qua anima separata sine miraculo consilia mutaro nequit, verum ipsa in voluntaria aversione a Deo impaenitens perseverat.

SUMMARIUM.

411. — I. Peccatis mortalis notio, demonstratio. Ex Scriptura et Traditione novimus esse peccata mortalia, i. e. quae viam aeternae beatitudinis praecludant. Confirmatur ratione. Statuto enim ordine ad finem, cum substantialiter vitiato, assecutio finis fieri debet impossibilis.

II. Psychologice explicatur peccatum mortale, eo quod immediata privati visione individui nexus quo felicitas nostra observato ordini morali coniungitur, fruitio quaedam extra Deum et contra eius legem simul nobis proponitur ut appetibilis et nobis tamen vetita. Inde homo pro hac fruitione optare potest, sed repudiando bonum honestum et renuntiando fini ultimo seu Deo, ita ut simul erret, peccet, spiritualiter moriatur et se a Deo avertat. Quae tamen aversio in praesenti ordine non consummatur nisi per subtractam gratiam sanctificantem, quam Deus solus auferre potest.

III. Qua est per se *voluntarium,* peccatum definitur : Factum

vel dictum vel concupitum contra legem aeternam ; qua est per se *malum :* Aversio a Deo fine idtimo per voluntariam conversionem ad bonum commutabile.

IV. Peccati mortalis *condiciones* sunt : ut cum advertentia ad malitiam apprehensam saltem confuse ut gravem, coniungatur consensus intrinsece perfectus. *Dubia* erunt ex praesumptione solvenda.

1. Materia distinguitur gravis ex toto genere suo vel ex genere suo : haec admittit excusationem tenuis materiae. Leve ex genero suo obiectum, non fit gravo nisi addatur circumstantia quae speciem mutet.

Materia autem est gravis formaliter quatenus, cum agit de loge naturali, *substantialiter* violatur ordo essentiarum, sive ad Deum, sive ad proximum, sive in nobis metipsis ; vel, cum agitur de lego positiva, quatenus finis legis sit gravis momenti, et eius violatio isti fini notabiliter noceat, saltem si frequens evadat.

In praesenti ordine, dici quoquo potest grave, quidquid per se laedit caritatem Dei vel proximi, vel recto amori nostri contrarium est.

Ad dignoscenda tamen peccata mortalia, indigemus critcriis externis S. Scripturae, Traditionis et auctoritatis etiam humanae.

2. Advertentia postulatur *actualis,* firma tamen imputatione effectuum malorum quos saltem in confuso praeviderit qui, conscius, obligationem advertendi omiserit. Non requiritux' tamen ut advertentia duret per totam actionem ; nec postulatur *distincta,* aut explicita attentio ad Dei offensam ; postulatur tamen apprehensio malitiae substantialis; ac prudenter pensandum est utrum circumstantia habitualitcr nota actu potuerit non attendi necne.

V. *Varia Complementa.* 1. Omissio potest esso directe volita, aut solum indirecto, propter affectum ad rem quae cum actione componi nequit. Ab isto tamen affectu non specificatur peccatum omissionis. Quare non raro, cum gravi peccato omissionis» coniungitur veniale peccatum inordinati affectus ad rem propter quam omissio fuit voluntaria.

2. Quia specificantur ab obiecto quae inaequaliter Logi Dei adversari possunt, peccata mortalia, ut ipsa Scriptura testatur, sunt inaequalis gravitatis.

3. Omnia autem peccata sunt physico ordinis naturalis, quia propriis nostris viribus peccamus, et per omne mortale peccatum nos a Deo, auctore naturae, avertimus.

VI. Post peccatum mortale manet reatus offensionis Dei,

quo formaliter constituitur peccatum habituale, seu reatus peccati. Idem materialiter nunc consistit in privatione gratiae sanctificantis.

Quae gratia, cum simul sit decor animae, eius privatio *maculat* animam. Macula ista est ratione tantum distincta a peccato habituali.

VII. Reatus culpae est proximus titulus poenae subeundae. Aversioni a Deo debetur poena damni ; conversioni inordinatae ad creaturam, poena sensus. Haec de se foret temporalis, nisi perseverans status inimicitiae, eius exstinctioni obstaret. Quod, secundum S. Thomam, applicatur quoquo ad poenas quas propter culpas veniales et condonata peccata mortalia damnatus patiendas habet.

Proxima causa aeternitatis poenarum inferni est in immutabili obstinatione animae separatae in sua voluntaria aversione a Deo.

CAPUT III.

De peccato veniali.

Erit potissimum agendum de peccato actuali; pauca enim de habituali subiungenda erunt.

I. — *De peccato veniali actuali.*

Ordo dicendi. Esse peccata venialia primo confirmabimus. Succedet psychologica analysis et definitio peccati venialis, additis quibusdam explicationibus de analogia et de malo istius peccati. Dein criteria peccati venialis dabimus; tum de modis quibus actus per se veniales fieri possint mortales. Ac, per modum complementi, duo casu solventur.

412. — Sunt peccata venialia. Veniale peccatum dicimus peccatum quod, *quale committitur,* hominem non constituit aversum a Deo, seu Dei inimicum, nec dignum est poena aeterna, sed est per se remissibile.

Talia autem *peccata haberi, fide tenendum est,* ex C. Milevitano, c. 7; Tridentino, s. VI, c. 11 et 12; et can. 23. 25 ; et s. XII', c. 5 et can. 7.

Ac certum est haberi et iam quae talia sint *natura sua,* uec mero ex misericordia Dei, qui infra meritum causae puniret.

Disputatur autem inter theologos haec tertia quaestio : utrum necne Deus, supplendo auxilia sufficientia, potuisset omnes inordinationes deliberatas sub reatu mortali inhibere.

413. — Psychologica explicatio, ct definitio.

I. In praesenti nostra condicione, sicut motus indeliberati usum rationis praevertunt, sic etiam fit ut actus habeamus *semi-deliberatos* seu non plene humanos, do quibus in tractatu de actibus humanis locuti sumus. Repugnat autem ipsi naturae humanae ut homo per actum semideliberatum de fine suo statuisse existimetur. Itaque, propter hanc iam causam, facimus citra aversionem a Deo seu fine ultimo, actus qui tamen sunt inordinati.

Praeterea, etiam *deliberate* potest infirmus homo, dum Doum ultimum finem practice agnoscit et reveretur, quasi inconsequenter ea agere quae, quia non sunt secundum ordinem rationis, ad Deum referri nequeunt ; et tamen, quia caritatem ad Deum et triplicem ordinem (ad Doum, ad proximum, in seipso) substantialiter intacta esse sinunt, non inferunt aversionem ipsius agentis a Deo. Agens itaque manet conversus ad Deum, sed actio eius neque ad Deum neque ad alium finem simpliciter et positive ultimum refertur. Inde iterum habentur *actus inordinati sine aversione a Deo.*

II. Atque hoc est *peccatum veniale,* quod proinde definiri potest : *Voluntaria inordinatio circa creaturam, sine aversione a Deo.* Et statim quoque perspicitur duplicis esse rationis, cum propter imperfectionem actus et propter levitatem obiecti peccatum veniale esse possit.

Peccatum quod propter ipsam materiae rationem est veniale, tale est *ex genere* suo. Quare, quando versamur in mortali peccati genere, ita tamen ut parvitas materia excuset a gravi reatu, causa excusationis potius est *imperfectio* actus quam levitas obiecti. I. e. iniuria alteri homini est gravis genero suo. Sed parva quantitas quae surripitur,

parva contumelia vel detractio quae committitur, efficiunt ut iniuria rationabiliter non existimetur perfecta. Ergo ipsa *qualitas* actionis mutata est propter rei modicitatem. Observes itaque excusationem non esse formaliter quantitativam sed qualitativam.

4H. — Analogia peccati venialis. Peccatum veniale aliam significat *inordinationem, offensam, poenam* ac peccatum mortale, ac proin analogice tantum est peccatum. Aliam *inordinationem,* cum nullum *tollat* ordinem essentialem, ita ut nec immediate hac mediate Deo fini ultimo repugnet. Aliam *offensam'* namque Deum non constituit inimicum; nec venialiter peccans creaturam Deo praefert, sed tantum voluntati suae praefinit terminum immediatum diversum a termino quem, volente Deo, habere deberet. lussio tamen Dei non urgetur in casu sub comminatione inimicitiae. Aliam *poenam,* i. e. temporalem.

Quod reddere volentes, S. Thomas dicit peccatum veniale non esse *contra* legem sed *praeter* legem; Sootus voro, veniale peccatum adversari *consilio,* non praecepto. Scotus videtur nomine *consilii* intellegere normam cuius observatio non est ad salutem necessaria. S. Thomas, vero, suo modo dicendi vitavit omnem oppositionem cum definitione qua S. Augustinus definivit mortale peccatum esse factum *contra* legem. In se, verba hoc modo explicari possunt. Si legem Dei simul totam consideres tamquam ordinationem qua ;homo ad finem suum dirigitur, peccatum veniale, cum non fiat secundum directionem oppositam, ei contrarium dici nequit (Cf. Caietanum in h. l.) sed simul non est secundum legem ; quare praeter legem esse dicitur : peccatur in ipso modo observandi legem. Ipse S. Thomas sic explicat mentem suam : « Veniale peccatum dicitur secundum rationem imperfectam et in ordine ad peccatum mortale, sicut accidens dicitur ens in ordine ad substantiam, secundum imperfectam rationem entis ; non enim est contra legem, quia venialiter peccans non facit quod lex prohibet, nec praetermittit id ad quod lex per praeceptum obligat ; sed facit praeter legem, quia non observat modum

lationis quem lex intendit» (1, 2. q. 87 art. 1 ad 1). Unde quae supra diximus n. 404 et 413, confirmantur.

415. — Peccati venialis malum. Nihilo minus peccatum veniale a Deo odio habetur, utpote quod infinitae Eius bonitati repugnet ; et, quam diu non est sublatum, conspectum Dei impedit. Malum est quod ordine suo omne malum physicum transcendit, ita ut propter nullam poenam vitandam committi possit. Fervori caritatis opponitur, quia homo in quo caritas perfecte dominatur, nihil aget quod ad dilectum Deum non referatur.

416. — Peccati venialis subiectum. Peccatum veniale, cum dicat electionem non concordem cum intentione appetitus superioris, demonstrat imperfectam subordinationem appetitus inferioris rationi superiori. *In homine innocente,* motus parum deliberati non fuissent; et omnia consequenter ad deliberationem rationis superioris composita fuissent. Quare homo, in statu praeternaturalis integritatis, venialiter peccare non potuisset. Similiter *B. Virgo,* propter morale integritatis donum, a labe veniali immunis dicenda est. Ubi nullus est processus discursivus, sed omnia in ipsis principiis apprehenduntur et appetuntur, peccatum veniale esse nequit. Solus enim processus discursivus permittit ut aliquid possit proponi ut bonum, sine ordine ad intentum finem simpliciter ultimum. Itaque, non quod materia levis defuerit, sed propter angelicam naturae perfectionem, *angelus* venialiter peccare non poterat (S. Thomas, 1, 2, q. 89 art. 3 et 4).

417. — Peccati venialis criteria. Distinguamus peccata venialia quae talia esse possunt, quamvis sint deliberata, ab actionibus quae non sunt veniales nisi propter imperfectam deliberationem.

1. Secundum ea quae supra exposuimus, n. 413. deliberatae actiones veniales, erunt violationes ordinis quas *accidentales* vocare possumus, quia ordinem essentiarum substantialiter intactum esse sinunt, vel quia legi positivae in re levi tantum adversantur.

Accidentales istae violationes ordinis essentialis erunt, in *nostra relatione* sublectionis *ad Deum,* variae neglegentiae in explendis officiis religionis, quae neque ex formali contemptu oriuntur, neque ita notabiles sunt ut virtualem contemptum contineant ; in nostra relatione *ad proximum,* erunt culpae quae parum ipsi nocent, nec rationem amicitiae rationabiliter auferunt. Observes actus istos versari in re quae genere suo est gravis, ita ut non sint leves nisi quia sunt obiective imperfecti.

In *nobis ipsis,* contra, occurrunt etiam actus genere suo veniales : dissipationes rerum quarum perfectum dominium habemus, quae non fient graves nisi ideo grave officium iam impleri nequeat ; sic etiam inutilis et vana concupiscentia (non tamen in re venerea), vana oblectatio, curiositas, superfluitas cultus ac vestitus, nugae, otium, excessus in cibo, potu, somno, usu coniugii, timore, tristitia, appetitu pecuniae, laudis, etc. Sic etiam mendacia. Sive enim consideres damnum erroris et deceptionis proximi de mente mea, cum agatur de veritate contingente, est natura sua leve ; sive consideres negatam communicationem mentis meae : haec per se non erat debita ; sive consideres abusum facultatis loquelae : cum loquela sit immediate ad bonum loquentia, mendacium non perrumpit immediatum ordinem totius facultatis, sed male refert ad bonum loquentis actum seu usum facultatis quae ad istud bonum immediate ordinatur ; dum in abusu facultatis venereae extra matrimonium, *contra finem, immediatum* facultatis peccans utitur, ad propriam satisfactionem, facultate quae est immediate propter bonum speciei ; sive tandem consideres socialem mendacii effectum, circumscriptum falsa communicatione meae mentis, non necessariae, etiam frequenti huiusmodi falsitato, communicationi mutuae et mutuae fiduciae non nocetur notabiliter.

Redeunt tamen dicta de necessitate recurrendi ad criteria externa.

2. *Criteria imperfectae deliberationis vel imperfecti consensus.*

Criteria ista sumuntur : *a)* ex *praesumptione* : si quis soleat ita esse affectus ut mori malit quam expresse mortaliter peccare ; *b)* ex *conscientia* agentis : si ex habituali dispositione, indices te non fuisse facturum si rem plene apprehendisses ; si vir timoratus dubitet de assensu suo ; si spontanea sententia fuit immediate « non consensi » ;

c) ex *statu* in quo versabatur agens : erat semisomnis, valde distractus, vehementissima passione agitatus, turbatus ; *d)* ex *modo actionis* : valde timido et quasi perplexo animo actum est ; dum deliberare volebas, verba iam ex ore prolapsa sunt, res iam peracta erat ; e) ex *incompleta* actione : qui commode potuit peccatum exsequi (v. g. solitarium), non obstante tentatione, non est exsecutus. Quaedam distractio facile contingit in phantasiis minus castis, in detractionibus, et praesertim in peccatis in causa, ubi effectus, damna, pericula aliorum, mentem fugerunt. « Huc revoca obliviones, ignorantias leviter culpabiles, conscientias erroneas ex levi negligentia» (Ball.-Palm I. tr. 4, n. 685).

Confessarius itaque paenitentem prudenter interroget, pro captu suo, an plene vigil fecerit, an post observatam malitiam rei nullum actum contra tentationem elicuerit; accepto autem responso « haereo dubius », « nescio », non nimis insistet, ne fiat molestus, sed recurrat ad praesumptiones, nec raro rem divino indicio committere debebit (GÉNICOT, i, 161).

418. — Transitus ad mortale. Contra, peccatum veniale vel ipse actus indifferens transire ferunt *in mortale,* ob pravum voluntatis *affectum* vel actionis *effectum,* ratione *finis ultimi, finis adiuncti, contemptus, scandali, periculi, cumulatae materiae.* Qua veritate haec dicantur, examine facto apparebit.

1. Ratione *finis ultimi* : si quis ad rem venialem vel etiam indifferentem (puta lusum, personam) affectum foveat non solum intensum sed talem ut *actu* vel *rirtualiter* mallet grave praeceptum violare quam illis privari.

Observes habitualem dispositionem secundum se non sufficere, quia non imputatur ad cuiuspiam culpam id ad quod committendum habitu tantum est paratus. Sin minus, quot actu peccarent qui ita affecti sunt ut pro modica causa officia neglegerent, turpia committerent !

Si affectus ille se prodit in gravi reatu commissionis vel omissionis cuius fuit occasio, gravem istum reatum accusare satis erit. Si in nullo, solo affectu peccatum est.

|418.]

2. Ratione *finis adiuncti* : ut si quis leviter mentiatur ad extorquendam copulam. Iterum autem, non ipsum mendacium, quod in se leve manet, sed solum desiderium seu machinatio fornicationis accusanda sunt.

3. Ratione *contemptus absoluti* et *formalis,* sive Supoioris, sive praecepti qua talis : ut si renuas praecepto vel Superiori subiacere, quod est peccatum consummatae superbiae ; si nolis facere, *quia* praeceptum est, quod est peccatum formalis inoboedientiae: ambo graviter repugnant caritati debitae Superiori.

Sed gravis per se non est contemptus *secundum quid,* qui, admissa auctoritate, solam *exsecutionem* contemnit; qui habitualiter quidem subici vult, sed hic et nunc in re modica iugum detrectat; qui Superiorem contemnit mere ut indoctum, imprudentem, imperfectum ; nec *contemptus interpretations,* quando praeceptum ob aliam causam : iram, pravam consuetudinem, violatur. Et si levis sit materia quae contemptui occasionem dedit, solus contemptus confitendus est.

4. Ratione *scandali* : si mortalem proximi ruinam causeris. Sola superaddita malitia, quae graviter caritati adversatur, manifestanda est in confessione.

5. Ratione *periculi* incidendi in mortale, si proximum periculum gravis peccati inducitur. Notio proximi periculi exponetur infra, ubi de peccati fuga. In materia venerea, sensualitates interiores vel exteriores, secundum se veniales, tale periculum efficere nossunt.

6. Ratione *cumulatae materiae.* Si enim plures materiae parvae moraliter coniimgantur, omnes moraliter pro una reputantur, et materia exoritur gravis. Ita autem coniungi possunt *secundum se,* vel *secundum effectus* productos. *Secundum se,* ut si saepe modicum fureris et non restituas; si interruptim plures psalmos eiusdem officii omittas; si eodem ieiunii die saepius parum comedas. Sed non peccat graviter qui diversis diebus festis modicum laboraverit, qui cotidie in Quadragesima parum comederit vel comedere statuerit : haec inter se moraliter non uniuntur. Nec graviter peccat qui diversis diebus votum violarevii cotidie modicum quidpiam orandi, vel dandi parvam

elcmosynam. Aliter respondendum fuerit, si per parvas distributiones cotidianas voluisset votum magnae summae dandae exsecutione complere. Nec uniuntur inter se plura vota quae eadem die implenda sunt. Unde qui, una die, centum vota materiae levis violaverit, non ideo graviter peccaverit. — Secundum *effectum,* ut si, per repetitas detractiones, personam reddas penitus invisam.

419. — Quaeres utrum necne materia,'n se gravis, Heri possit levis, considerata ut modica pars tummac seu quantitatis totalis.

Id contingere quidem potest, sed casus prudenter perpendendi sunt. In primis necesse est ut agatur de re quae *quantitative* aestimatur, ut pecuniae, ut orationes dicendae. Opus praeterea est, ut materia ista tamquam pars ad totum seu universitatem quondam pertineat. Hinc, qui voverit 100.000, non censetur omissis *centum* libellis graviter peccasse contra votum vel promissionem. In partiendo amplo patrimonio, amplitudo efficiet, ut tacito quodam consensu res in se notabiles pro levibus aestimentur. Idem putat Lehmkuhl, II, 269, dici posse de omissione unius missae ex centum debitis ad eandem intentionem; verum ali' hoc non admittunt. Nec in contractibus stricte commutativis, ut emptione, venditione, mutuatione, concedunt ut a gravi excusetur qui non solvat summam in se gravem.

Observes, in contractibus de missis, cum de una missa agitur, obligationem solvendi unum stipendium non esse gravem, dum gravis est obligatio celebrationis cui tale stipendium est coniunctum.

419 *bis.* — Quae dicitur voluntas committendi omnia venialia practice non significat nisi generalem remissionem in vitandis peccatis venialibus. Uniusmodi remissio, neglegentia, etsi periculosa, et valde damnosa per se sit, plerumque non est nisi venialis, quia ad mortale « tantum est dispositio *remota,* nisi accedant aliquae peculiares circumstantiae, quae in aliqua materia consumment occasionem proximam p. Suabez, *De Delia,* tr. S, s. 1, n. 4. Sic etiam Lugo, *Paen.* d. 16, n. 50 ; S. Alph. 4, 12 (ut probabilius) contra Sanchez, *In Decal.* I, 5, 4.'

419/cz. Deliberatio de mortali peccato committendo erit mortalis, si perfecta fuerit, i. e. si plene advertens gravem actus propositi malitiam, deliberate anceps manere eligas : tunc enim vir-

tualiter aestimas fieri posse ut bonum creatum, divinae amicitiae rationabiliter anteponatur. Saepe autem est tantum quaedam neglegentia in expellendis cogitationibus et affectibus contrariis, quod est veniale. Leumk. I, n. 347, 5.

II. — *De peccato veniali habituali.*

420. — Ipsum peccatum veniale perseverat moraliter donec retractetur. Quare est etiam peccatum veniale habituale. Sed in homine insto, manet principium caritatatis quo venialis culpa possit reparari ; ot habitualis culpa venialis nulla reali privatione continetur. Utique, repetiti actus veniales difficultatem quandam perfecte agendi facile generant; sed difficultas ista, quae post deletam culpam remanet, est quaedam poena concomitans peccatum, nullum autem peccatum habituale constituit. Nulla autem proprie dicta *macula* sequitur peccatum veniale. Venialeenim peccatum impedit quidem fulgorem quem anima ex virtutum actibus obtinet; verum, cum nullum habitum infusum tollat vel minuat, et macula habituale potius quam actuale detrimentum signet, anima secundum quid tantum non autem proprie, peccato veniali maculatur.

SUMMABIUM.

421. — Ex definitione Conciliorum, fide tenendum est haberi peccata venialia quae, qualia committuntur, hominem non constituunt Dei inimicum, sed sunt remissibilia. Ac certum est talia osse *natura* sua, et non ex mera Dei misericordia. Disputatur autem utrum necne Deus potuerit positiva voluntate omnes inordinationes reddere mortales. *Psychologice* explicantur peccata venialia, tum quia habemus actus semi-deliberatos, tum quia possumus deliberate agere non consequenter ad servatam nostram voluntariam ordinationem versus Deum, ultimum finem, in rebus quae substantiam ordinis intactam esse sinunt.

Est itaque peccatum veniale voluntaria inordinatio circa creaturam, sine aversione a Deo. Quod propter materiae rationem est veniale, tale est ex *genere* suo. Propter *imperfectionem,* actus venialia sunt, etiam in materia gravi, actus semi-doli berati, ot

qui propter tenuem huius materiae quantitatem, a gravi excusantur.

II. Peccatum veniale est *analogice peccatum,* cum aliam ac peccatum mortale significet inordinationem et offensam, et aliam inferat poenam. Dicitur praeter legem, non contra, quatenus non fit secundum directionem oppositam legi i. e. ordinationi ad finem.

III. Malum tamen est supra omne malum physicum, atque odio a Deo habetur, eiusque conspectum impedit.

IV. Subioctum non est nisi homo qui habet processum discursivum et imperfecte subiectas potentias inferiores.

V. Criteria peccati venialis erunt : 1. Obiective accidentales ordinis violationes, circa modum colendi Deum et servandi proximo justitiam et caritatem. In actibus qui non referuntur ad alios. reperiuntur potissimum peccata ex genere suo venialia, quale est ipsum mendacium. 2. Signa imperfoctae deliberationis, desumenda ex praesumptione, ex ultroneo conscientiae dictamine. ex statu agentis, ex modo actionis, eiusque incompleta ratione.

VI. Peccatum veniale proprie non transit in mortale. Sed accedere possunt graviter culpanda: affectus, finis extrinsecus, contemptus, scandalum, periculum peccati mortalis, atque interdum accumulata materia.

Contra, quantitas quae, separata, gravis foret, potest, ut modica pars totius, pro levi haberi. Nec gravis videtur voluntas committendi omnia venialia. Deliberatio de committendo mortali non est semper perfecta, nec proin subiective mortalis.

VII. Habetur moraliter peccatum *veniale habituale* ; in nulla tamen privatione reali consistit ; nec macula proprie dicta peccato veniali efficitur.

CAPUT IV.

De Imperfectione morali.

422. — Imperfectionis ratio abstracta. Imperfectio negat do se ulteriorem perfectionem ; ac proin, cum agitur de ordine morali, negat istam perfectionem in ipsa operatione humana, quae est obiectum scientiae moralis.

Esse autem potest mere *negativa,* aut *positiva.* Negativa signat merum defectum, meram carcntiam ; positiva.

aliquod malum, ac proin aliquam privationem «eu absentiam rei quae inesse debebat.

Ratio concreta. Considerari porro potest ex parte *deliberationis,* vel ex parte *bonitatis moralis,* seu intentionis vel electionis.

Ex parte *deliberationis,* imperfectio negativa afficit actus indeliberatos qui tamen obiective tendunt in rem bonam seu non malam. Perfecta enim actio hominis est actio humana, seu deliberata. Imperfectio positiva designat motus inordinatos, sive voluntatis sed primo-primos, sive aliarum facultatum, quos voluntas ex *infirmitate* non cohibet, quos mere patitur : evagationes mentis in oratione, motus sensualitatis. Quia donum integritatis ab istis eximebat, et aliquam tendentiam in malum produnt, sunt *positivae imperfectiones* : in homine, ut Deus illum in iustitia creavit, deberent non esse, sed culpam originalem sequuntur.

423. — Praeterea, ex hodie satis communi sententia, ex parte *bonitatis, negative* imperfectae sunt liberae electiones nostrae rei honestae, sed non melioris, ad quam meliorem non specialiter vocamur : v. g. quibus non observamus consilium generale contentum in S. Scriptura, vel adeo (secundum quosdam) magis remissam inspirationem neglegimus. *Positiva* vero imperfectio est omissio actus ad quem quis *peculiariter* invitatur, vel etiam (ut quidam volunt) actus qui perspicue, omnibus perpensis, melior esse cognoscitur.

Atque addere solent, has positivas imperfectiones, non solum ex motive propter quod libere admittuntur, facile evadere peccata venialia, sed praeterea, secundum se disponere ad peccandum, hominemque privare gratia habituali et gloria maiore sibi destinata; immo esse causas cur Deus deneget abundantiores gratias actuales sine quibus homo facile peccat, immo amittendae salutis aeternae periculo fit obnoxius. Id dicunt de illo qui, sicut adulescens in evangelio, specialiter vocatus ad statum perfectiorem, tristis abiit. Cf. v. g. quae habet S. Alph. l. 2, n. 78 vel Lehmk. I. 662. 663.

Verum patroni alius sententiae, quae hodie invalescere coepit, has posteriores imperfectiones, quas S. Thomas ignorasse videtur, de medio tollunt, eum illas esse peccata venialia contendant.

Priori sententiae haec favent: *a)* peccatum non est sine praecepto, et consilium in optione ponitur eius cui datur (1); *b)* in 1 ad Cor. c. 7, S. Paulus, commendans virginitatem, aperte declarat eum non peccare qui matrimonium eligit; et c) SS. Patres valde inculcant hanc optionis libertatem (2); *d)* accedit istud, ad decorem ordinis praesentis pertinere, ut homo etiam in hac re Deum imitari possit, ut sicut divina libertas mundum bonum sed uon optimum creare debuit, sic humana libertas, honestum quidem, sed non magis honestum eligere debeat.

Posterior sententia his argumentis uti potest. Praeter condicionem honestatis requisitam in genere vel in obiecto actus, actio nostra honesta esse non potest, nisi simul satisfaciat generaliori cuidam legi cui subordinatur. Iamvero deliberatus neglectus specialis invitationis divinae, vel boni certo melioris ipsi agenti, huic generaliori legi satisfacere nequit. Etenim, neglectus beneficii clarae et specialis invitationis divinae continet defectum reverentiae erga Deum, fiduciae in Deo, et ingratitudinis: qui sane sunt peccaminosi. Praeterea, cum homo totus sit propter finem vitae aeternae, cum finis ille sit propria et intrinseca eius perfectio, quomodo non deroget caritati erga se qui minorem gloriam aeternam deliberate elegerit Bene intellegitur ab Ente infinite perfecto, cui nullum bonum intrinsecum accrescere potest, tam perfectam possideri libertatem ut, sicut omni creatione abstinere poterat, mundum quoque bonum quidem sed non optimum eligere possit: sed qui occasionem certam maioris perfectionis et beatitudinis deliberate neglegit, nonne sibi damnosus dicendus est? Quomodo talis electio rationabilis esse poterii t Excusatio nimiae difficultatis, rei incertae, tollitur quando specialis

(1) *Sumina,* 1, 2, q. 108 art. I. – (2) Cf. opusculum nostrum de vocatione religiosa et. sacerdotali.

habetur invitatio Dei, vel quando res manifesto melior mihi adest. Si vero comparativa electio rei minus bonaa nequit esse rationabilis, erit necessario peccaminosa, cum Deus totum rationis usum sanciat. Cf. laboriosas evasiones P. Lehmk, I, n. 109.

Sit haec altera forma ratiocinii. Ut voluntas libera sine inordinatione amplecti possit quod clare novit minus perfectum, oportet ut *a)* non optet pro minore bonitate intrinseca ; *b)* non minus amet subiective infinitam perfectionem. Utrique condicioni satisfacit Deus, qui nihil acquirit, qui omnia amat amando bonitatem suam infinitam, nec minus amat bonum sive nihil creet, sive creet mundum bonum sed non optimum. In nobis autem, quando eligimus minus bonum, utraque condicio deficit. Praeterea, secundum S. Thomam, in finis intentione non deberet esset mensura. Cf. 2, 2, q. 184 art. 3. c.

Denique, patroni prioris sententiae talia consectaria conectunt cum imperfectione positiva, ut longe melius sit et securius pro vita aeterna centies venialiter peccare quam v. *g.* vocationem religiosam non admittere.

Posteriorem sententiam sequuntur Caietanus, in 2, 2, q. 186, art. 2 ad 2; art. 9; Valentia, t. 3, d. 19, q. 2, p. 1 ad 3 arg. ; Passerini, *De hominum statibus,* t. 2, in 2, 2, q. 184, art. 3, n. 43-45, 70-73 ; Toletus, *Summa casuum conscientia,* 1. 3, c. 2, n. 1 ; et recens Hugueny O. P. « *Imperfection et péché véniel* » *(Rev. Clergé fr.,* t. 53, p. 641-661) ; Fonsegrive, « *La loi morale et la loi sociale* » *(Quinzaine,* 1 dec. 1905, pag. 322).

424. — Conclusio nostra. Controversiam istam dirimere nobis in animo non est. Quod tamen certum est, homo non debet sub respectu melioris boni electiones suas positive facere, sed satis est ut se dirigat secundum normas honestatis. Severior enim obligatio, si communis foret (namque selectae quaedam personae illam ex voto prudenter assumunt), homines ad incitas redigeret quae ipsi honestati essent periculosae.

Praeterea, ut nobis videtur, si prior opinio verior vi-

doatur, i. e. si nulla est *indwidualis* obligatio sequendi quod clarissime melius est vel quod Deus clare faciendum inspirat, illae gratiarum actualium subtractiones, illa pericula aeternae vitae quibus patroni prioris sententiae animos percutiunt, chimaerica sunt. Sed tunc dicendum generaliore modo est quod de electione vitae status proferebat Cornelius a Lapide (in 1 Cor. 7, 7) : « Elige statum quem vis, et Deus dabit tibi gratiam competentem et propriam ut in illo statu decenter et sancte vivas ». Quo modo enim se quis tanto periculo aeternae vitae sine peccato etiam gravi opponeret, fatemur non videre.

SUMMARIUM

425. — I. *Imperfectio,* quae ulteriorem perfectionem negat, potest esse simplex carentia, si *negativa* est, vel privatio, si *positiva*.

Ex parte deliberationis, motus indeliberati in res non malas sunt imperfectio negativa ; in res malas, sunt positiva imperfectio, quia connotant privationem integritatis.

II. Pro non paucis aetatis modernae, liberae electiones rei honestae sed non melioris sunt imperfectiones positivae vel negativae, prout quis erat vel non specialiter ad meliora invitatus.

Dum aliis, quorum hodie sententia invalescit, istae sic dictae imperfectiones positivae sunt peccata venialia, cum deliberatus neglectus divinae invitationis nequeat osse omnino honestus.

Contra tamen facit, peccatum non esso sine praecepto, et libertatem optionis a Patribus valde inculcari, cum agitur de consiliis evengelicis. Id saltem constat: homo non debet electiones suas sub respectu melioris boni facere. Ac, si nulla constat obligatio individualis sequendi quod perspicue melius est, tunc neganda quoquo sunt pericula futurae vitae quae a non nullis adeo urgentur : his enim se exponere foret graviter culpanda temeritas.

TITULUS IL

Moralis peccatorum specificatio.

Utilitas istius tituli est turn doctrinalis, cum distincta notio specificationis intellectum de peccatis non leviter iuvet, tum practica, cum paenitenti et confessario quaedam cognitio specificationis moralis necessaria sit ad definiendam obligationem accusationis sacramentalis.

426. — I. Moralis specificatio peccati venialis. Quaestio de specificatione peccati venialis ambigi nequit. Etenim, in peccato veniali non habetur nisi indebita conversio ad creaturam. Ergo ex parte istius indebitae conversionis specificatio necessario fiet. Sive autem dicas : specificatio tit ex obiecto ad quod fit conversio, sive dicas : specificatio fit ex inordinatione istius conversionis, res in idem recidit: tantum mutas quod dicitur in recto vel in obliquo. Ponas manducationem intemperatam. Si specificas per appetitum cibi, cum obiectum sit privatione affectum, in aestimando obiecto, ad privationem qua afficitur, seu ad notam intemperantiae animadvertetur ; si specificas per contrarietatem ad virtutem temperantiae: in aestimanda ista privatione, attendetur ad id quod remanet ordinis in ista appetitione, i. e. ad relationem cibi ad hominem cui destinatur. Omnis ceterum privatio ex forma opposita suam quasi-speciem sortitur. Quae forma ipso obiecto revelatur. Quare practice ad easdem conclusiones pervenitur. Id ipse S. Thomas fatetur : Si peccata distinguere malis secundum oppositas virtutes, « in idem rediret ; virtutes enim distinguuntur specie secundum obiecta » (1, 2, q. 72 art. 1, ad 2).

Quia tamen inordinatio non est secundum se voluntaria, dum voluntaria est conversio ad obiectum, nam peccans intendit, actum voluntatis in tali materia exercere, melius dicitur peccata specificari secundum obiccta. Nam species constituitur secundum illud quod est per se, non autem secundum illud quod est per accidens, « quia ea quae sunt

per accidens sunt extra rationem speciei ». Et ideo peccata specie distinguuntur ex parte actuum voluntariorum, magis quam ex parte inordinationis in peccato exsistentis. Ergo, si accurate loqui velimus, dicemus species peccatorum venialium, magis quam recessu ab ordine qui actum deturpat, deficiente obiecti bonitate distingui.

Atque istud addas. Si specificas per obiectum, ab initio excludis istum errorem, quo putaveris ex virtute cui peccatum opponitur iam ultimam sumi specificationem; dum plura peccata specie diversa, eidem virtuti, v. g. iustitiae. opponuntur. Sic homicidium et furtum, ambo opponuntur iustitiae commutativae, et tamen non levi speciei diversitate separantur.

42*. — II. Moralis specificatio peccati mortalis.

Cum agitur de peccato mortali, praeter privationem rectitudinis quae in ipso obiecto detegitur et ab agente participatur, altera habetur, i. e. aversio a fine, quae conversionem ad obiectum commutabile sequitur in agente et huius est propria. Finis enim ultimus est agentis, non autem obiecti qua talis. Iam vero, si haec privatio speciii- caret peccatum mortale, peccatum mortale non posset ad eandem speciem ac veniale pertinere (cf. n. 393). Praeterea, cum privatio ista sit totalis, omnia peccata mortalia forent eiusdem gravitatis. Nunc autem, ex facta supra ratione, peccata quoque mortalia specificantur ex obiecto ad quod peccans se convertit. Inde gravitate inter se differunt. Et quia in ratione indebitae conversionis conveniunt sed non infinite differunt, peccata mortalia et venialia in eadem specie morali occurrere possunt (1, 2, q. 72, art. 5 ad 1).

Doctrina tradita confirmatur ipsis nominibus peccatorum in S. Scriptura : nomina ista designant actus positivos. V. g. S. Matth. 19, 19 : ‹ Cogitationes malae, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphomiae » Actus autem speciem suam ab obiecto morali mutuantur.

428. — Regula. Quoi sunt ergo obiecta moraliter diversa ad quae actus mali terminantur, *M* sunt *species pec-*

catorum. Moraliter autem sunt diversa, cum diversam habent repugnantiam cum recta ratione et lege divina ; seu eum diversa est ratio cur rationali creaturae non conveniant. Cf. Vasqxjez in 1, 2, q. 72, art. 1, n. 14 ; Billot « De peccato », th. 2.

Haec regula est adaequata ; ceterae quae proponuntur eam vel illustrant vel applicant.

429. — **III.** Praefica investigatio. Itaque *practice* quaerendum est *cur* actio mala sit, seu a regula morum discrepet. Si ratio est *lex positiva,* indagandum praeterea est in quem finem lex praecipiat ; si agitur de *praecepto particulari,* videndum est quo titulo datum sit ; si obligatio est *voluntarie suscepta* per votum, iuramentum, promissionem, pactionem, inquirendum est cuius generis obligatio suscepta sit. Actiones enim quae non sunt malae nisi quia prohibitae, suam habitudinem ad morum regulam directe non revelant. Haec *line* legis vel praecepti, si hoc manat ex iurisdictione, — *titulo* praecipientis, si Superior non habeat nisi domesticam auctoritatem patris vel praefecti communitatis, — *morali intentione* se voluntarie obligantis manifestatur.

Reperta hac ratione, ultima species nondum semper attingitur, quia, in morali existimatione, regula morum diversimode per actionem, per omissionem, per excessum, per defectum violatur ; et diversimode se habent ad personam bona gratiae, vitae, honoris, possessionum exteriorum. Quare, sane, specifice saltem variant peccata quae diversis virtutibus opponuntur, sed uni eidemque virtuti opponuntur quoque actus inter se specie diversi. Undo caute usurpanda est regula haec insufficiens : « Quot sunt virtutes violatae,tot sunt peccatorum species». Sic idololatria, atheismus, superstitio, specie inter se differunt, etsi omnes tres virtuti religionis opponuntur.

430. — Legislatoris diversitas non mutat speciem. Quia leges non obligant ad oboedientiam *formalem* (qua. oboediens praeceptum exsequi vult *quia* est praeceptum), diversitas legislatoris (nisi diversitas motivi accedat) specialem malitiam non inducit : sic unius speciei est peccatum contra praeceptum ecclesiasticum

quo divinum determinatur (puta confessionem annuam, paschalem communionem). Pari modo unius sacrilegii reus est qui violat votum quod habet ut subdiaconus et ut sollemniter professus.

Verum *plures specificae malitiae unum peccatum deturpare* possunt. Sic qui ex lego Ecclesiae, ex voto, ex iuramento eidem sacro assistere debeat, triplici specificae obligationi per omissionem deest: *lex* enim intendit in cultum Deo deferendum; *votum* obligat no Doo sis infidelis ; *iuramentum,* ne Deum in testem falsitatis invoces. Quae triplex malitia unius peccati uni religionis virtuti opponitur.

SUMMARIUM.

431. — I. *Moralis specificatio peccati,* non solum venialis, — quod liquot, — sed etiam mortalis, fit ex obiecto ad quod peccans so inordinato convertit, quia ex hac tantum parte actus ost per so voluntarius ; non orgo, cum agitur de mortali, ex aversione a Doo, fine ultimo, quae, in omni peccato gravi, eadem est.

II. Quot orgo sunt obiecta moraliter diversa ad quae actus mali terminantur, tot sunt species peccatorum.

Quare videndum est *cur* actio mala sit. Atque attendendum praeterea est, violationem ordinis per actionem et excessum, moralitor differre ab eadem violatione per omissionem et defectum. Ac pro diversa habitudine ad personam, variant peccata quibus persona violatur vel in anima, vel in corpore, vel in fama, vel in honore, vel in bonis exterioribus.

Sed diversitas legislatoris non mutat speciem, cum nulla obligatio oboedientiae formalis imponatur.

TITULUS ITT.

Numerica peccatorum distinctio.

Utilitas istius tituli usum sacramenti pacnitontiae potissinum respicit.

432. — I. Principia (1). 1. A quo quid habet esse, habet quoque unitatem, cum unum et ens convertantur. Morale autem et peccatum *est* a voluntate. Ergo a voluntate habet

(1) N. *h*\ Non agitur hio do *numero malitiarum,* quae pluree in uno peccato inesso possunt, sicut horno manet unus, quamvis pluribus qualitatibus nstruatur.

quoque *unitatem,* ita saltem ut ubi plures sint voluntates successivae, v. g. propter actuum retractationes vel interruptiones, plura peccata necessario habeantur. Inde primum quoddam principium : *multiplicatis voluntatibus,* peccata multiplicantur.

2. In formis tamen quae solo numero distinguuntur, principium multiplicationis est ipsa materiae divisio. Sic, cum voluntarii sint non soli actus interiores verum etiam actus imperati, pervenimus ad alterum principium : *multiplicatis actibus peccaminosis,* per se multiplicantur peccata.

3. Si tamen actus isti peccaminosi in moralem quandam unitatem conveniant, secundum principium temperandum est illo tortio : *Unum sunt peccatum plures actus qui, eadem voluntatis deliberatione imperati, moraliter unum quidpiam efficiunt.*

Plures autem *termini* unius intentionis, qua tales (v. g. plures personae quae detractionem, furtum, homicidium patiuntur), peccata non multiplicant : sive sub confusa ratione multitudinis apprehendantur, quod tunc Leiimkui quoque concedit, sive intentio et actio mala in singulos ut distinctos dirigatur. Ita dicimus cum Suarez, *Paen.* d. 22, s. 5, n. 34-36 ; Lugo, *Paen.* d. 16, n. 126 sq. contra Vasquez 1, 2, d. 74. 75, et in 3 p. q. 91, dub. 4 et 5 ; S. Alphonsum l. 5, n. 45. 46; d'Ann. I, 284-288.

Rationem hanc facilem afferimus, quia actus ab obiecto quidem *speciem* sumit, sed cur ab illo termino exteriore pluralitatem sumat non videtur. Ac conclusio ista cum principio S. Τπομαε de repetenda *unitate* ex *voluntate,* seu principio, et *specificatione* ex *obiecto,* seu termino, ita cohaeret, ut nisi esset aliorum auctoritas, diversam sententiam fortasse diceremus improbabilem.

Quocirca, etiam diversitas obiectorum totalium moralem actuum unitatem impedire quidem potest, et indicium

(1) *Thtol,* I, 352, ubi «impliciter pro eo allegat Laymann, l. 1, tr. 2, c. 3, n. 2 ; Lugo ; Suarez ; Ballerini Palmieri, I, n. 630 «e. qui tamen distinctionem qua ipae utitur vlrtualitcr excludunt. Sed potius aliam inducunt, cum exigunt ut actus externus «it unicus (cf. Ball.-Palm. l. c. n. 032 et 638), quod quadrat ad dicta a nobis, hio, n. 432, 2.

pluralitatis nobis suppeditare, sed, contra ac saepe fit hodie, tamquam formalis ratio multiplicationis proponi nequit. Maioris perspicuitatis causa, singula principia magis declaranda videntur.

433. — **II**. Maior *explicatio* primi principii, de pluralitate voluntatum cum applicationibus.

1. Quot fuerint, post *retractationem,* voluntatis renovationes, tot numero peccata ad primam voluntatem accedent. Retractatione enim praecedens voluntas necessario finitur.

2. Perinde dicendum est si, etiam absque paenitentia de actu praecedenti, voluntarie seu *jormaliter* ab eo *cessatum* est. Sic, absque paenitentia, fur, adulter, quia transierit occasio, voluntatem furandi, adulterandi deponere possunt. Quotiens illam, redeunto occasione, iterum assumpserint, totiens necessario peccabunt.

3. *Involuntaria* et *naturalis cessatio,* v. *g.* per somnum, per distractionem ad alia, etiam voluntati finem imponere seu actus moraliter interrumpere potest. Hoc habetur quotiescumque actus sequens iam non ex virtute prioris deliberationis exoritur; non autem si « reditus ad similem actum quasi naturaliter fit sine nova deliberatione » (1). Atque hic observandum est, non aestimari novam, voluntatem quae, remissior facta, occasione quadam exterioris praesentiae causae excitantis vel interioris meditationis, denuo fit intensior, sicut novus non est ignis cui nova alimenta afferuntur, et ideo ex languido in ardentem convertitur.

Quaestio ergo nascitur, *quam diu* una voluntas moraliter perseveraro possit. Una regula generalis nobis non est praesto. Ad moralem aestimationem iuvandam, distinguendi sunt actus *interiores* sine proposito efficaci ; actus qui *efficax propositum* seu voluntatem exsequendi continent ; et actus *exteriores.*

Separati a proposito exsecutionis, actus interiores satis facile cessant, nec regulariter ultra duas vel tres horas moraliter perseverare posse arbitratur Logo (2) : puta blasphemias interiores, delectationes de impuris phantasmatibus. Diutius tamen in ipso habitu conservatur desiderium turpo, odium proximi. Immo voluntaria aversio a proximo per menses perseverare potest.

(1) Suarrz, *Pacnit,* **d. 22, e. 5, n. 11.** — (2) *Faenit,* **d. 16, n. 670,**

In proposito exsequendi, voluntas diu sustineri potest. Distinguendae tamen sunt personae atque etiam materiae. Sic quaesita vindicta, quaesita femina, quaesita furandi occasio, quasi latent eadem in conscientia, etiam post somnum, post distrahentes occupationes ; dum, contra, propositum facilioris exsecutionis citius interrumpetur. Sic propositum legendi librum pravum plerumque post horam interrumpi, censent Ball.-Palm. (1). Quod verum arbitramur, si agatur do libro qui ad manum est, quia ad huiusmodi propositum debilior voluntas, quae citius exstinguitur (2), sufficit.

In *coepta externa* exsecutione, eadem interna voluntas facile usque ad completam exsecutionem perdurat, in eo v. g. qui tentamina exteriora repetit ad homicidium, qui per plura furta partialia unam summam gravem surripere intendit, qui, postquam unum librum prohibitum legere statuit, per plures vices physice interruptas, lectionem perficit.

434. — III. Maior *explicatio* alterius principii cx pluralitate actuum exteriorum desumpti.

Per se, quot *distinctae* sunt *consummationes exteriores, tot peccata numeranda* sunt. Distinctae autem sunt consummationes exteriores, quando actus exteriores inter se non sunt uniti. Itaque plura peccata committi qui, etsi in eadem collocutione, modo uni, modo alteri personae detrahit ; qui pluries peccatum solitarium vel fornicationem perficit.

435. — IV. Maior *explicatio* tertii principii, de morali unitate plurium actuum etiam exteriorum.

1. Moraliter *uniuntur actus exteriores subordinati inter se ut ad unum finem seu obiectum completum directi.* Sic omnes actus exteriores ad unum finem furti ordinati (3), pariter actus imperfecti (oscula, aspectus, tactus) ad unam copulam directi.

2. Moraliter uniuntur *actus exteriores eiusdem rationis, qui in eodem aestu, passionis repetuntur,* vel *sub communi quadam apprehensione cognoscuntur* et *intenduntur* vel *eliguntur.* Sic imperfectae luxuriae quae ad fornicationem quasi quodpiam complementum accedunt, sic plura convicia, contumeliae, impre-

(1) *Op. theol.* I, tr. 4, n. 657. — (2) Luoo, op. o. d. 16, n. 590.
(3) S. Tn. Iu 1. 1 Sent. d. 12, q. 1 art. 1.

cation.es in eadem ira pronuntiata, plures alapae moraliter simul impactae, immo plura vulnera eodem modo simul inflicta. Voluntas eniin fuit non quidem dicendi tale verbum iniuriosum, dandi talem alapam, infligendi tale vulnus, sed magis generice, humiliandi, percutiendi, vulnerandi. Propter eandem rationem, qui, in statu peccati, accedit ad audiendas confessiones, vult tali occasione sacramentum sacrilege administrare, in quo uno obiccto plures datae absolutiones conveniunt. Ipsa ratio sacrilegii est sollemnis administratio sacramenti in statu peccati.

per se, distinctum peccatum commiserit qui de fornicatione, statim glorietur, tum propter scandalum, tum quia haec gloriatio non est naturale fornicationis complementum (Suar. *Paen.* d. 22, 15, n. 27).

436. — Corollarium. Quia termini peccata non multiplicant, *semel* peccat qui uno actu odii vel detractionis plures personas odio habet, de pluribus etiam coram pluribus detrahit ; qui uno actu plures personas carnaliter concupiscit, qui uno actu duos occidit vel pluribus damnum affert, qui eodem actu blasphemat in duodecim apostolos vel plures fidei articulos negat.

43Î. — De pluralitate omissionum. Quaeres, *utrum necne plura peccata necessario committat qui per mensem missam non audit, officium non recitat, vel per quadragesimam nullum ieiunium, nullam abstinentiam observat t*

Ex modo dictis patet, unum fore peccatum, propositum *internum* de illa diuturna omissione. Sed quaestio fit de ipsa secuta omissione. Primo tamquam impertinentem excludere debemus quaestionem de iis peccatis quae revera consistunt in committendo, quamvis specie interdum negativa exhibeantur. Sic positiva comestione violatur praeceptum ieiunii et abstinentiae. Quare quotiescumque actus fit qui substantialem continet huiusmodi violationem, totiens peccari non est dubitandum.

Verae omissiones habentur in praeceptis mere positivis, quibus nullus actus secundum se prohibetur : v. g. in praecepto audiendi sacrum, recitandi breviarium.

Recepta sententia habet, quotquot dies fuerint quibus (advertentur) omissum sit sacrum vel breviarium, tot numerari

peccata : idque sive una sive multiplex fuerit ipsa omissionum voluntas. Singulas enim omissiones esse peccata distincta, quia de singulis sint praecepta diversa ; non pluries tamen peccari ab eo qui omiserit totum unius diei officium, quod per partes recitari consuevit, quia unum sit praeceptum terminatum ad totum officium diei(1). Rationes istae difficiles videntur. Non repugnat enim ut diversa praecepta, una sola actione violentur. Cf. n. 430. Ut plura adsint peccata, oportet ut plures roperiamus voluntates vel saltem actus poccaminosos, quibus mala voluntas det quasi formam peccati. Omissio autem ut sic nullum dicit actum.

Verum ex S. Thoma novimus culpandam omissionem imperari posse duplici voluntate : voluntate quae directe intendat omissionem ipsam, vel voluntate quae directe velit bonum quodpiam, v. *g.* ludum quocum omissio necessario coniuncta sit. In posteriore casu, repetito ludo, repetitur actus qui, ut causa cur omittatur missa vel breviarium, graviter est culpandus. Et sic locus est regulae quae dicit plura esse peccata ubi plures sint actus peccaminosi.

Gravior est difficultas, *ubi nullus inordinatus affectus* ad rem positivam cum omissione coniunctam, sed impietas vel incredulitas directe respuat obligationem missae vel breviarii. Nisi concors sententia doctorum peccata ista indistincte multiplicaret, in partes oppositas inclinaremus. Nunc hanc receptae sententiae explicationem trademus. Praeceptum audiendi sacrum, dicendi breviarium ita nos urget, ut ultima saltem missa quae celebratur in die festivo audienda sit, ut ultima saltem diei hora breviarium recitari debeat. Itaque, astanto ultima missa, ultima diei hora, quaelibet alia actio prohibita est sicut prohibebatur lusus propter cuius affectum quis sacrum omittere statuerat. Allegata ratio quoque bene ostendit cur qui totum breviarii pensum omittit, semel tantum peccet; substantia enim praecepti servatur si totum breviarium simul ultima diei hora recitetur.

Quid si physice impediatur. Aliter dicendum est de illo qui voluntaria breviarii proiectione iam per aliquod tempus breviarium recitare non potest. Ille voluntatem

(1) Luao, *Paen.* d. n. 10, 540. 547.

suam malam in unicam proiectionem incorporavit. Quare semel tantum, per se, peccavit. Diversus quoque est actus omittentis diu restitutionem. Haec enim obligatio nullum alium actum moraliter et per se excludit, ac perpetuo urget. Quare, manente eadem voluntate, unum peccatum manet. Of. Lugo, d. 16, num. 548 et 549.

Undo ad hanc conclusionem pervenimus : *omissiones exteriores non multiplicant peccata, nisi quatenus excludant seu prohibeant plures actus positivos.*

N. B. — In promptu quidem est facilior ratiocinatio qua ad easdem conclusiones adduceremur hoc modo : privatio ad habitum, omissio ad actum reducitur. Quot ergo forent peccata per actionem, tot erunt per omissionem. Quotiens autem recurrant prohibitiones, totiens per actionem prohibitam peccatur. Ergo quot sunt praeceptae actiones, tot sunt omissiones. Atque hoc modo perspicitur cur cotidianum praeceptum breviarii, cotidianum efficiat peccatum omissionis, dum diuturna omissio restitutionis peccata non multiplicat, quia semel tantum restituendum est.

Facilior haec ratiocinatio efficax foret si *numerica* peccati ratio desumeretur ex obiecto. Tunc, sicut fit pro specificatione, omissio per modum entis conciperetur. Sed numerus aestimatur secundum actus voluntatis qui ad omissionem sicut ad actionem terminari possunt. Nullus ergo locus est isti permutationi omissionum cum actionibus ; nulla indicatur causa cur plures numerandi sint actus voluntatis quam re vera fuerunt.

438. — Quaeres *quotiens peccet qui in peccato quodam (gravi) obsordescat l*

Quotiens voluntarie omittit conscius praeceptum paenitentiae, quod per se vel per accidens urgeat ; et quotiens *positive* (actibus moraliter distantibus) se emendare renuit. Non autem graviter peccat, cum negative se habet, vel renuit non *absolute* sed *hic et nunc*. Cf. d'Ann. I, 268. Loquimur do peccato gravi. Namque venialis saltem obligatio est, ex caritate ad seipsum, surgendi, moraliter statim, ex peccato.

439. — Quid *si actio principalis* v. g. fornicatio, furtum, ad quam ceterae ordinem dicebant *casu fieri non potuit* f

Non pauci tunc, deficiente principio unitatis, plura fieri peccata autumant, ideoque exigunt ut omnia media explicentur (1) (v. g. scalam muro admotam ad furandum) : vel saltem ea quae in se sunt mala (2) (v. g. actus damnosi, tactus turpes). Sed quomodo *subiective* multiplex fiat quod *propter intentionem* erat unum, non videmus. Quare, cum aliis (3) arbitramur satis esse ut reus indicet suam peccati completi intentionem, vere coeptam exsecutionem, eamque incompletam. Exterius enim tentati furti vel fornicationis vere est reus.

440. — Peccatorum accusatio. 1. Paenitens *qui ultro vel interrogatus numerum accusat,* regulariter do diuturnitate actionis suae interrogandus non est, cum diuturnitas per se sit mere aggravans circumstantia. Aliud est, si manifesto erret. Non raro enim ex malae voluntatis diuturnitate numerus peccatorum coniciendus est.

2. Saepe etiam paenitenti difficilius erit distincto definire *moras, interruptiones,* etc. Dicat tunc tempus diuturnum per quod duraverit malus affectus (v. g. per totam diem turpiter concupivi, per mensem odium gessi). Atque ipse confessarius, attenta personae indole, natura rei et adiunctis v. g. occupationum, moraliter coniectabit quot interruptiones fuerint. Ubi tamen fieri potest, ipse paenitens subiungat utrum interruptiones notabiliter rarae fuerint an frequentes. Quod praesertim usu venit, si per dies, hebdomadas aut mensem interruptio duraverit.

Et quia facilius interrumpitur voluntas quando physica impotentia exsecutioni obstat, qui diu restitutionem omiserit vel facinus patrare cogitaverit, indicet tempora per quae nulla exsecutionis copia dabatur.

3. Is modus indicandi frequentiam non raro magis expeditus erit, ut paenitens solitam peccatorum frequentiam per hebdomadam, mensem indicet.

(1) S. Alph. *Theol. mor.* l. 5, n. 42, ex Viva, *Patn.* q. 5, art. 6, n. 6 Notandum 2.

(2) Ballerini-Palmieri. Op. *th.* I. tr. 4, n. 668. — (3) (TAnnibalr, I, 287 (15); Vander Velden-Piat, I, p. 150 nota; Gênicot-Salsmans, I, 167.

Hac ratione, in meliorem cognitionem status paenitentis, — propter quam cognitionem, tandem aliquando distincta accusatio postulatur, — pervenitur quam per mathematicas indicationes in quibus de habituali statu animae siletur.

4. Observes demum, *plures* quae in uno actu haberi possunt *species morales* semper *accusandas esse, nec confessarium positive decipi posse.* Sane, si quis accuset detractionem, confessarius bene capiet eam coram pluribus vel coram uno facile fieri potuisse ; sed qui se prodit homicidam, unius homicidii reus existimabitur, nisi pluralitatem personarum occisarum saltem confuse indicaverit. Cf. Lugo, *Pa-en.* d. 16, n. 140.

Hactenus quae dicere visum est de quaestione implicatissima, ubi discordiae opinionum, quae specificas rationes interdum cum numericis miscent, miram confusionem inducunt.

SUMMARIUM.

441. — T. Peccatum *suam unitatem* habet a voluntate quae est eius causa. Quare multiplicatis voluntatibus, multiplicantur peccata. Ipsa dein materiae divisio est principium multiplicationis. Quare, multiplicatis actibus peccaminosis, peccata per se multiplicantur. Excipe tamen si actus isti in quandam moralem unitatem conveniant.

Pluralitas *terminorum* qua talis, non multiplicat peccata, dummodo una intentione attingantur. Itaque :

II. — 1. Voluntates multiplicantur necessario post retractationem, et post formalem cessationem vel interruptionem. Regula igitur haec statui potest :

Quot sunt deliberationes novae peccandi, tot sunt peccata. Virtus autem unius deliberationis etiam post somnum perseveraro potest. Sub respectu moralis perseverantiae distinguere iuvat actus interiores sino oflicaci proposito, actus efficacis propositi, et coeptas exsecutiones exteriores.

Per se, quo magis exterius firmatur voluntas, eo diutius eadem durare poterit. Quidam tamen affectus interiores, v. g. odii, diu manere possunt.

2. Quot sunt distinctae consummationes exteriores, tot sunt

peccata. Moraliter tamen uniuntur actus exteriores subordinati inter so, tamquam ad unum finem directi : v. *g.* ad unum furtum vel ad unam fornicationem. Moralitor etiam uniuntur actus extetioros qui in eodem aestu passionis repetuntur, vel sub communi quadam apprehensione eliguntur vel intenduntur, saltem quando sunt eiusdem rationis.

III. *Propositum* omittendi missam por mensem, est unum peccatum. Concors sententia doctorum tot esso peccata vult quot sunt missae re vora omissae, nisi missae assistentia facta sit impossibilis. Ratio haec esse potest, quia, astanto hora ultimao missae, iam prohibetur omnis actio vel modus se habendi quae cum assistentia componi nequôant. Tunc regula foret : omissionibus multiplicari peccata quatenus excludant seu prohibeant plures actus positivos, qui tamen effecti sint.

Qui in peccato gravi obsordescit, peccat quotiens conscius omittit praeceptum grave paenitendi, et quotiens positive se emendare nolit.

Etsi actio principalis ad quam plures secundariae ordinabantur facta sit impossibilis, hae tamen probabiliter manent unum peccatum, quia in intentione efficaci coniungobantur.

IV. *Accusatio peccatorum.* 1. Qui numerum accusat, non est de diuturnitate interrogandus, nisi manifesto erret. 2. Si paenitenti difficile sit distincte definire moras, interruptiones, etc. satis erit ut indicet tempus diuturnum per quod duraverit malus affectus. Addat, si potest, tempora per quao exsecutio erat impossibilis, quia tunc voluntas facilius interrumpitur.

Ac saepe proderit ut indicet solitam frequentiam per mensem vel hebdomadam.

V. Semper tamen accusandae sunt plures species morales quao in uno peccato occurrunt. Nec confessarius positive decipi potest. Ideo, reus plurium occisionum, pluralitatem saltem confuse indicare debebit.

TITULUS IV.

Peccati poenae et exstinctio.

Utilitas. Nec de poena nec de remissione peccati est nobis ex instituto agendum, cum partes istae tractatu dogmatico de *Paenitentia* et de *Novissimis* assumantur. Quia tamen, ut animo simus magis a peccato aversi, non parum prodest nosso detri-

monta et funestas sequelas quae peccato afferuntur ; notitia vero rationis qua peccata exstinguuntur vias salutaris paenitentiae illuminat, ideo, non solum ad magis adaequate possidendam doctrinam do peccatis, sed etiam ad suggerenda Confessario et Patri spirituali opportuna monita, operae pretium erit aurea S. Thomae placita de utroque argumento poenarum et remissionis peccatorum hic summatim complecti. Ac de poenis peccatorum expositioni Card. Billot in opusculo *de Peccato personali* magis inhaerebimus.

CAPUT I.

Peccati poenae.

442. — I. Notiones. Poena proprie definitur : *malum voluntati contrarium et propter culpam illutum.*

In hac definitione, *malum,* respectu *patientis* sumitur, ut sit : *corruptio propri boni delectabilis·,* voluntas cui contrarium est, potest esse elicita vel innata : ut cum aufertur ignoranti bonum quod amissum doleret si eius pretium novisset. Sic multi nunc amissam gratiam sanctificantem minime dolent.

Et quia malum tunc minus est voluntati contrarium, in expiatione per poenas ultro susceptas, immo patienter toleratas, ratio poenae deminute tantum continetur : ut contingit animabus purgatorii. (S. Tn. 1, 2, q. 87 art. 6, c. et 4 Sent. d. 21, q. 1 art. 1, 4.)

Observes autem, in praesenti oeconomia, omne rationalis creaturae malum aut culpae aut poenae rationem habere, ita ut sino culpa, nullum malum ei fuisset.

II. Divisiones. Poena alia est *concomitans,* quam peccatum secum maiore vel minore necessitate affert ; alia est *inflicta,* quae causam extrinsecam habet.

Alia est *medicinalis:* in remedium salutis delinquentis vel aliorum; alia est *vindicativa:* in puram violati ordinis vindictam. Omnis poena ut denuntiata, et omnes poenae inflictae in hac vita temporali, sunt medicinales; dum poenae futurae vitae sunt vindicativae.

III. Reatus poenae est *Obligatio sustinendi poenam*. Distinguitur a *reatu culpas,* ipso termino, cum reatus culpae ad culpam habitualem, reatus poenae ad ipsam poenam terminetur. Titulus proximus poenae est *reatus* culpae, remotus est *culpa actualis.* Quare reatus poenae veluti intermedius ponitur inter culpam et poenam, ita tamen ut magis ad culpam quam ad poenam accedat. Quare Deus *reatum* poenae efficere nequit. (Suarez, ad 1*“ 2” Tr. V. d. 7, s. 1, n. 4.)

443. — IV. Poenae peccati. Homo per peccatum triplicem ordinem cui subditur pervertit : ordinem *rationis,* ordinem *legis humanae,* ordinem *legis divinae*. Ideo committit reatum triplicis poenae, ita ut a se ipse, ab aliis hominibus et a Deo puniatur.

1. *Punitur a se ipse,* per poenas concomitantes. Peccatum personale perfectae rationis seu mortale comites habet : *deordinationem* in ipso homine, seu privationem debitae rectitudinis, eo quod ab ultimo fine est aversus ; dein saltem per se, passionum *anxietates* et *conscientiae remorsus.*

Privatio enim rectitudinis, quamvis, propter conexionem cum electa seu intenta fruitione boni commutabilis, simpliciter voluntaria sit, non est tamen voluntaria nisi per accidens, et est involuntaria secundum quid. Et cum mali rationem manifesto habeat, verae poenae rationem possidet.

Praeterea, peccatum inclinationem naturalem ad honesta minuit, et sic *minuit modum, speciem* et *ordinem* quae insunt *in* ipsa peccantis *natura* ; et quatenus aufert gratiam et virtutem, *tollit modum, speciem* et *ordinem* qui in *gratia* et *virtute* insunt (1, 2, q. 85 art. 4). Hac ratione peccatum deturpat peccantem.

Corrumpit quoque naturam ut est *principium agendi.* Etenim, propter subtractum auxilium divinum et relictos ex actibus habitus vitiosos, inclinatio ad bonum mi-

ll) Cf. Trld. e. VI, c. 1.

nuitur, et augentur vulnera quae peccatum originale naturae inussit: infirmitatem, ignorantiam, malitiam, concupiscentiam.

Denique, peccando mortaliter, homo iugum subit duplicis servitutis. Altero servitutis genere addicitur *peccato* : qua servitute, de se perpetua, Christus nos liberavit. Etenim, dum in via sumus, per ipsius merita copiam habemus a peccato exsurgendi, ita ut servitus nostra non iam sit nisi minus proprie dicta, et quodam modo voluntaria. Altero servitutis genero, necessitatem patimur ferendi *peccati consectaria* : ortam ex habitu peccati propensionem ad peccandum, fomenta tentationum, obligationem poenalis expiationis, praetor alia detrimenta in viribus physicis, in facilitate ingenii, in fama.

2. Punitur *ab hominibus,* qui peccanti negant honorem et existimationem probitatis ; maximo autem a *legislatore* et *indice,* qui, transeuntem peccati actum cum suis consectariis exterioribus considerantes, poenas ferunt quibus exteriori communitatis ordini prospicitur.

3. Punitur *a Deo,* qui, universalis ordinis institutor et rector, punit quam diu iste ordo est ex aliqua parte per poenam redintegrandus.

Poena porro a Deo inflicta in poenam *damni* et in poenam *sensus* dividitur. In utraque autem respectus *Dei,* respectus *subiecti* ct respectus *cul/pae* attendendi sunt. *Respectu Dei,* poena damni est omnis poena quam Deus infligit formaliter non agendo ; poena sensus, quam infligit vel agendo, vel volendo seu permittendo effectus subtractionis qua se vel ut Bonum infinitum vel ut benefactorem subtrahit ; *respectu subiecti,* poena damni formaliter in sola privatione consistit, dum poena sensus cruciatum positivum designat, qui tamen ab ipsa privatione proficisci potest ; *respectu* demum *culpae puniendae,* theologi, cum S. Thoma, poenam damni assignant aversioni a Deo, poenam sensus conversioni ad creaturam. Sed tunc solent iidem theologi ipsam afflictionem quae privationem consequitur, non iam nomine poenae sensus sed nomine poenae damni compellare.

In pueris qui cum solo peccato originali decedant, privatio beatitudinis sino ulla positiva etiam animi afflictione habetur.

In animis contra quao in purgatorio detinentur, dilatio pos-

sessionis Dei maxime afflictiva est, quamvis damni rationem simpliciter non induat, cum animae istae noverint se in gratia habituali, radicem gloriae aeternae possidere.

444. — Cur poena sit aeterna. Peccatum mortale, ac proin reatus poenae, secundum se quidem est indelebile.

Quia tamen per Deum, i. e. per Dei veniam, peccatum etiam mortale auferri et principium caritatis restitui potest, et ad liberalem Dei bonitatem pertinere videtur ut homini facienti quod in se est gratiam non deneget, sanctio poenae aeternae, cuius tremendum mysterium negandum non est, sensui nostro repugnaret, nisi haec ultima consideratio accederet quod, post hanc vitam, humana voluntas iam non mobilis est, sed perpetua obstinatione malo adhaerebit a quo, saltem in fine praesentis vitae, non recesserit. Unde Angelicus scribere non dubitat : « Non enim esset perpetua poena animarum quae damnantur si possent voluntatem mutare in melius, quia iniquum esset quod ex quo bonam voluntatem haberent, perpetuo punirentur ». *(Contra Gentiles,* l. 4). De illa immobilitate puri spiritus et animae separatae metaphysici adeantur.

445. — Corollarium. Eadem *gratiae sanctificantis privatio* est, secundum se *poena,* quatenus Deus hominem gratia formaliter privat, non quidem agendo, sed iam non infundendo gratiam. Quae poena est *infiicta,* quatenus Deum auctorem habet, et est *concomitans,* quatenus in ea continetur inordinatio intrinseca homini quae omne peccatum comitatur. Est etiam *culpa,* quatenus est imputabilis aversio a Deo, summe in se per caritatem amando ; et est *macula,* quatenus est detrimentum nitoris proficiscens a spirituali contactu, per affectum, obiecti moraliter mali.

SUMMARIUM.

446. —I. Poena, seu malum voluntati contrarium et propter culpam illatum, altera est *concomitans,* quam peccatum secum affert, et sic ab ipso peccatore sibi infligi videtur, altera inflicta per causam exteriorem, sive in remedium salutis delinquentis vel aliorum : et tunc est medicinalis; sive in puram violati ordinis vindictam, et est vindicativa. Reatus poenae est obligatio su-

boundi poenam quae proxime cx reatu culpae, remote ex ipsa culpa actuali nascitur.

II. Homo peccans pervertit *ordinem rationis,* et ideo punitur a se ipso per poenas concomitantes : deordinationem in se, passionum anxietates, conscientiae remorsus, ablationem decoris snpomaturalis, imminutionem decoris naturalis, imminutionem inclinationum ad bonum, peiorata vulnera peccati originalis, acceptam servitutem peccati (quae, sine Christo foret perpetua), et necessitatem patiendi sequelas peccati. Pervertit ordinem *societatis humanae,* et ideo punitur ab hominibus minore existimatione, et praecipue a potestate publica, ut exteriori communitatis ordini consulatur. Pervertit ordinem *legis divinae,* et ideo punitur a Deo, poena damni et poena sensus : quae vario modo intelleguntur, respectu Dei, respectu subiecti, et respectu culpae.

III. Quia Deus potest restituero principium ordinis, et Deo convenit ut homini facienti quod in se est non deneget gratiam, vera causa aeternarum poenarum est in immobili voluntate separatae animae.

Corollarium. Eadem gratiae sanctificantis privatio est, secundum se, poena concomitans, poena inflicta, culpa habitualis et macula.

CAPUT II.

Peccati exstinctio.

447. — I. Exstinctio peccati mortalis. 1. *Necessitas et supposita.*. Quia peccatum manet in reatu seu morali imputabilitate, locus est eius exstinctioni. Haec haberi potest, si offendens condignam satisfactionem obtulerit, vel si Deus paenitenti culpam gratuito ignoverit. Exstinctio autem peccati mortalis: *a)* supponit *formalem* cum Deo *reconciliationem,* quae succedat statui inimicitiae in quo peccator misere versabatur; *b)* exigit *formalem poenitentiam* seu detestationem peccati, ita ut propter solam ignorantiam vel oblivionem acceptetur virtualis, quae in actu caritatis perfectae (1) continetur.

(1) Ceterum actua caritatis natura eua talis est, ut homo qui conscius flat gravis offensae Dei, ex dilectione ista ultro et necessario erumpat in formalem peccati detestationem.

[444-447.]

2. *Condiciones.* — Pro *mortali peccato* homo purus condignam satisfactionem offerre nequit. Quare restitutio gratiae et amicitiae divinae respectu nostri semper *gratuita* est. Divina vero bonitas, nostrae condicioni hominum mutabilium seso accommodans, non tantum paenitenti gratiam restituere parata est, sed ad quaerendam reparationem ipsa nos invitat et movet.

3. *Modi.* — Reparatio autem fit *extraztintra sacramentum. Extra sacramentum* contritione perfecta. Cum homo enim peccatum, ex motivo amoris Dei super omnia, retractat, ipse fecit quidquid facere poterat. Deum tunc non decet minus quam ut offensam condonet. Aequalitas itaque hac ratione proportionslitatis habetur, dum condonatio se habet ad id quod Deum decet sicut contritio ad ea quae potest peccator. Sub hoc respectu contritio perfecta dicitur *ex rei natura* reatum culpae expellere (C. Billot, op. c., p. 71).

In sacramento aufertur peccatum ex *opere operato,* dummodo, per contritionem saltem imperfectam, peccator *obicem* affectus ad peccatum abstulerit.

Quia autem mortale peccatum *maculam* inducit ratione tantum a *culpa* habituali distinctam, condonatio peccati fieri potest per modum *ablutionis* maculae, ut in Baptismo, vel per modum *remissionis* culpae, ut in sacramento Paenitentiae.

4. *Effectus.* — Remissio vel ablutio peccati, utrumque peccati habitualis elementum, *imputationem* peccati et consequentem Dei *aversionem,* auferre debet. *Aversio Dei* per *gratiae infusionem* tollitur.

Restituta amicitia Dei, *poena damni,* quae violatae amicitiae seu aversioni Dei respondebat, necessario tollitur. Tollitur etiam necessario *poena sensus* qua *aeterna.* Aeternitas enim poenae sensus ex aeterna poena damni pendebat; omnis aeternitas poenae fundabatur in permanente perversione ordinis quae desiit; ac repugnat ut quis simul ex gratia ius ad aeternam beatitudinem habeat et aeternam poenam pro peccato luere debeat. Sicut autem amicus, quamvis veterem amicitiam restituat, compensationem tamen pro damno allato postulare, sic Deus pro satisfactione

indebite extra Ipsum quaesita dolorosam compensationem exigere potest. Poena itaque temporalis luenda non raro manebit. Haec autem, cum ab *amico* ac proin *patienter* toleranda sit vel ab ipso *sponte expianda* suscipiatur, minus involuntaria est et sic deminute tantum *poenae* rationem servat.

448. — II. Exstinctio peccati venialis. Contra ac dicebamus de mortali peccato, exstinctio peccati venialis :

1. Quod ad *necessarias condiciones:*

a) Nullam proprie dictam reconciliationem per se supponit, cum hominem non fecerit inimicum Dei. *Per se,* inquam, quia commissum ab homine extra statum gratiae constituto, ante restitutam gratiam non auferetur ; *b)* Postulat quidem ut affectus ad istud peccatum tollatur; sed propter istam virtualem retractationem, *formalem* paenitentiae detestationem exigere non videtur. Sic etiam inter amicos homines, reus actionis leviter displicentis formalem quidem veniam petere et impetrare potest ; sed potest etiam bono affectu et actione culpam reparare, atque alter amicus culpae oblivisci potest, sine formali colloquio de ista re ; c) Retractatio peccati venialis non continetur virtualiter in *amni* actu caritatis etiam perfectae, cum haec cum peccato veniali componi possit.

Itaque ratio cur, extra sacramentum, contritio perfecta ad remissionem peccati mortalis requiratur, i. e. necessitas recuperandi principium reparationis, seu caritatem, hic plane deficit, cum principium caritatis subsistat. Solus *postulatur usus principii caritatis.*

2. Quisnam ? *Duplex usus haberi potest:*

a) Qui peccavit recurrere potest ad *sacramentum paenitentiae,* quod directe remittet peccatum, si obex affectus ad peccatum saltem per attritionem sublatus fuerit ;

b) Potest quoque iustus qui venialiter peccaverit impetrare veniam ex opere operantis, per *ferventem actum vel formalis paenitentiae, vel bonitatis* inordinato actui *contrariae,* quo proin virtualiter retractatur.

Omnes isti actus sunt *imperative* actus caritatis.

Venialiter enim peccans legem praesentis caritatis neglexit, et sic fervori caritatis aliquam difficultatem, aliquem obicem creavit. Hunc forti impulsu seu nisu actus boni removere oportet (Cf. S. Th., *De malo,* q. 7 art. 11, c.).

3. *Remissio ista,* quae nullum habitum restituere debet, *est mera non imputatio* peccati praeeriti.

Remissa ipsa, culpa, nondum debitum *poenae* exstinguitur. Sed, praeter usum indulgentiarum, istud per compensationem omnium bonorum operum, nominatim eleemosynae, redimi potest.

4. Itaque *quaestioni,* utrum, extra sacramentum poenitentiae, actus perfectae contritionis ad remissionem peccati venialis requiratur, an sufficiat attritio, non potest simplex responsum affirmans vel negans dari. Contritio requiritur in homine qui est in statu peccati ; attritio sufficit in iusto, atque ideo sufficiat quia status iustitiae denotat principium caritatis, quo exstante, peccatum veniale est simpliciter et ab intrinseco reparabile. Verum, ut explicatum est, ipsa *formalis* attritio necessaria non videtur.

449. — Secundum S. Tπομαμ, ii qui cum peccatis venialibus non retractatis ex hac vita *decedunt,* per actum caritatis in Deum, venialibus istis repugnantem, culpae remissionem obtinent ; sed cum absolutionem seu remissionem poenae mereri nequeant, poenam omnem luendam habent, nisi suffragiis viventium vel intercessione, v. *g.* B. M. V. levetur.

SUMMARIUM.

450. — I. *Exstinctio peccati mortalis* supponit formalem reconciliationem cum Deo, atque exigit formalem paenitentiam, ita ut propter solam ignorantiam vel oblivionem peccati, sufficiat virtualis quao in actu caritatis perfectae continetur. Cum homo non possit condigne satisfacere, restitutio gratiae et amicitiae est semper, respectu nostri, gratuita. Extra sacramentum sequitur contritionem perfectam, qua homo facit quidquid ipse potest ; vel in sacramento gratia per ipsum sacramentum redditur, dummodo saltem per attritionem obex gratiae sit ablatus. Fit autem in baptismo per modum ablutionis maculae, in paeni-

tontia per modum remissionis culpae. Condonatio autem tollit aversionem a Deo per gratiae infusionem et tollit simul imputationem peccati. Restituta amicitia Dei, necessario aufertur poena damni, quae respondebat aversioni, et aeterna poena sensus, quae ex poena damni pendebat. Manere potest poena temporalis, sed non iam proprie dicta, cum sit patienter luenda ab amico.

II. *Exstinctio peccati venialis* nec formalem reconciliationem supponit nec formalem paenitentiae detestationem exigere videtur. Verum, cum conciliari possit cum ipsa caritate, non omnis actus caritatis, etiam perfectae, continet virtualem eius retractationem. Ad exstinguendum peccatum veniale requiritur usus quidam principii caritatis, sive sacramentalis, sive extrasacramentalis, qui fit tunc per ferventem actum sive formalis paenitentiae, sive bonitatis inordinato actui contrariae. Etenim, dum venialiter peccans legem praesentis caritatis neglexit, aliquem obicem fervori caritatis creavit, quem contrario nisu actus boni removere debet.

Remissio autem peccati venialis est mora non imputatio, quae tamen debitum poenae non necessario tollit.

Decedentes cum venialibus non retractatis, obtinent per contrarium actum caritatis in Deum remissionem culpae, toto manento debito poenae.

TITULUS V.

Peccati fuga.

Utilitas istius tituli, in quo de occasione proxima et remota peccandi agimus, maxima est in usu tum activo tum passivo sacramenti paenitentiae, adeo ut scriptores non pauci quaestionem de occasione peccati ad tractatum de sacramento paenitentiae differant. Est tamen generalis quaestio, cuius hic est locus proprius. Nec intellegi possunt solutiones morales, nisi obligationis fugiendi peccata eorumque pericula noveris rationem et mensuram.

451. — Obligatio fugiendi peccata. 1. Negativa pars iustitiae Christianae : declina a malo, nos obligat ut malum morale eo odio abhorreamus quo dignum est. i. e. *odio supremo,* seu *absoluto.* Cuius obligationis violatio, pro ipsius mali moralis gravitate, mortalis vel venialis erit.

Neque possimus hodie, ubi tot homines et philosophi absolutas obligationes morales negant; immo utilitates humanas, sive proprias sive communes, tam facile officiis moralibus anteponunt, in hac verae religionis severitate satis insistere, et fidelibus hanc persuasionem reddere familiarem, leges morum sicut leges fidei esse martyrum fortitudine honestandas.

Malum autem morale proprie tale, non est nisi peccatum *formale.* Malum enim morale est malum voluntatis, quae eligendo malum fit ipsa mala. Peccatum autem materiale voluntati non imputatur. Ergo non est voluntatis malum, *nec proin verum malum morale.*

2. Itaque *obligatio ista nequit,* ut in tractatu de conscientia monuimus, *tra/nsforri ad peccatum materiale.* Sin aliter, absolutus rigorismus profitendus foret, nec reprobare possemus propositionem damnatam : « Non licet sequi opinionem (probabilem) vel inter probabiles probabilissimam (1) ». Ratio autem diversae regulae facile redditur, quia malum (non morale) non observatae legis particularis compensatur bono non nimis impeditae actionis humanae, quae, ut antea exposuimus, soluta a lege peculiari, tenetur semper generalibus normis actionis honestae.

Itaque obligatio fugiendi peccatum materiale convertitur in positivam obligationem curandi observationem legis humano modo. Necessaria ista diligentia variat pro momento legis et subiecti capacitate. De malo peccati materialis disserit LUGO, *Paen.* d. 16, n. 389.

Restat quaestio de obligatione fugiendi periculum *consensus in peccatum* seu potius *tentationem peccati,* i. e. quaestio de fugienda peccati occasione.

452. — Obligatio fugiendi occasionem peccati. Ordine proponemus: I. Recepta placita cum notionibus; II. Causam obligationis cum conclusione nostra; III. Varia corollaria; IV. Regulam perfectionis.

I. Notiones et recepta placita. 1. *Notio.* Occasio peccati est circumstantia homini exterior quae periculum peccandi

(1) Prop, damnata ab Alexandro VIII per deer. S. *Officii,* 7 dec. 1690, n. 3. *(Denz.* 1293).

inducit. Hoc nomine itaque proprie non venit periculum quod in sua natura, in sua fragilitate, in suis passionibus, in acto interiore homo reperire potest, etsi normae de fugienda occasione ad actus quosdam interiores omnino transferendae sunt. Sic qui noverit se certo phantasmatum genere trahi ad voluptatem illicitam capiendam, phantasmata ista deliberate volvere propter istud periculum prohibetur.

2. *Divisiones, a)* Occasio porro dividitur in *proximam* et *remotam*. Verum de notione occasionis proximae non plane concordant scriptores. Cfr. Ballerini, V. n. 105.

Ex Lugo, *Paenit.* (1) : « Proximam appellant, quando talis est ex genere suo ut *frequenter* homines similis condicionis ad peccatum mortale inducat, vel experientia constat in hoc homine talem effectum habere ». Idem fere verbo tenus habet Suarez (2) Rationem autem notionis dans. Lugo subiungit : « Dicendum est occasionem non ideo dici proximam quod inter ipsam et peccatum actuale nihil mediet, sed quia inter ipsam et certitudinem moralem peccati futuri nihil mediat » (d. 14, n. 164).

Moderandam arbitratur n. 149, definitionem quam aliqui ascribunt S. Gregorio propter c. 7, *De Paenitentia,* Dist. 5 : proximam esse « qua non possumus vel certe non possumus sine difficultate uti absque peccato ». Nam tunc deserenda foret militia, negotiatio. « Alii ergo addunt, sic ipse pergit Lugo, occasionem proximam esse qua numquam vel fere numquam utitur homo, consideratis circumstantiis, absque peccato novo, ut qui detinet concubinam ».

S. Alphonso (3) posterior ista definitio non placet, eique praefert hanc alteram qua · occasio proxima *per se* (seu respectu hominum in genere) est illa in qua homines communiter ut plurimum peccant ». Statim autem proximam *per accidens* seu respective dicit eam in qua aliquis «etsi non fere semper, nec frequentius, frequenter tamen cecidit ; vel quia, spectata eius praeterita fragilitate, prudenter timetur ipsius lapsus. Nam, ut diximus, ad occasionem proximam constituendam, sulficit ut homo frequenter in ea labatur ». Severius ergo S. Alphonsus occasionem proximam quibusdam *specialem,* quam occasionem proximam *generalem* describit. Baelerini propria definitione danda abstinet.

(1) *Paenit,* **d. 14, n. 149. — (2)** *Paenit.* **d. 32, s. 2, n. 4. — (3)** *Theol. mor.* **l. 6, n. 452.**

d'Annibale (1) refert hanc mathematicam aestimationem ex Gobât : si ex decem occasionibus, septem vel plus induxerunt peccatum. Lehmkuhl (2) proximam dicit occasionem quae periculum labendi affert grave et instans ; quod colligatur sive ex tristi experientia, si homo « quando versabatur in illis circumstantiis frequentius aut saltem satis frequenter re ipsa peccavit : si autem notabiliter rarius peccavit quam victor mansit, occasio ex lapsuum experientia proxima dici nequit'» ; sive ex vehementi tentationo cui homo in illis circumstantiis exponatur. Génicot (3) definitionem hanc approbat: « in qua homo semper aut saltem omnino frequentius peccat. Unde, etiam in posterum, peccatum est *moraliter certum* aut saltem *valde probabile* ». Quid nobis sit occasio proxima, post conclusionem apparebit;

b) Occasio dicitur *praesciis, continua* seu *in esse,* quae aliquem solet circumstare v. g. in propria domo, in loco quo se cotidie pro negotiis confert ; vel *disiuncta, non continua, non in esse,* quae, separatis intervallis, ipsa se offert vel quaeritur : v. g. visitando cauponam. Prior *removetur, repellitur',* altera potius *declinatur* abstinendo, non quaerendo ;

c) Libera est quam homo sine magno incommodo : scandalo, infamia, gravi detrimento deserere potest ; *necessaria* est, quae vel *simpliciter* vel sine *magna difficultate* relinqui nequit : unde haec vel *physice* vel *moraliter* necessaria esse potest.

Atque observes occasionem esse posse *necessariam* quam prima specie dixeris *liberam.* Sic peccans cum ancilla, vel in officina, qui ancillam dimittere vel officinam deserere potest, nihilominus in necessaria occasione versatur, si tentatio manat non ex *tali* ancilla vel *tali* officina, sed ex ancilla vel officina *qua tali,* et omni ancilla vel officina carere peccans moraliter nequit. Cfr. Lugo, d. 14, n. 150; d. 15, n. 50;

d) *Absolute proxima* vel *remota* dicitur, attenta communi ratione hominum talis condicionis, aetatis; *relative* talis est, attenta peculiari cuiuspiam fragilitate vel firmitate.

(1) *Summula,* I, 172 (05). — (2) *Theol. mor.* II, 617. — (3) *Institutiones th. mor.* II, 371.

e) Occasio potest *esse* proxima in singulis congressibus, vel *fieri* propter frequentiam, ut non raro accidit sponsis;

f) Occasio potest esse varii peccati vel unius definiti (Lugo, *Paenit* d. 14, n. 163. 164).

3. *Fuga occasionis* proximae est duplicis rationis: altera *materialis,* cum removetur aut non aditur res seu persona quae est occasio; altera *formalis,* quando, sive *cautione* adhibita sive *roborata* voluntate, vis tentationis satis minuitur ut proxima in remotam conversa dici possit.

Media adhibenda, de quibus sermo erit in tr. de *Poenitentia,* huc redeunt ut debilitetur aggressio hostilis, vel viras defensivae amplificentur.

4. *Normae agendi.* Non est specialis obligatio vitandi occasionem *remotam,* modo quis firmam habeat voluntatem in ea non peccandi. — *Sub gravi* autem fugienda praecipitur occasio *proxima* et *libera* peccandi *graviter,* nisi, sine temeritate eam per apta media, remotam reddere malis. — Propter occasionum frequentiam, quae rem efficeret molestissimam, et propter minus rei momentum, non videtur *sub veniali* praecipi fuga occasionis proximae peccati venialis, nisi tamen, ut vult Lehmkuhl II, 621. temere, seu sine utilitate, periculum subeas. Quod praesertim valet de iis peccatis venialibus quae mortalia praeparant. Praeterea, saltem veniale erit adire, sine relativa necessitate, occasiones nondum stricte proximas peccati gravioris. Is vero qui versatur in occasione proxima *necessaria* peccandi etiam graviter, vel qui talem adire cogitur, ad id unum faciendum obligatur, ut remedia quaerat quibus spes est fore ut occasio evadat remota. Patio est, quia, etiam in occasione proxima, non peccatur nisi libere, et quia difficultas declinandi occasionem eum excusat ab admittendo periculo, in quo peculiare Dei auxilium expostularo potest.

453. — II. Obligationis ratio et conclusio. Genuina itaque *ratio* cur occasio proxima moraliter declinanda sit, *non est* quod voluntas eam adeundi repugnet seriae voluntati non peccandi: sin minus ne in necessaria quidem

peccandi occasione manere possemus. Praeterea, in occasione proxima *praevidetur* quidem *peccatum,* sed ex *libere tunc mutata voluntate,* eius qui *num·* firmum propositum elicit, ita ut fuga occasionis dici nequeat medium sine quo finis obtineri nullatenus queat. Verum ratio est, quia generalis virtus *prudentiae* nobis imponit sufficientem *diligentiam positivam* curandi ut saltem gravibus cuiuslibet virtutis officiis non derogemus. Positivum istud praeceptum ab eo violatur qui manet in proxima occasione libera ; non violatur ab eo qui necessariam occasionem tolerat. Is igitur qui liberam occasionem proximam materialiter vel formaliter deserere renuit, actu graviter peccat *contra virtutem cuius sic neglegit officia,* in cuius peccato generalis malitia contra prudentiam quoque continetur. Et quia actu graviter peccat, ideo etiam eius propositum fugiendi peccata mortalia non est universale, sicut esse debebat.

In aestimanda ista positiva cura, relativa gravitas periculi et incommodi subeundi pensanda est ; ideo omnis doctrina de fuga occasionis proximae sic magis distincte in pauca contrahi posse videtur.

Conclusio. — *Occasio proxima jormdliter est circumstantia exterior quae peccandi periculum relative grave inducit.* Tale periculum declinare debemus, nisi *proportionate* incommodo excusemur et time cautiones possibiles adhibeamus. Varietas sententiarum efficit ut gravem obligationem non possimus dicere certam, nisi tantum sit periculum ut praevidenda sit in eo culpa vere frequentior quam victoria.

454. — **III.** Corollaria. 1. Ante experimentum rei, gravitas periculi ex communiter contingentibus, nostea vero ex relativo effectu dimetienda est.

2. Qui adit occasionem peccati non stricte *active permittit* peccatum, quod esset intrinsece malum, sed *tentationem,* cui dein ipse libere resistet vel cedet. Observes autem, quamvis peccatum super omnia odisse debeamus, non esse nobis impositum ut super omnia abhorreamus tentationem in qua peccemus. Si cui reveletur fore ut in America committat peccatum quo in Europa abstinebit ; non ideo itinere americano abstinere debebit. Deberet

utique abstinere, si ipsi revelaretur ut in America animam suam in aeternum perderet. Nam tunc praevisam habet quoque coniunctionem mortis cum statu peccati : quod non es in eius libera facultate constitutum, et ex caritate erga se omnino vitare debet.

3. In eo qui proximam peccati occasionem neglegit, potius quam efficacia, *desideratur universalitas* propositi. Dici tamen potest homo iste carere mediata propositi efficacia, cum positivum praeceptum fugiendi occasiones datum sit ad vitanda peccata formalia.

455. — Quid, si in occasione non *stricte physice sed moraliter necessaria, usus remediorum frustraneus videatur,* nec meliora in concreto praesto sint.

In varias sententias abeunt doctores. Ballerini-Palmieri (1) suppositionem potius negandam esse existimant. Alii obligationem tunc deserendi occasionem ipso suo silentio, immo conceptis verbis negant. Si enim, sic ipsi, paenitens «potuit prima vice absolvi, poterit et secunda » (2); cum dolor et propositum non magis in secundo casu quam in primo desideretur ; et quia, in occasione *physice* necessaria, omnes hac praesenti dispositione contenti esse debeant. Sic fere Lugo (3), qui in hanc sententiam propendet. Alii, non pauci, obligant tunc ad deserendam occasionem. quia formalis fuga occasionis sola tunc det spem emendationis, et Christus dixerit: « Si oculus tuus scandalizat te,erue eum et proice abs te » etc. Alii, ut Suarez (4) et S. Carolus (5) negant regulam generalem dari posse. Gury (6) ita distinguit : fugam occasionis imperandam esse si practice facilius videatur deserere occasionem quam in eadem sine peccato permanere. Berardi, in aliquo raro casu, quo Confessarius. cognita morali (7) paenitentis fortitudine, medium eius viribus attemperatum indicet, imponendam putat, non obstante magno incommodo, tugam occasionis.

Sic itaque dicendum arbitramur. Quotiens res aliquo modo possibilis videatur, ipsa occasionis fuga, seu partes tutiores omni opera sequendae *suadeantur.* Et nisi obstet *pravissimum* incommodum, haec fuga *per se· imponenda*

(1) *Opus theol.* **V. n. 119.** — (2) Tamuurini, *Praxis expeditas confessionis,* **III, 3, 10.** — (3) *Paen.* **d. 14, n. 156.** — (4) **In 3 Part.** *De Poenitentia,* **d. 32, I 2.** (5) *Jnstr Confess.* — (6) *Theol. mor.* **II, 631.** — (7) *De occasionariis et recidivis.*

videtur : attenta enim gravitate ruinae spiritualis, occasio iam non potest dici necessaria sed *relative libera.* Cum gravissimo tamen incommodo vitae, fortunae, etc. confessarius non videtur materialem occasionis fugam stricte praecipere posse, cum, propter discidium inter auctores, obligatio certa dici nequeat. Cf. Lugo, *Paen.* d. 25, n. 115. Cetera cf. tr. *De sacramento Paenitentiae.*

456. — IV. Regula perfectionis. Hactenus de obligatione. Verum Christiana caritas ultro ad meliora studia animum erigit. Sicut, in speciali materia venereae delectationis, praedicatur quaedam *castitas angelica,* quae omnem affectum a carnali voluptate solutum servat, dein, quantum decet et copia habetur, carnales motus etiam involuntarios vitat, et a contagio corruptionis saeculi se servat immunem, sic habetur generalis quaedam intentio castitatis mentis, quae perfectam affectus puritatem colit, ac, nulli tamen pusillanimitati cedens, nullumque ministerium caritatis refugiens, omni quidem tentatione fortiorem, adiuvante Dei gratia, se reddit ; rursus tamen aliquam, propter propriam satisfactionem, subire tentationem recusat ; immo sublimitate suarum voluntatum atque imperio in vires inferiores etiam dolorose seu per mortificationem acquisito, fomitem tentationum in ipso virtuoso homines minuere satagit.

SUMMARIUM

457. — I. Absoluta et indispensabili obligatione tenemur abhorrendi supra omnia mala, malum morale, quod est peccatum formale ; non autem materiale, cum voluntati non imputetur. Quare obligatio fugiendi peccatum materiale est ipsa obligatio curandi humano modo observationem legis.

II. *De occasione peccati.* Occasio peccati est circumstantia exterior quae periculum peccandi formaliter inducit. Dividitur in proximam et remotam. De ista notione non plane concordant auctores. Alii enim proximam vocant in qua homo fere semper peccat, dum aliis iam proxima est in qua homo frequenter peccat ; alii proximam esse dicunt in qua homo semper aut saltem omnino

frequentius peccat. Nec dcsiint qui haec mathematice aestimant. Occasio alia est praesens, continua seu in esse, vel disiuncta, non continua, non in osse : prior removetur, altera non quaeritur. Altera est libera quam homo moraliter deserere potest, altera quae vel simpliciter vel sine magna difficultate deserere nequit.

Potest autem absolute vel relative esse proxima aut remota, prout talis est attenta comrnuni ratione hominum definitae condicionis et aetatis, aut attenta speciali personae fragilitate vel firmitate. Occasio potest esse in singulis congressibus vel fieri talis propter frequentiam ; potest varia peccata vel unum tantum respicere. Fuga autem occasionis distinguitur materialis, qua occasio impeditur, vel formalis, qua vis tentationis minuitur ut ex proxima fiat remota.

Sub gravi praecipitur fuga, saltem formalis, occasionis proximae et liberae peccandi graviter ; sub veniali arcendae sunt occasiones liberae minus proximae aut ipsius peccati venialis, quando sino utilitate periculum incurritur peccandi venialiter. In occasione necessaria, manet sola obligatio quaerendi remedia convertendi occasionem in remotam.

Vora ratio obligationis est obligatio prudentiae, quae nobis imponit sufficientem diligentiam curandi ut saltem gravibus officiis virtutis non derogemus. In aestimanda ista positiva cura, relativa gravitas peccati et incommodi subeundi pensanda est.

Quare occasio proxima formaliter est circumstantia exterior quae peccandi periculum relative gravo inducit : hoc declinare debemus, nisi proportionate incommodo excusemur et tunc cautiones possibiles adhibeamus. Propter varias sententias, gravem obligationem non possumus dicere certam, nisi tantum sit periculum ut praevidenda sit, in occasione libera, culpa habitualis seu vere frequentior quam victoria.

Corollaria. Ante experimentum, gravitas periculi ex communiter contingentibus erit aestimanda. Qui occasionem adit, active non permittit peccatum sed *tentationem*. Atque in eo qui proximam occasionem deserere non vult, potius quam efficax propositum, desideratur universale, cum gravem obligationem fugiendi occasionem implere renuat.

TITULUS VI.

De quibusdam peccatorum generibus.

Utilitas. Ad Theologiam fundamentalem pertinent genera-les quaedam indicationes de peccatis quae talis rationis sunt ut generica eorum explicatio intellectum iuvet specialium peccatorum, vel logicam peccatorum collocationem permittat. Duo porro erunt capita istius tituli. In priore de subiectiva ratione quonindam peccatorum, i. e. de peccatis internis ; in altero de quibusdam obiectivis rationibus agemus : i. e. de peccatis capitalibus, de peccatis contra Spiritum Sanctum et de peccatis quae iras de caelo ultrices clamore devocant.

CAPUT I.

De peccatis internis.

458. — Notio argumenti. Ex definitione supra n. 402, tradita S. Augustini, « Dictum, vel factum vel concupitum », distinguuntur peccata *cordis, oris, operis.* Quae distinctio formalis est, quando mens et lingua inchoant peccatum quod secundum se postulat exteriorem consummationem. Tunc peccata cordis et oris, si *separatim* aestimanda sunt, ad *eandem speciem obiectivam* ac peccatum operis *referuntur,* et simul *specie ab eo differunt,* tamquam *incompletum* a *completo* (Cf. 1, 2, q. 72 art. 7).

Mere *materialis,* contra, est eadem distinctio, si agitur de peccato quod interno consensu, ut interior haeresis, vel verbis, ut detractio, perficitur.

Tunc enim sunt peccata simpliciter consummata.

Hoc loco peccata interna consideramus ut secundum se incompleta, et separatim aestimanda sunt.

Interna ista peccata possunt esse *delectatio* seu *simplex amor* et *complacentia,* afficiens rem seu actionem malam; eiusdem rei vel actionis *desiderium', gaudium* de actu praeterito.

Ut supra η. 117, notavimus, sunt qui delectationi sensus nomen *delectationis* reservant, ut nomine *gaudii* delectationem voluntatis appellent. De *fruitione* rei seu actionis praesentis non loquimur, cum haec necessario unum sit cum ipso peccato consummato. Conferenda sunt quae supra diximus de honestate delectationis.

Articulus I. — De morosa delectatione

459. — Notiones et varia moralitas. *Morosa* dicitur delectatio non a inora temporis (namque uno momento perfici potest), sed a deliberato assensu voluntatis.

Terminari autem potest vel ad ipsum *opus,* vel ad eius *cogitationem* : ad *substantiam* operis, vel ad aliquem eius *modum.*

1. *Terminata ad cogitatum opus malum,* v. g. ad homicidium, morosa delectatio est secundum se mortalis vel venialis, prout approbat opus graviter vel venialiter malum (1, 2, q. 27 art. 3). Moralis autem specificatio hauritur ex notis in quibus complacentia habetur. Abstracta enim obiecti consideratio, obiectum quibusdam notis spoliare vel vestire potest.

2. *Condicionata* delectatio, saltem ordinis rationalis, non erit in se illicita, si condicio ordinationem auferat.

Saltem *ordinis rationalis,* inquam: delectatio enim appetitus sensitivi, quae phantasiam rei repraesentatae sequitur, obiectum afficit ut est in se. Quare, si obiectum non potest esse bonum nisi posita quadam condicione quae nunc deficit, ut est commercium carnale personae solutae, ipsa delectatio sensibilis erit illicita. Quocirca, quamvis, propter periculum malae commotionis, haec potius vitanda sit, *intellectualis* delectatio de carnali commercio cum persona aliqua, ea condicione « si esset coniux delectantis », obiective non est inhonesta ; delectatio autem *appetitus sensibilis* foret venerea commotio, quae non coniugatis est sub gravi prohibita Cf. nostrum *De castitate,* n. 367. 368.

Mala ista sensibilis delectatio habetur de *actu venereo,* de *vindicta,* de *jurto* (1). Istud tamen interest inter tres delectaticnes. quod prima et tertia consistunt potius in suavi commotione sub-

(1) Sanchez, *Decal.* l. 1, c. 2, n. 35.

iecti *jruentis,* repraesentatis deliciis vel bonis, dum altera potius hauritur ex persona de qua per vindictam triumphus agitur. Undo prima et tertia, non vero altera, sine affectu ad obiectum facile esse possunt.

3. Delectatio de *cogitatione* rei malae, non autem de opere malo, non est secundum se mala : pro fine, utilitate, modo, mala vel bona esse potest. Sic magistratus honeste de delicto recogitat ut istud puniat; contionator, ut istud reprehendat.

4. Delectatio de *modo* artificioso et industrio (pio res mala facta concipitur, non est de obiecto malo, ac proin *per se* non est culpanda.

460. — Specificatio. Delectatio morosa obiecto specificatur. Obiecto, inquam, prout apprehenditur et delectat. Quomodo tamen, in re venerea, ea quae accusari consuevit delectatio morosa seu complacentia in turpibus phantasiis, sit potius consensus in excitatam venerearn commotionem, et proin signet peccatum actionis solitariae magis quam proprio dictam delectationem morosam, cf. *de castitate et vitiis oppositis,* n. 266. Ibi etiam agimus de obligatione vitandi carnales delectationes vel reprimendi motus sponte exortos.

Articulus II. — De Desideriis.

461. — Desiderii notio, moralitas. *Desiderium,* sicut supra vidimus, intentionem aliquam exsecutionis secum fert ; seu dicit, praeter amorem, quampiam intentionem, absolutam vel condicionatam.

1. Desiderium *absolutum,* quo voluntas consentit in peccatum aliquando perpetrandum, speciem theologicam et moralem actus exterioris in quem fertur necessario participat. Constat ex ipso S. Matth. 5, 28: « Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, iam moechatus est eam in corde suo ». Et ratio est manifesta : actus interior ab actu externo, tamquam ab obiecto suo, bonitatem et malitiam suam haurit.

2. Desiderium *condicionatum erit peccaminosum tel non,* prout *malitia in obiecto manet* vel ab eo *tollitur.* Ratio est, quia quamvis desiderium condicionatum nihil exterius efficiat, in voluntate tamen affectum ponit actionis : qualis itaque culpa foret illam exsequi, talis erit illam amare.

Quare, in se innocua sunt, facta condicione « si prohibitum non esset », vel in statu quo hi actus licent, desideria de rebus solo iure positivo prohibitis : ederem cames feria VI, nisi Ecclesia id vetaret ; de rebus iure naturali in aliquo casu aut statu licitis : occiderem Petrum, si Deus id mihi mandaret ; suspenderem furem, si essem iudex ; ducerem uxorem, nisi essem sacerdos. Observes tamen otiosa ista desideria, in pluribus rebus periculosa fieri.

Contra, mala haec sunt : si non esset infernus, moecharer ; si non casem religiosus, fornicarer, si rationem mei status non haberem, iniuriam ulciscerer, te occiderem ; immo haec alia (etsi quidam *fortasse* contradixerint) : si non esset peccatum, fornicarer, divites spoliarem, etc. Dummodo tamen per haec omnia *voluntarium affectum,* praesentem significes, et non mere propensionem naturalem vel illud quod in alia aetate, in alio statu, in alia fide religiosa facturus fuisses.

Articulus III. — De gaudiis.

462. — Gaudii moralitas. 1. Complacentia in facta mala actione, seu *gaudium* de *commisso peccato,* huius malitiam theologicam et moralem necessario participat.

2. Gaudium *de opere* secundum se malo, sed quod propter somnum, ignorantiam, ebrietatem, culpa vacavit, interdum sed non semper excusabitur. Si opus non fuit peccatum materiale, obiectum erit honestum: ut si quis gaudeat de pollutione nocturna qua diurnae tentâtiones impediuntur. Si vero peccatum materiale fuit : v. g. pollutio tactibus in somno procurata, ut de illo actu gaudere possis, eadem causa requiritur ob quam illum permittere possis. I. e. ut de. illa actione propter bonum effectum licite gaudeas, oportet ut effectus bonus proportionem habeat ad malum quod est semper materialis transgressio legis.

[460-462.]

Ceterum, pro varietate praecepti, culpa gradu variabit. Sic ad summum veniale erit gaudium de violato, sine culpa, praecepto abstinentiae, etiamsi proportionem effectus boni non consideres. In hac re INNOC. XI merito hanc prop. 15 damnavit : « Licitum est filio gaudere de parricidio parentis, a se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex haereditate consecutas ».

3. Gaudium de *effectu bono* secuto ex opere malo non est de obiecto malo, nec proin peccati arguendum est. Ita honestissimum gaudium concipimus de gloria martyrum, de redemptione nostra consummata per scelus ludaeorum, de pace publica post tyranni mortem.

Hoc *per se* valet etiam si effectus e peccato proprio manaverit, modo causam detesteris : sic de culpa quae occasio fuerit paenitentiae. Sed tale gaudium quandoque periculosum erit.

463. — Quid si gaudeas de physico malo. De ruina, morbo, morte proximi, seu de eius malo non morali, eatenus licet delectari, eatenus haec optare cuipiam fas erit, quatenus ordini caritatis id congruens sit ; ergo, quatenus eius temporale malum « est impedimentum malorum alterius quem plus tenetur diligere, vel communitatis aut Ecclesiae », vel « secundum quod per malum poenae impeditur frequenter malum culpae eius » (S. Th. 3 S. d. 30, q. 1 art. 1 ad 4). Sed cavendum est, ne, « cum nostra odia exsequimur, fallamur sub specie utilitatis alienae » (S. Geeg. M. *Moral.* 22, c. 11, n. 23).

464. — Quaeres, quomodo aestimanda sit iactantia de peccato, tristitia de bono?

1. *lactantia vera,* non ficta, gaudio superaddit *gloriationem* de offensa Dei et *scandalum.*

Ficta, v. g. ex respectu humano, praeter mendacium, continet malitiam per se gravem, in materia gravi, contra obligationem professionis Christianae.

2. *Tristitia* de molestia operis boni aut de opere bono qua *molesto,* communiter est torpor tantum venialis, nisi

gignat veram aversionem ab ipsa re, secundum se, vel grave periculum inducat omittendi opus sub gravi debitum.

Mortalis tamen *acediae* damnatur tristitia de ipsa *a/niicitia divina,* quia cum pugna conservanda est, vel de vocatione ad divinam beatitudinem, per labores acquirendam. Cf. Lehmk. I, 359.

SUMMARIUM.

465. — I. *Actus interiores* qui diriguntur ad actum externum completum, unum cum actu completo peccatum saepe sunt; si separatim sunt aestimandi, in morali actus completi specie versantur, ab eo tamen ob hanc alteram rationem specie differunt, quod sunt incompleti, inchoati. Consideramus hic actus incompletos, omittendo *fruitionem,* quae necessario unum est cum actu consummato.

II. *Delectatio morosa,* seu simplex deliberata complacentia in obiecto malo, huius speciem ct gravitatem participat, si est absoluta. Si est condicionata et ordinis rationalis, ex natura et vi condicionis appositae pendebit eius moralitas. Si autem est delectatio appetitus sensibilis, cum sequatur phantasiam, quae est de re concreta, respicit obiectum ut est in concreto. Quare sensibilis delectatio de copula cum persona soluta erit necessario mala delectatio venerea. Intellectualis de copula cum persona soluta sub hac condicione : si esset coniux propria, erit periculosa, sed non inhonesta obiective. Cogitatio rei malae potest esse bona, mala aut indifferens ; inde delectatio aestimanda erit. Delectatio de *modo* quo res mala facta sit, non est necessario mala. Delectatio morosa specificatur obiecto. Sed, in re venerea, plerumque hoc nomino designatur consensus in praesentem commotionem carnalem, ita ut sit potius peccatum luxuriae solitariae consummatum, cui imaginatio fuit instrumentum.

III. *Desiderium absolutum* speciem exterioris actus tum moralem tum theologicam necessario participat. Condicionatum, erit peccaminosum vel non, prout affectus quem desiderium inefficax ponit in voluntate est honestus vel non. Quare verum desiderium : carnes manducarem nisi esset vetitum, erit honestum ; inhonestum autem : si non esset peccatum, fornicarer.

IV. *Gaudium* do commisso peccato huius malitiam moralem et theologicam necessario participat. Gaudium de opere,

secundum se nialo, sed quod, propter subioctivam condicionem, culpa vacavit, erit inhonestum si fuit peccatum materiale, nisi proportionata causa fuerit propter quam *permitti* potuit. Pro gravitate praecepti, culpa erit venialis vel mortalis. Sic gaudium do violato sino culpa praecepto abstinentiae non erit nisi veniale. Gaudium de offectu bono, non est per se poccaminosum, etiam si offectus sequatur peccatum. Gaudium do malo non morali proximi excusabitur quatenus ordini caritatis non repugnet.

V. lactantia vora gaudio addit gloriationem de offensa Dei et scandalum. Ficta, per se continet gravem malitiam, in materia gravi, contra professionem vitae Christianae. Tristitia de opero bono qua molesto, communiter non est nisi torpor venialis, dummodo ne sit do ipsa amicitia divina, quia cum pugna conservanda sit, vol de beatitudine laboriose acquirenda.

CAPUT II.

De quibusdam obiectivis peccatorum rationibus.

Articulus 1. — De peccatis capitalibus.

§ 1. — Notiones generales.

466. — I. Peccati capitalis notio. 1. Λ remota antiquitate, Christiani edocti sunt non ad solos transeuntes actus animum advertere, sed maxime *habituales dispositiones et propensiones* considerare, quae in actus erumpunt vel actibus gignuntur. Nonne ipse Apostolus Galatas sic hortabatur : «spiritu ambulate et desideria carnis non perficietis» (1) ; et Philippenses: «Hoc enim sentite in vobis quod et in Christo lesu » (2) ; et hanc supremam regulam Corinthiis dabat : « Omnia vestra in caritate fiant » (3) ? Ac plurcs alii loci allegari possunt quibus cura habitualis dispositionis tamquam fons bonorum operum magna vi commendatur.

Sunt autem etiam peccatis et vitiis faventes inclinationes. De his scriptores ecclesiastici et SS. Patres disserere coeperunt et plures vel pauciores numero indicare, donec

(1) Gal. 5, 16. — (2) Philipp. 2, 5. — (3) 1 Cor. 16, 14.

auctoritas S. Gregokii M. obtinuerit ut septem communiter numerarentur *peccata capitalia.*

Nihil itaque revelatum vel adeo sacrum in septennario isto numero ponendum est : ipse S. Antoninus (1) octo vel novem peccata capitalia admittebat.

2. Igitur vitia capitalia sunt *vitia specialia, non necessario aliis graviora,* immo, *non necessario mortalia,* sed *quorum fines habent quasdam primarias rationes movendi appetitum,* ita ut propter illos consequendos multa faciat homo, cum bona tum mala, et sic in plura peccata perducatur (2).

Bifariam itaque considerari possunt : vel tamquam fontes aliorum peccatorum, seu *Normaliter* capitalia, vel tamquam *peccata specialia.* Sub solo priore respectu ad theologiam fundamentalem seu generalem pertinent. Solent tamen auctores hac quasi occasione uti ut de singulis peccatis, in se spectatis, utilia quaedam addant, ne postea quasi bis idem argumentum versare videantur. Ad «piem morem ipsi nostrum tractatum accommodabimus.

461. — II. Divisio. Secundum S. Thomam. (3) vitia capitalia sunt duplicis rationis :

1. Alia sunt capita, *prima origo* omnium peccatorum, et duo sunt : *cupiditas* et *superbia.*

Do *cupiditate* dixit Apostolus (4). « Radix omnium malorum est cupiditas ». Quod verum iam apparet, si cupiditatem sumas pro *appetitu divitiarum.* Divitiae enim sunt medium consequendi omnia bona temporalia ; oritur autem peccatum « ex appetitu commutabilis boni (5) ». Et magis manifestum est, si cupiditatem tamquam *studium boni proprii qua talis* seu quasi-separati, opponas *caritati* qua omnes et nosmetipsos in Deo amamus. In omni peccato latet quidam « egoismus ».

De *superbia* ait Eccli. 10,15 : « Initium omnis peccati

(1) *Summa aurea* p. 2, t. 1-9. —- (2) Cf. *Summaml* , 2, q. 84 art. 4, c. ; 2, 2, q. 118 art. 73; q. 132, art. 4, ad 3.

(3) 1, 2, q. 84 art. 3, ad 1. — (4) 1 Tbn. c. ult. 10.— (5) S. Th. 1. c.

est superbia », quia, ut tradit S. Tu. (1), finis quern homo in temporalibus appetitionibus intendit est quaedam singularis sui perfectio et excellentia. Vel simplicius dici potest superbia, ut contraria humilitati, repudiari radicaliter omnem subiectionem legi, ac proin solvi omnia impedimenta quae a propria cupiditate sequenda animum revocare seu retardare possint. Superbia autem describitur *inordinatus appetitus propriae excellentiae.* Perfecta superbia, secundum Augustinum, dicit amorem sui usque ad contemptum Dei (2).

2. Alia, quae duarum istarum radicum sunt manifestationes vel fructus, rationem habent originis propinquae respectu plurium peccatorum (3). I. e. considerando minus peculiarem peccantis dispositionem, quae nimis variat, quam naturalem et mutuam habitudinem finium, causalitatem finalem habent respectu plurium peccatorum.

408. — III. Explicatio. Septdnnarii numeri S. Tn. hanc, art. 4, tradit explicationem, quae petitur ex *triplici bono* quod homo principaliter quaerit, et *duplici juga* mali cui bonum est coniunctum. Tria ista studia positiva et inordinata sunt : *honoris et laudis* per *inanem gloriam; delectationis corporalis,* per *gulam et luxuriam ; bonorum exteriorum,* per *avaritiam.* Per *acediam* vero, fugimus *laborem* cui coniungitur bonum proprium; per *invidiam* vero, *bonum alienum* quatenus nostrae excellentiae obstat; quod si fit per insurrectionem ad vindictam, habetur *ira.*

Horum vitiorum indicatione simul edocemur quasnam, in spirituali pugna, dispositiones debellandas habeamus. Sunt autem : amor gloriae seu laudis humanae, qui colitur *superbia;* amor bonorum exteriorum, quem alit *avaritia;* amor delectationum, quem produnt *luxuria* et *gula;* amor proprius, qui parit *invidiam;* amor honoris proprii, qui excitat *iram;* amor commoditatis propriae, cui cedit *acedia.*

Singula vitia, sua quodque prima littera designantur et consueto ordine numerantur voce « *Saligia* » (Noldin. *Prine,* n. 335).

(1) Ibid. art. 2. — (2) Cf. *Dc dv. Dei,* **L. 14, c. 28** *(P. L.* **41, 436). — f3) 1, 2, q. 84, art. 3, ad. 1.**

§2. — De superbia seu inani gloria.

469. — Notio. 1. *Inordinatus appetitus propriae excellentiae,* quae est generica superbiae definitio, potest esse *repudiantis subiectionem,* et haec est superbia perfectae rationis, mortalis genere suo, et initium omnis peccati : vel est eius qui subesse non renuit, sed *nimio affectu vult excellere, in merito suo,* vero vel existimato, *nimis sibi complacet·, est inordinatus modus consectandi propriam excellentiam.* Haec est superbia imperfecta, venialis, et speciale vitium capitale.

2. *Capitale vitium est,* quatenus gignit *praesumptionem, ambitionem, vanam gloriam.*

Praesumptio est, hoc loco, — nam alia praesumptio spei opponitur, — appetitus aggrediendi aliquid supra vires. Venialis genere suo, fit mortalis, si graviter damnosa evadat.

Ambitio est inordinatus appetitus dignitatis et honoris. Venialis est, sed fit mortalis ratione materiae, medii adhibiti, damni effecti.

Vana gloria inordinate cupit et quaerit propriae excellentiae manifestationem.

Huiusmodi vana gloria quaeritur ex re mala, falsa, ficta vel improportionata ad intentum ; aut apud eos qui non bene de re indicant ; — aut sine debito fine. Venialis per se, fit per accidens mortalis, ut si ducat ad iactantiam de re mortaliter mala. Cf. Sanchez, *Decal.* l. 1, c. 3, n. 4 ss.

3. *Vitium oppositum. Excessus* isti opponuntur *magnanimitati,* a qua, quoque, per *defectum,* receditur *pusillanimitate.* Hac quispiam, nimium sibi diffidens, detrectat honores, gloriam vel officium quibus dignus est. Venialis est culpa; quae fit mortalis, si assumere vel exsequi detrectes quod sub mortali praestare debebas.

470. — Virtus opposita. Magnanimitas *animum erigit ad facienda magna,* seu magno honore sunt digna, *sibi tamen proportionata.*

[468-470.]

§ 3. — De Avaritia.

4ÎI. — Notio. 1. Avaritia est *inordinatus appetitus temporalium rerum.* Ex genere suo venialis, iit mortalis, si propter eam graves committuntur legis violationes.

2. *Capitale* vitium est, quatenus gignit : *obdurationem cordis,* seu nimiam applicationem ad acquirendas vel conservandas divitias, cum inani et vano timore ne non acquirantur vel perdantur; *violentiam', fallaciam,* quae est dolus in verbis; *fraudem,* quae est dolus in factis; *proditionem,* quae est damnosa contra fidem datam deceptio : prodi possunt personae, bona, secreta. *Fraus et proditio* sunt mortalia ex genere suo.

3. Oppositum vitium *prodigalitatis,* deficit in conservandis bonis, excedit in iis erogandis : est veniale ex genere suo.

472. — Virtus opposita. Media inter utrumque vitium est liberalitas, quae *divitiis bene utitur, praesertim eas expendendo pro aliis.*

§ 4. — De Luxuria.

4Î3. — Notio. 1. Luxuria est *inordinatus appetitus Venereorum,* de quo alibi ex professo.

2. Ut *capitale vitium,* gignit in *intellectu : caecitatem mentis,* abalienatae a cogitationibus caelestibus ; *praecipitationem* operantis sine consilio ; *inconsiderationem* agentis quae suum statum vel personam dedecent; *inconstantiam* in bonis propositis. In *voluntate* autem luxuriosi crescit *falsus sui amor,* ob consuetudinem omnia ad se referendi ; praeparatur *odium Dei* vindicis peccatorum ; fovetur *affectus praesentis saeculi,* ex inordinato timore mortis. Quattuor posteriores effectus, non autem priores, sunt graves ex genere suo.

Virtus opposita est castitas.

§ 5. — De Invidia.

474.— Notio. 1. Invidia est *tristitia de alterius bono, prout illud est diminutieum propriae excellentiae.* Directe adversatur caritati, quae de proximi bono gaudet; et concipi consuevit non erga eos qui longe nobis eminent, sed erga aequales aut paulo superiores. Genere suo mortalis, ob imperfectionem actus vel modicitatem boni de quo quis tristatur erit tantum venialis.

Non est itaque *invidia,* si de bono alterius tristeris, a) quia inde tibi vel aliis *times* nocumentum: est *timor; b)* quia nobis deest bonum quod alter habet, ita ut non doleamus formaliter quod sit alterius : est *aemulatio, zelus* ; c) quia alter est *indignus* : est indignatio. Tria ista possunt esse ordinata et bona, vel etiam inordinata et graviora mala.

Est vero *proprie dicta invidia,* si ipsum incrementum alterius excellentiae apprehendas quasi sit tibi malum, et ideo doleas quod alter in excellentia crescat et sic tibi fiat superior.

Invidiae peccatum facile ab *ambitiosis* et a *mulieribus* committitur.

N. B. Maledicere diei quo quis natus sit, quo uxorem duxerit, dolore quod natus sit, potest esse simplex manifestatio tristitiae de malis quae ea occasione orta sunt : quod nullum est peccatum vel leve tantum. Sed gravis foret irreverentia erga Deum carpere dispositiones divinae Providentiae; et graviter adversaretur caritati, vere sive sibi sive alii optare malum grave.

2. Ut vitium *capitale,* invidia parit *odium, detractionem, gaudium de proximi malo, susurrationem,* i. e. malam de proximo oblocutionem, ad tollendam amicitiam ipsius cum aliis. Susurro conari debet ut amicitiam istam restituat.

Opposita virtus est caritas, qua de bono alieno ut de proprio gaudemus.

(471-474.)

§ 6. — De Gula.

Praeter generalem gulae considerationem, quaedam de ebrietate peculiariter dicenda occurrunt.

I. — *De Gula in universum.*

4Î5. — Notio. 1. Gula est *inordinatus appetitus cibi et potus.* Inordinatio autem quinque modis committitur : 1. Edendo ante tempus ; 2. Nimis exquisita; 3. Plus iusto ; 4. Voraciter ; 5. Nimis exquisite praeparata ; seu brevius, edendo « praepropere, laute, nimis, ardenter, studiose » (2, 2, q. 148 art. 4).

Vitium istud opponitur abstinentiae.

Excessus in cibo et in potu dicitur *crapula.*

Gula *ex genere suo* est peccatum tantum *veniale,* quia gulosus peccat solum in modo quo ad bonum hominis refert cibum et potum, quae ad istum finem re vera ordinem dicunt. Veniale itaque erit cibo vel potu se usque ad vomitum implere ; veniale, vomitum procurare ad iterum prandendum vel bibendum. *Mortalis* fit *crapula,* qua lex Ecclesiae violetur ; — quae, in materia gravi, officia status impediat ; — quae graviter noceat valetudini.

lain supra, ubi de *delectatione* ratio data est cur inter propositiones ab Innoc. XI damnatas, haec reperiatur n. 8 : « Comedere et bibere usque ad satietatem *ob solam voluptatem,* non est peccatum, modo non obsit valetudini, quia licite potest appetitus suis actibus fmi ».

Omnibus constat nullatenus peccare qui salubrem vomitum procuret (2, 2, q. 150 art. 2).

2. Ut *vitium capitale,* gula gignit, *in anima : hebetudinem mentis ; ineptam laetitiam,* i. e. quae movet ad inhonesta cantanda, dicenda, agenda; *multiloquium, scurrilitatem.* Inepta laetitia est in appetitu ; multiloquium in verbis ; scurrilitas in verbis et gestibus : ex levitate, ad risum excitandum, verba dicuntur parum decentia, fiunt inurbana.

In corpore autem, gula gignit *immunditiem, vomitum, seminia effusionem·,* haec non imputatur, si mere praevisa est naturaliter post crapulam secutura, sine periculo consensus.

476. — Quaeres utrum necne peccet, qui carnibus aut sanguine humano vescatur ?

Sine iusta causa medicinae vel sedandae famis, id repugnat pietati defunctis debitae. Reatus ipso instinctu naturae, qui illud abhorret, nobis revelatur. Vitam hoc modo servare permittitur, sed non iubetur.

II. — *De Ebrietate.*

477. — I. Notio. Plena ebrietas *statum designat iUius qui, propter potum vel similem causam, immediate privatur usu rationis cum proxima incapacitate usum illum recuperandi. Immediate,* inquam, quatenus non interponitur somnus naturalis. Hoc ceterum, sive naturaliter sive accidentaliter, excusso, moraliter statim usus rationis restituitur.

Per tempus quo quis ebrius est, facultas superior moraliter supprimitur, cum nihil iam dirigere queat. Ipsa physiologia nos docet, hominem ebrium subtrahi associationibus superioribus et sub imperio inferiorum poni. Quare haec usus rationis privatio assimilanda est cuidam temporaneae seu reparabili mutilationi.

II. Moralitas. Qua talis erit *intrinsece illicita, intentio* vel *electio* ebrietatis, *nisi moraliter necessaria sit* ad bonum totius, v. g. ad sanitatem recuperandam.

Illicita quoque erit *quae sine proportionata causa permittitur.*

Ac per se, peccatum istud est *grave.* « Quod enim homo absque necessitate reddat se impotentem ad utendum ratione, per quam homo in Deum ordinatur et multa peccata occurrentia vitat, ex sola voluptate vini, expresse contrariatur virtuti » (1). Id est, ordinem in se ipse perturbat qui

(1) 1, 2, q. 88 art. ὁ ad 1.

ipsum ordinationis principium, seu rationem, facultatem rectricem sibi aufert. Ac proin erit grave, si prospiciuntur peccata materialia, si praevidetur necessitas habendi expeditum usum facultatis superioris ; vel si, ob tempus per quod durat, notabilis fuerit innaturalis interruptio vitae rationalis.

Sive nimio potu sive alio medio te usu rationis et proxima capacitate illum recuperandi privos, ebrietas manet specifice eadem (contra atque existimat Lacroix, l. 5, n. 31G) ; sed, in priore casu, accedet peccatum gulae, secundum se veniale.

Estne autem *toto genere gravis* ebrietas, an admittit parvitatem materiae ? Plures, quos S. Alphonsus allegat sine reprehensione, existimant ebrietatem que per modicum tempus, i. e. non ultra horam ratione privet, non esse mortalem. Idem sentiunt Lehmkuiil (1) ; Génicot-Salsmans (2), Noldin (3) ; verum a gravi non excusant eum qui, antequam ratione privetur, se somno committat, cum somnus ebrietatem non impediat. Ipse S. Thomas parvitatem materiae admittere videtur. Hac enim utitur formula « Ebrietas, per se loquendo est peccatum mortale »; et rationem indicat : « Peccat mortaliter, periculo peccati se committens » (4). Si ergo periculum istud non habetur, aberit etiam allegata ratio peccati gravis (5).

Observes gravitatem peccati non ex potus copia sed ex ebrietatis effectu manare. Quare ne quidem pauca bibere licet quibus noveris te ebrium futurum esse. Verum proportionata causa hic facilius adesse poterit.

Corollarium. Licebit ergo se inebriare ad morbum depellendum, secundum consilia medicorum ; et ad leniendos vel non sentiendos acerbos dolores operationis chirurgicae vel partus difficilis, praesertim cum istud lenimentum ipsi incolumitati patientis utile vel adeo necessarium esse queat.

Ceterum, quid, in potione inebriante dolorem leniat, quid ebrietatem pariat, nondum accurate definiri potuit ; illud tamen dici posse videtur, lenimentum non quaeri

(1) **I,** 892. — (2) **I,** 183. — (3) *Prine.* 343. — (4) *Summa, 2, 2,* q. 150 art. 2. — (5) Antea, S. Thomas ebrietatem etiam frequentem, secundum, se, peccatis cx genere suo venialibus aecvnsuerat. QQ. *Dr Malo,* q. 2 art. 8 ad 3 et q. 7, art. 5 ad 1.

ex ipsa plena ebrietate, vel ex adaequata ebrietatis causa : quod satis est ut ebrietas tamquam *mere permissa propter iustam causam consideretur.*

4Î8. — De usu morphii. Quando nulli peculiares dolores liniendi sunt, ad meras agoniae anxietates amputandas, non licet moribundum, v. g. ope morphii, sensu et ratione privare et sic vitae rationalis finem seu terminum accelerare. Causa ista non est sufficiens ; ac suppressio ista rationis aegrotum multis meritis privat. Si vero animam gerat nondum praeparatam ad mortem, et positiva praeparationis spes habeatur, necessaria paenitentia nefario scelero impeditur. Cui peccato, quantum possunt, testes obsistere debent.

Si vero *simul* acerbi dolores leniendi sint, quamvis, etiam tunc, theologi eadem severitate respondere soleant, in benigniores partes inclinamus, quotiescumque nulla mortis praeparatio impeditur. Tunc enim istud obici nequit, nefas esse vitam rationalem ante horam a divina Providentia statutam abrumpere : haec enim cessatio vitae rationalis non intenditur sed mere permittitur. Et cum homo sit praeparatus, ac dolores occasio quidem meriti sed etiam peccati esse possint, causa proportionata videtur. Lehmkuhl (1) tamen, ipsum silentium testis non excusat nisi cum agitur de moribundo bene praeparato, et qui ex continuato rationis usu in periculo gravis peccati versatur. Pari severitate loquitur Noldin (2). Mitius dicit Gén.-Sals. (3), recte monens morphium tunc praeberi non posse sine consensu saltem praesumpto moribundi.

479. — Ebrietas aliena. Alius *bifariam* ebrius reddi potest : vel *ita ut ipse jornialiter peccaverit,* vel *ita ut sine propria culpa inebrietur.*

1. Prior modus certo illicitus est, si alter iam non sit ad maius peccatum determinatus: puta ad homicidium. Quod si determinatus fuerit ad maius malum, redit quaestio utrum necne minus peccatum alteri suadere possis. Hoc, quando peccatum est alte-

(1) I, 893. — (2) *Prine,* n. 34G. — (3) I. 185.

rius rationis, cum probabiliore sententia licere negavimus. Quare Laymann (1), consequenter id reprobat. Sed S. Alphonso (2); Lehmkuiil (3), probabilis est sententia benignior, (piam v. g. tuetur Lessius. l. 4, c. 34, n. 32.

2. Qui autem fraude et inconscius in ebrietatem inducitur, ne quidem materialiter peccat, sed malum physicum patitur. Hoc ergo tamquam instae defensionis medium adhibere per se potest carcere detentus, cui ius est elabendi e carcero; civis probus, ad impediendam suffragationem iniquae legis, ad detegendum proditorem.

Facilius autem, ex aliis causis gravibus, *occasionem* ebrietatis, etiam formalis, apponere fas est. Lehmk. l. c. post S. Alpii. l. 5, n. 58.

480. — Imperfecta ebrietas, quae usu rationis substantialiter non privat, est *venialis culpa*. Quare propter minorem causam, variam pro ipso gradu ebrietatis, permitti poterit, immo eligi ad malum personae depellendum.

Ideo ad depellendam tristitiam et melancholiam, sinunt ut bibas usque ad hilaritatem.

481. — Perfectae ebrietatis signa (probabilia sed non infallibilia) haec dant : Si quis non recordetur quid dixerit, fecerit, quomodo vel quando domum deductus sit ; si plane insolita egerit, v. *g.* praeter morem turpia sit locutus, domum turbarit, uxorem verberarit, etc. Cf. Lessium, 1.4, c. 3,n. 30; Lehmk. I, 892.

Quamdiu autem inter malum et bonum discernere pergat, liomo nondum perfecte ebrius esse censetur, quamvis phantasiam non nihil turbatam gerat, eius lingua titubet, pedes vacillent, oculi duplicia cernant, domus gyrari ei videatur, vomitus sequatur. Cum satis multi graviter tunc a se peccatum esse existiment, *prudenter* dedocendi sunt.

•182. — Reatus subiectivus. Satis multi a gravi peccato excusantur, quia ebrietatis periculum non adverterunt, et vino capti sunt, sive exeuntes in auram, tunc primum eius vim experiebantur, sive satis prudenter indicabant se adhuc haustulum sine noxa tolerare posse. Verum, post contrariam experientiam, haec excusatio ipsis eripitur.

(1) L. 3, n. 4, n. G. — (2) *Theol. mor.* 1. 5. n. 77. — (3) I, 894.

483. — Mala in ebrietate commissa imputantur in sua causa culpanda, si, ut satis connexa, praevisa fuerint et manserint mala. Sic *contumeliae,* in adiunctis ubi potius risum movent, vi laedendi seu effectu suo carent, ac proin verae contumeliae esse desinunt.

Quid de *blasphemiis* dicendum est ! Alii ebrios a blasphemiae peccato excusant, quia de ratione blasphemiae sit ut *scienter* prolata sit. Ita Vasquez (1), *Salmanticenses* (2); et si blaapheiniae non sint extraordinariae, sed mediocres et vulgares, Gobat (3), Plerique eos reos arbitrantur, quia obiectiva significatio verbis servetur: sic Sanchez; vel quia ebrii veros servent conceptus ita ut essentia blasphemiae materialis tota quanta servetur : sic Ballerini ad Gury, I, 183, nota 6.

Distinctione nobis utendum videtur. Saepe ebrii blaspheinias quasi mechanice et sine advertentia ad significationem proferunt : quod cum astantes observent, non tantum subiectiva, sed etiam obiectiva significatio perire videtur. Si vero, ita correpti, Deum contumeliis lacessant, contumelia imputabilis in causa manebit, si fuerit saltem in confuso praevisa.

Nefas tamen semper erit ebrios ad blasphemias provocare. Si enim eos directe provocaveris, per eos sicut per instrumentum blasphemare videris : quod graviter culpandum est ; si indirecte tantum, subsistet saltem venialis irreverentia in Deum, cuius nomen vano et satis odioso modo usurpatur. Cf. Laymann, l. 1, tr. 4, c. 9 n. 3, et nostras *Quaestiones de religione,* n. 169.

484. — Remedia. Hominis *ebriosi* seu qui frequenter inebriatur sanatio valde difficilis et laboriosa aestimatur. Et iam S. Augustinus gravissimis verbis contra tales invehitur. (Cf. ep. 29, n. 5, *P. L.* 33,116; sermo 151, *P. L.* 38, 816). Ac propositum temperantiae seu moderati potus saepe inefficax ipsis manet, ita ut completa tantum abstinentia liquoris inebriantis spem sanitatis fundet. Quare ii certe laudandi sunt qui, propter hanc causam, societates dictas *a tempe-*

(1) In 1, 2, disp. 76, n. 11. — (2) Tr. 25, c. 2, n. 30. 31. — (3) *Opera moralia,* **tr. 5, c. 19, n. 34-39. — (4)** *Dcccil.* 1. 1» **c. 16, n. 44.**

rantia constituunt et moderantur, atque ultro, sine ulla personali necessitate, omni potu alcoholico abstinent, ut alios qui tali remedio opus habent exemplo suo trahere possint (1). Exsistunt autem in variis regionibus, v. g. in Helvetia, instituta specialia ubi ebriosi soientifica methodo curantur. De debellanda ebriositate et immoderata potione alcoholi, cf. Xoldin, *Prine.* 347. 348.

§ 7. · De Ira.

485. — Notio. 1. Jrae vitium, a passione distinguendum, est *inordinatus appetitus vindictae. Vindicta* autem lit per illationem poenae ob iniustitiam, et ad hanc dicit proportionem (1, 2, q. 46, art. 6).

Inordinatus autem appetitus iste esse potest: 1. Ex parte *modi* irascendi, ut si nimis exardescas interius, vel exterius ardorem istum per signa nimis patefacias; 2. Ex parte *obiecti,* ut si vindictam appetas sine iusta causa, aut iusto maiorem, aut exsequendam propria auctoritate, aut demum, si eam non appetas *ut iustam,* i. e. propter debitum finem servandae iustitiae et correctionis, sed ad sa. tiandum animum tuum malevolum.

Inordinatio ex parte modi est per se venialis; altera est per se mortalis.

2. Ut vitium *capitale,* ira gignit: *indignationem,* qua quis reputat se indigne ab aliquo tractari: quod per se est veniale; *tumorem mentis,* quo quis diversas vias vindictae morose excogitat, unde et animus exardescit: qualitate quaesitae vindictae malitia mensuratur; *clamorem,* cum iratus, vocem extollens, multa inordinate et confuse effundit: quod est communiter veniale; *blasphcmiam; contumeliam,* genere suo mortalem, qua quis vult proximum inhonorare, dum ei malum quodpiam obicit; *maledictionem,* qua quis alteri malum optat vel imprecatur.

(1) L)c rutlono ct opportunitate abstinentiae completae, cf. scripta n P. Lkkmkuhi. S. I. In Linzner Qtschiuft, 1917, p. 97 es. ct 1918, p. 13 68. et a R. P. Prummer, O. Pr., 1917, p. 322 se.

Hoc erit mortale : α) si malum *vere* optetur : saepe tantum ira manifestatur ; &) si optetur cum perfecta deliberatione ; *c)* si malum optatum sit grave (S. Alph. 5,83). Gignit demum *rixas*. Si modum non excedunt, sunt veniales, sicut leves pugnae. Haec proprie peccata sunt ex parte incipientis rixam : alter enim se defendere potest, cum moderatione inculpatae tutelae.

*186. — De iusta ira. *Ordinatus appetitus vindictae,* ut cum Superiores culpis subditorum irascuntur easque poenis vindicant, non est peccatum, sed dicitur ira *per zelum*. « *Severitas* inflexibilis est circa inflictionem poenarum, quando hoc recta ratio requirit » (2, 2, q. 157 art. 2).

Nec iusta ira, nec severitas contrariae sunt *mansuetudini* et *clementiae*. Namque *mansuetudo* solos irae excessus cohibet ; *clementia,* per quandam epikeiam, poenas lege latas, secundum rectam rationem, temperat (2, 2, q. 157 art. 2).

§ 8. — De Acedia.

487. — 1. Notio. Acedia taedium animi dicit, ei sumi potest *generaliter* pro *omni animi remissione in exercendis virtutibus,* quia adiunctum habent laborem ; et *particulariter* pro *tristitia et taedio de divina amicitia,* eo quod per laboriosa opera virtutum servanda sit ; et tunc est vitium speciale. *Prior mortalis fit* quando ideo grave praeceptum affirmativum vel negativum violatur : *altera caritati Dei directe repugnat,* ita ut gravis sit ex toto genere suo.

Interdum distinguunt acediam *naturalem,* seu taedium de labore corporis, et acediam *spiritualem,* seu taedium de virtutibus laboriosis. Ut patet, fuga laboris corporalis, quando culpanda est, ad acediam spiritualem refertur.

Quamvis vulgari sermone potius acedia generalis pro vitio capitali sumatur, et ipso S. Gregorius M. generalem tristitiam in vitiis capitalibus numeret, theologi tamen nomen capitalis vitii acediae *speciali* reservant.

2. Ab ipso S. Gregorio (1), ut filiae tristitiae iam indicabantur :

Malitia, qua quis bona spiritualia odio habet et vellet ea non esse ; aut qua ipsum paenitet bene fecisse vel implevisse quod debebat ; aut qua contemnit Dei beneficium, desiderando non fuisse natum, Christum non agnovisse, etc. : est ex genere suo mortale ;

Pusillanimitas et *desperatio* de salute ;

Rancor, quo ii sunt fastidio, qui ad spiritualia inducunt ;

Torpor, cum bona fiunt sine debito fervore ;

Evagatio mentis in exercitiis spiritualibus: quae iit per cogitationem dicitur *curiositas',* per locutionem, dicitur *verbositas ;* per inquietudinem, dicitur *inquietudo :* haec communiter sunt venialia.

N.B. Cave ne cum mortali acedia confundas sat periculosum quidem sed per se non mortale taedium suscepti sacerdotii, initae vitae religiosae, manente tamen voluntate implendi utriusque status officia.

488. — Quaeres, utrum homini praeceptus sit labor? Verbis Genesis, 3, 17. 18. dura necessitas praedicatur potius quam verum praeceptum promulgatur. Atque ab omnibus aliquis labor assumendus est ad fugienda peccata, ad praeceptos actus virtutis exercendos, ad occurrendum variis necessitatibus.

Varia itaque officia omnibus hominibus aliquam laborandi obligationem indirecte generant, ac plerisque obligationem sat onerosam, praesertim si inter officia non praetermittas *caritatem,* quae, cum agitur de gravi damno communi avertendo, etiam cum notabili incommodo obligat. Atque hodie, in nostris europaeis societatibus, sive ratione scandali, sive ratione damni communis arcendi, ab omni peccato excusari nequit, qui, bonis abundans, nulla opera propria caritatem exercet.

Sed proprium et directum laborandi officium non de-

(1) P. *L.* 76, 6>(J.

monstratur ; et multa hortatione potius quam terrore irae divinae cooperatio socialis generatim obtinenda est. Cf. Gén.-Salsmans, I, 365.

Articulus II. — De peccatis in Spiritum Sanctum.

489. — Notiones. In dogmatico de Paenitentia tractatu, solent theologi laboriose exquirere quodnam peccatum in Scriptura Sacra tamquam irremissibile perhibeatur, utpote quod sit in Spiritum Sanctum (1). Ista controversia non est nostra.

Verum, variis locis S. Augustini innixi, post Petrum Lombardum (2) et Alexandrum Halensem, solent theologi sex peccata numerare quae S. Spiritui peculiariter adversantur, quia actioni gratiae magis obsistunt. Quare difficilius delentur. S. THOMAS (3) ea dicit *quasi-miraculose* remitti.

Sunt autem: *Praesumptio; Desperatio; Agnitae; veritatis* (religiosae) *impugnatio ; Invidia de gratia fratri concessa ; Obstinatio ; Impoenitentia.*

Hodie rei huius peccati sunt, qui nefariam pactionem ineunt quam vocare possumus de impaenitentia finali, cum mutuam sibi promittant operam ad praecludendam sibi, in fine vitae, viam reconciliationis cum Christo et Ecclesia.

De duobus prioribus generibus redibit sermo in tr. de Spe. Cetera per se intelleguntur.

Articulus III. — De peccatis quae ultionem caelestem appellant.

490. — Origo opinionis. Varii loci Scripturae Sacrae, ubi peculiaris vindicta a Deo vel sumpta vel timenda denuntiatur, adduxerunt theologos ut quattuor peccata dis-

(1) Cf. S. Matth. 12.3 se; S. Marc, 3, 28; S. Luc. 12, 10 — (2) 2 s. d. 43. 6.

(3) *Summa,* 2, 2, q. 18, art. 3.

(4) Gen. 4, 10 ; 18, 20 s ; Exodi, 22, 23 ; Eccli, 35, 18 s ; Deut. 24, 14 s ; S. Iac. 5, 4.

tinguerent tamquam « clamantia ad caelum ». His versibus, a tempore Canisii continentur :

Clamitat ad caelum, vox sanguinis et Sodomorum,
Vox oppressorum, merces detenta laborum.

Itaque sunt enormia contra *proximum singularem* : homicidium ; contra *genus humanum* : sodomia ; contra *bonum sociale* : oppressio pauperum, viduarum et pupillorum ; defraudata operariorum merces.

SUMMARIUM.

491. — I. *Peccata capitalia* sunt vitia non necessario aliis graviora vel mortalia, propter quae homo ad plura alia peccata perducitur.

Duo vitia sunt quasi capita omnium peccatorum : *cupiditas,* sive eam sumas pro appetitu divitiarum sive pro studio boni proprii qua talis ; et *superbia* quae, si est perfecta, dicit repudiationem omnis sublectionis.

Alia vero peccata quae capitalia vocantur rationem habent propinquae originis respectu plurium peccatorum ; haec, hodierno more, numerantur septem.

1. *Superbia,* seu potius *inanis gloria,* quatenus dicit inordinatum excessu modum consectandi propriam excellentiam. Est de se venialis ; gignit praesumptionem (appetitum aggrediendi aliquid supra vires), ambitionem et vanam gloriam. Defectus contrarius est *pusillanimitas* ; media est virtus *magnanimitatis.*

2. *Avaritia,* seu inordinatus appetitus temporalium rerum, ex genero suo venialis, gignit obdurationem cordis, parit violentias fallacias, fraudes, et proditionem. Huic opponitur vitium *prodigalitatis.* Media est *liberalitas.*

3. *Luxuria* seu inordinatus appetitus delectationis venereae, de qua alibi. Gignit in intellectu caecitatem montis, praecipitationem operantis sine consilio, inconsiderationem agentis quae dedecent, inconstantiam in bonis propositis. In voluntate crescit falsus sui amor, praeparatur odium Dei, fovetur affectus praesentis saeculi.

4. *Invidia,* seu tristitia de alterius bono, prout illud est deminutivum propriae excellentiae : incrementum excellentiae alterius apprehenditur quasi malum proprium. Parit odium, de-

tractionem, gaudium de proximi malo, susurrationem. Ei opponitur *caritas.*

5. *Gula,* in genere est inordinatus appetitus cibi et potus. Excessus dicitur crapula. Ei opponitur *abstinentia.* Ex genere suo est veniale vitium. Praeter offectus corporales, gignit in anima hebetudinem montis, ineptam laetitiam, multiloquium, scurrilitatem.

Pietati repugnat ut quis sine iusta causa carnibus vel sanguino humano vescatur.

Ebrietas in specie, si perfecta est, dicit voluntariam inductionem status in quo quis immediate privatur usu rationis cum proxima incapacitate usum illum recuperandi. Cum ratio sit facultas rectrix nostra, ebrietas facit de se reparabilem mutilationem, quae, illicita secundum se, licite intendi vel eligi potest propter bonum totius personae vel corporis, vel permitti propter iustam et rationabilem causam, qualem dant sanitas recuperanda, leniendi dolores acerbi. His exclusis, perversio ista ordinis, qua principium ordinis subtrahitur, est gravis genere suo ; admittit tamen exiguitatem materiae, ex modico tempore et absentia periculi peccati materialis. Ad meras agoniae anxietates amputandas non licet moribundum, v. g. ope morphii, sensu et ratione privaro, saltem quando nulli peculiares dolores sopiendi sunt.

Tamquam iustae defensionis medium, induci potest alterius ebrietas involuntaria ; immo, secundum plures, etiam culpanda proximo, si is determinatus sit ad maius malum.

Imperfecta ebrietas est per se venialis. Quam diu quis inter malum ct bonum discernere pergit, nondum est perfecte ebrius.

Subioctivc satis multi a peccato gravi excusantur, quia ebrietatis periculum non pleno adverterunt. Mala in ebrietate commissa imputantur si, ut satis conexa, praevisa fuerint, et manserint mala, i. e. peccata materialia. Sanandis ebriis utiliter constituuntur societates a temperantia dictae. Pluribus sola medicina est abstinentia completa potus inebriantis.

6. *Ira* est inordinatus appetitus vindictae: inordinatus ex parte modi, et hoc est veniale ; vel ex parte obiecti. et hoc est genere gravo. Gignit indignationem, tumorem montis, clamores, blasphemies, contumelias, maledictiones et rixas. Ordinatus appetitus vindictae dicitur *ira per zelum.* Nec talis ira, nec severitas quae inflexibilis est circa poenas quando recta ratio id postulat, mansuetudini aut clementiae opponuntur.

7. *Acedia,* seu taedium animi, ut capitale vitium, non sumitur pro omni animi remissione in colenda virtute, sed pro tris-

titia et taedio de divina amicitia: tunc est ex toto genere mortalia. Parit aversionem a bonis spiritualibus, pusillanimitatem et desperationem de saluto, rancorem, torporem, et evagationes mentis in exercitis spiritualibuis.

Proprium et directum praeceptum laborandi non demonstratur.

II. Nomine *peccatorum in Spiritum Sanctum* solent theologi compellare sex peccata quae S. Spiritui peculiariter adversantur, quia actioni gratiae magis obsistunt, et ideo difficilius delentur. Sunt autem : *Praesumptio, Desperatio, Agnitae veritatis impugnatio. Invidia de gratia fratri concessa, Obstinatio. Impoenitentia.*

III. E variis locis S. Scripturae colliguntur quattuor peccata quae *ultionem caelestem* peculiariter appellant. Primum, contra proximum singularem, est *homicidium* ; alterum, contra genus humanum, est *sodomia* ; tertium et quartum est contra bonum sociale : *oppressio pauperum, defraudato operariorum merces.*

IV. Propter cooperationem positivam vel negativam, imputantur etiam *peccata ab alio commissa.*

TRACTATUS VI.

SUBSIDIA HUMANAE LIBERTATIS.

Utilitas. Consideratis et deploratis vitiis infirmitatis er, malitiae nostrae, valde iuvabit. ante quam specialis theologiae partes ingrediamur, brevissimo conspectu sub oculis ponere subsidia tum interiora tum exteriora quibus infirmitas nostra roboratur, ut ad sublimissimam metam pertingere sine tanta difficultate possimus.

I. — *Subsidia interiora.*

492. — 1. Subsidia in genere. In ordine naturae elevatae et reparatae, divina munificentia nobis infundit:

1. Gratiam sanctificantem, quasi novam naturam, quae formaliter nos efficit iustos, filios Dei, et nunc fratres Christi; atque est in nobis condicio et principium merendi de condigno regnum caelorum;

2. Gratiani actualem. Actus ipsos bonos, ut sint meritorii praevenit et comitatur actualis gratia Dei, quae ipsa nos adiuvat ad vincendas tentationes malas et ad declinandum a malo. Eadem gratia igitur est nobis elevans et medicinalis;

3. Ut actus supernaturaliter boni fiant conaturaliter a nobis, a divina liberalitatc recipimus *virtutes supimaturates.*

493. — II- De Virtutibus spcciatim. 1. *Virtutes naturales et supernaturales.* Quare, in praesenti oeconomia virtutes naturales et supernaturales distinguendae sunt.

Supernaturalcs nobis *infunduntur ;* illud immediate efficiunt, ut actus supernaturales sui cuiusque generis conaturaliter facere possimus. Facilitatem agendi ipsae non tribuunt.

Contra, in facilitate ista, in inclinatione ad certos ac-

tus, consistunt virtutes *naturales,* quae ipsis actibus *acquiruntur.* In ordine tamen praesenti naturae elevatae, bonum ad quod inclinant non iam sufficit nobis. Est naturale seu proportionatum naturae ; cum exsistamus propter bonum seu finem quod naturam nostram excedit. Quare, in ordine praesenti, caedem non sunt virtutes nisi deminute; et potius celebrandae sunt ut accidentalia sed utilissima complementa virtutum proprie dictarum, quae sunt virtutes infusae. Ipsi actus virtutum infusarum, qua talium, quatenus removent dispositiones contrarias, indirecte contribuunt ad facilitatem exercitii. Inclinatio autem ad supernaturalia habetur ex donis Spiritus Sancti,

494. — 2. Virtutes theologicae. Inter virtutes infusas, eas maxime supernaturales vocare licet quae ita sunt propriae ordinis praesentis ut nihil ipsis responderet in ordine naturali (1). Hae sunt virtutes *theologicae',* dum virtutes *morales* in omni ordine fuissent, etsi aliter in ordine naturali, aliter in ordine praesenti.

Quare theologicae virtutes non debent cum moralibus simpliciter conumerari, sed ad ordinem superiorem oinnmo ascribendae sunt. Per eas vitam *divinam* participamus et agere incipimus, dum infusae virtutes morales *humanam* nostram vitam perficiunt et nobilitant. Sine infusione virtutum theologicarum homo elevatus vix concipitur, cum per solos earum actus Deum immediate attingat ; dum homo etiam elevatus moralibus virtutibus infusis carere potuit. Virtutes theologicae in S. Scripturis expresse nominantur (v. g. 1 Cor., 13); de virtutibus moralibus supernaturalibus non constat sermonem in sacris litteris misceri. Quare theologice certum est et fide proximum haberi tres virtutes théologales, dum in affirmandis aliis virtutibus infusis, communi tantum theologorum sententia nitimur.

(1) In ordine enim naturali desideratur *obiectum* ad quod actus analogice terminarentur : in lUo ordine neo Doue *ne* revolaret, nec *ne* promitteret possidendum, nec *ec* daret amandum amore fundato in communicatione euno beatitudtnis. Immo, non desunt qui putent ordini naturali repugnare ut in eo Deus quidquam revelaret.

Cfr. Mazzella, *De virtutibus infusis,* n. 30-32 ex Sevrez *De gratia,* qui, I. 6, c. 8, n. 14 appellat *Trid.* s. VI. c. 7, etc; Billot, De *virtutibus infusis.*

495. — 3. Virtutes morales perficiunt principia actionum nostrarum humanarum: actiones humanas dicimus actus liberos, interiores vel exteriores, qui simul in ordine mere naturali, quamvis aliter ac nunc, exstitissent. (Hac ratione distinguuntur a virtutibus *theologicis,* quae actionibus quasi divinis initium dant). Quare obiectum earum formale est *honestas* in quodam ordine creato. *Principia* quae perficiuntur, sunt potentiae quae sub potestate voluntatis ita constitutae sunt, ut tamen spontaneos actus habeant: his voluntas dicitur *politice* praeesse. Virtutes autem sunt perfectivae, quatenus si supernaturales seu infusae fuerint, capacitatem tribuunt conaturaliter eliciendi actus fini supernaturali proportionates ; vel quatenus, si sunt acquisitae (virtutes hodie imperfectae), inclinant ad actus honestos.

Magis stricte dicuntur *morales,* virtutes quae resident in *appetitu* et hoc modo distinguuntur a virtutibus *intellectivis,* quarum sedes est intellectus. Sic prudentia.

Quid cardinales. A remota iam antiquitate, quattuor morales virtutes tamquam primae seu *cardinales* distinctae sunt. Nominantur in S. Scriptura (1), occurrunt apud Platonem (2), Stoicis sunt πρώτοι ἀρεταὶ *φρώνεσι σωφροσύνη, ἀνδρεία. δικαιοσύνη.* Per haec nomina, significantur vel *generales quaedem notae* quibus omnis virtus insignitur, vel *quattuor virtutes principales,* ad quas ceterae referri possunt.

1. In omni enim virtute reperitur *discretio rationis,* seu nota prudentiae ; inclinatio ad *faciendum quod fieri debet,* quae est nota iustitiae ; observatio *modi* medii inter excessum et defectum, quod pertinet ad temperantiam; denique *firmitas* in persequendo bono : haec spectat ad fortitudinem.

Praeterea, cum bona operatio moralis principium habeat in recta ordinatione intellectus practici, derivet a libera voluntatis determinatione et per passiones sive concu-

(1) Sap. 8. 7. — (2) Rep. IV. 441.

piscibiles sive irascibiles impediri possit, non est virtus nisi quae vel intellectum perficiat ad bene dirigendum, aut voluntatem ad operandum ut oportet, vel ordinem ponat in passionibus, reprimendo earum impulsus, vel confirmando animum contra earum resistentiam.

2. Ac virtutes in quibus singulae ex his rationibus eminent, sunt quasi capita ad quao ceterae revocantur. Iam vero, *directio* potissimum competit *imperio* seu *praecepto*; — *debitum perfectum,* reddendum ad aequalitatem, reporitur in operationibus quae sunt ad alterum qua talem : nemo stricte sibi debet ; — potissimum *reprimendi* sunt *appetitus maximarum delectationum,* seu tactus et gustus ; — et *timores maximorum periculorum* vincendi sunt. Itaque *prudentia,* quae est virtus praeceptiva; *iustitia,* quae reddit ius seu quod alteri debetur propter suam propriam personalitem ; *temperantia,* quae delectationes gustus et tactus moderatur ; et *fortitudo,* quae pericula mortis sustinet seu aggreditur, sunt virtutes cardinales.

496. — Virtutum partes. Virtutis distinguuntur partes *subiectivae,* partes *quasi-potentiales,* partes *quasi-integrales.*

Subiectivae sunt species in quas virtus sicut genus quoddam dividitur. Species debent *univoce* participare rationem genericam virtutis, et inter se differentia specifica discrepare.

Potentiales partes sunt virtutes in quibus aliquo modo sed deficienter inest propria ratio alicuius virtutis.

Quasi-intégrales sunt ea quao simul haberi debent ut perfectus actus virtutis constituatur. His componitur ille actus fere ut corpus materia et forma. Sic partes intégrales iustitiae dicuntur a S. Thoma (2, 2, q. 79 art. 1). *facere bonum et declinare a malo,* quia duplex bonum consectatur iustitia: non auferre alienum, positive reddere debitum. Et est iam actus iustitiae non auferre alienum.

Cave autem ne minoris facias virtutes quae ut partes potentiales ad aliam referuntur. Divisio ista est mere logica ; et v. g. nobilior virtus religionis, est pars potentials iustitiae.

49Î. — **III.** Dona Spiritus Sancti. Spiritus Santus, qui per gratiam sanctificantem habitat in nobis, nobis, quasi divinam dotem, affert sua dona. Haec sunt *qualitates habituales animae nostrae,* quibus *disponimur ad agendum secundum motiones tum ordinarias tum extraordinarias Spiritus Sancti.*

Sunt in nobis quasi signa demonstrativa Spiritus Sancti ; ut nobis communicantur post Christum, sunt participatio plenitudinis Christi ; ut qualitates habituales animae nostrae, sunt eius pretiosissima ornamenta ; ut operativae qualitates, sunt complementa virtutum supernaturalium, per quae inclinamus ad finem supernaturalem.

Septem numerantur dona Spiritus Sancti, ex Vulgata, Isaiae, 2, 2. 3. « Et requiescet super eum spiritus Domini: spiritus sapientiae et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiae et intellectus, et replebit eum spiritus timoris Domini ».

Dum agimus secundum motiones Spiritus Santi, colligimus *fructus Spiritus sancti,* qui sub alio respectu dicuntur *beatitudines.* Hi fructus, numeratione exemplativa non exhaustiva-, nunerantur duodecim ab Apostolo ad Galatas, 5, 22. 23: *charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas.*

II. — *Subsidia, exteriora.*

498. — Praeter interiora subsidia, divina Providentia nobis suppeditat innumerabilia adiumenta exteriora exemplorum, consiliorum, circumstantiarum, eventuum. Inter haec omnia, primae partes tribuendae sunt exemplis et doctrinae Christi. Inter verba Christi autem eminent consilia et promissiones factas v. g. iis qui omnia pro Ipso relinquunt, et iis qui opera misericordiae exercent. Ac nou immerito efferre debemus saepe repetitam promissionem felicitatis etiam in hac vita; felicitatis in ipsa tribulatione et persecutione. Si, falsae felicitatis specie decepti, mala vel minus bona agimus, nihil utilius inculcatur hominibus quam

persuasio inseparabilis unionis et concordiae inter appetitum boni honesti et appetitum propriae beatitudinis (1).

« Si haec scitis, beati eritis si feceritis ea ». (S. Ioan. 13, 17).

SUMMARIUM.

499. — I. Ad attingendum finem supornaturalem, haec subsidia interiora nobis conferuntur :

1. *Gratia sanctificans* tamquam nova natura, quae nos formaliter constituit iustos et filios Dei et fratres Christi.

2. *Actualis gratia* Dei, quae simul elevat actiones nostras, et medicina est ad sananda vulnera naturae.

3. Ut actus conaturaliter fiant, *virtutes supernaturales infusae,* quae nobis sunt quasi potentiae supematurales. Quare non dant facilitatem agendi.

Aliae sunt *theologicae,* quibus nihil in ordine naturali respondisset ; per eas vitam vere divinam agere incipimus : Fides, Spes, Caritas ; aliae sunt *morales,* quae in omni ordine fuissent, aliter tamen ac nunc.

Ipsa exercitatione virtutum etiam infusarum nobis comparamus quandam facilitatem bene agendi. Habitus iste bene operandi, est virtus *acquisita ;* quae tamen, in ordine praesenti, a ratione virtutis deficit, quia non inclinat in finem supornaturalem.

Inter virtutes morales, a remota antiquitate, distinguuntur quattuor ut cardinales : *Prudentia, lustitia, Temperantia, Fortitudo.* Earum notae in omni virtute apprehenduntur; simul sunt virtutes speciales quae imam ex istis notis peculiariter possident, ad quas proin, in logica distributione, aliae virtutes referri possunt ut partes sive subiectivae, si univoce vorificant notam gcncricam virtutis cardinalis, sive potentiates, si nota ista deficienter in iis inest. Virtus tamen quae est pars potentialis nobilior esse potest virtute cardinali. Partes quasi intégrales virtutis sunt ea quae simul haberi debent ut perfectus actus virtutis constituatur. Sic iustitia exigit ut non violemus aliena iura et ut debita positiva praestemus.

4. Virtutes complentur per *dona Spiritus Sancti,* quae sunt qualitates habituales infusae, quibus prompti sumus ad obtem-

(1) Vcrltatoin istius concordiae nuperrime ostendit P. Victor Hobtachy, in vitis sanctorum : *Joie et sainteté. Essai d'études d'dmcs.* Tournai. 1922.

porandum motionibus tum ordinariis tum extraordinariis Spiritus Sancti, ac proin inclinamus in finem supernaturalem. Numerantur septem : *sapientia, intellectus, consilium, fortitudo, scientia, pietas et timor Domini.*

Dum agimus per dona ista colligimus *fructus* Spiritus Sancti, qui sub alio respectu sunt etiam *beatitudines.*

II. Divina Providentia praeterea nobis praeparat subsidia exteriora exemplorum, consiliorum, circumstantiarum, maxime autem exempla et doctrinam Christi. In hac doctrina nobis praecipue attendenda sunt consilia et promissa; maxime autem saepe repetita promissio beatitudinis, iam hic in terris cum virtute mystorioso sed vere coniuncta.

CONCLUSIO.

500. — Dum, post perpensas miserias nostras morales, et deturpatam iniquitate imaginem Dei in homine peccatore, suppeditata nostrae libertati subsidia meditamur, intellegere incipimus quomodo eodem ore Apostolus ipse se infelicem hominem nominare et dolere (1), gemitumque universae creaturae (2) referre, rursus autem nos ad continuum et perpetuum gaudium excitare potuerit (3). Ut in hac vita, mixtum pio timore et hilari spe affectum geramus, nos suadent collatae considerationes propriae nostrae egestatis, et divitiarum quas habemus in Christo. Distinctius quoque capimus qua ratione omnis disciplina evangelica sit humilitatis (4) et magnanimitatis: humilitatis qua nihil esse in nobis agnoscimus; magnanimitatis, qua divina a Deo exspectare audemus. Siquidem « deos facturus qui homines erant, homo factus est qui Deus erat » (5). Quod inspiratis eloquiis nobis iam tradebat discipulus quem Iesus amabat : « Quotquot autem receperunt eum dedit eis potertatem filios Dei fleri » (6). Si autem cum Filio omnia nobis donavit Deus (7), ipsa iustitia postulat ut Filius per ista dona sua regnet in nobis.

Multitudinem donorum et virtutum licet cum Augustino exercitui assimilare ; sed, sicut s. Doctor, Christianum alloquens, monebat : est « exercitus imperatoris qui sedet intus in mente tua. Quomodo enim imperator per exercitum suum agit quod ei placet ; sic Dominus Iesus Christus incipiens habitare in interiore homine nostro, idest in mente per fidem, utitur istis virtutibus quasi ministris suis... Per

(1) Rom. 7, 24. — (2) Rom. 8. 22. — (3) Phil 4, 4. — (4) « Humilitatem quae paene una disciplina Christiana est · (S. Augustinus. Sermo 351, 4 (P. *L.* 3», 1538). — (5) s. Augustinus. Sermo 192 (P. *L.* 38, 1012). — (6) Ev. S. Ioann, 1, 12. — (7) Rom. 8, 32.

has virtutes invisibiles, moventur membra visibiliter : pedes ad ambulandum ; sed quo Î Quo moverit bona voluntas, quae militat bono imperatori. Manus ad operandum ; sed quid ? Quod iusserit caritas, quae inspirata est intus a Spiritu sancto (1). »

NOTAE SUPPLEMENTARES.

1. Ad n. 395, *de peccato 'materiali.* Descripsimus ibi peccatum materiale quod ille committit qui libere sed ignoranter agit. Verum altera ratio peccati materialis habetur cum actus malus fit ab eo qui propter amentiam, sommum, ebrietatem sui compos non est.

2. Ad n. 428 *de morali peccatorum specificatione.* Praeterendum tamen non est, ad unam perfectam peccati speciem pertinere actus completos et actus incompletos; incompletos vero, qua tales, a completis specifice differre. Cfr. S. Th. 1, 2, q. 72 art. 7, c et ad 3.

3. *Bibliographia* in postremum tomum differtur.

(1) In epibt. loanniH, Tr. 8, 1. (P. 35, 2030).

INDEX RERDM ALPHABETIC! S

Numeri = numeri marginales, nisi praeponitur p. Asleriscus annotationes significat.
Lineola intcrducta (—) = vocabulum in principio positum

Abbates *nullius,* 273. 277 — dispensantes, 295.
Aboulia, 99.
Abstinentia (virtus), 475.
Abstinentiae dubia obligatio, 370, 371, 374.
Acedia. 468, 487.
Actio aliena, quomodo imputetur, 132, 135; propria, quomodo imputetur, 128 num oblatio an praecepta, suadenda, 148.
Actus in continua serie ponendi sunt, 37,3 — qui lege praecipi possunt, 254, 255.
Actus humanus, 31, 33, 34 — psychologice *liber,* 31; moraliter, 35 ; meritorius, 136, 138, 147 — *moralis,* 32.
— bonus vel malus, licitus vel illicitus, meritorius vel demeritorius, rectus vel pravus. An indifferens, 34, 36. 109 — elicitus vel imperatus, 38,3 — internus vel externus, 33, x, 110. Externus, additne moralitatom, 110 — naturalis vel supematuralis, 33,2 — validus vel invalidus, 36, 180.
Actus qui fieret additne. moralitatem, 111.
— quo satisfit legi, 195-200,202.
Actus heroicus erga purgante* animas, 147.
Actus praeteriti caduntne sub legem, 255.
Adam ante lapsum, incapax peccati venialis, 416.
Advena, 285, 286.
Advertentia requisita in peccato gravi, 405.
Aequiprobabilistae. 357, III ; 358, 1,3.
Aetas eximens a lege ecc.a 282-284. Dubia de aetate, 374.
Aeterna poena, cur, 410, 444.
S. Alphonsi auctoritas, 5; mens de probabilismo, 357, V ; de peccati occasione, 452.
Ambitio, 469, 474.
Amentes exempti lege ecc.a 282 — et domicilium, 285.
Angelus incapax peccati venialis, 414.
A rchiepiscopus metropolita. 275
Articuli fidei, 1.
Ascetica scientia, 2, 3.
Auctoritas S. *Alphonsi, S. Thomae,* 5.
Aula Pontificia, 315.
Avaritia, 471.

Axiomata iuris, prudenter utenda, 6, 7.
Baii propositiones, 35, 62.
Baptismus dubius obligatne ad leges ecc.as, 281.
Barbarorum peccata, 398.
Blasphemiae in ebrietate, 483.
Bonum ex integra causa, 122 — 124, 128, 130, 135.
Breve, 265.
Breviarium probabiliter recitatum, 369.
Bulla. 265.
Camera Apostolica. 334, 3.
Cancelleria Apostolica, 334.
Capitalia peccata, 466-488.
Capitulum cathédrale, 274, 277 — generale religionum, 277 ; particulare, 277.
Casus molesti in re libidinosa, 103-105 — perplexi, 349.
Catechumeni immunes lege ecc. a, 279.
Catholicorum oboedientia legibus, 337.
Causa dispensandi, 222.
Causa *per se, per accidens,* 129-131, 133.
Certitudo moralis, 340,5; 351,362.
Christi conaturalis glorificatio per actus nostros, 148, 149 — exempla et doctrina, maxi. mum libertatis subsidium, 498. Ipse per virtutes et dona, in nobis regnare debet, 500.
Cicero, do peccato, 391 ; de scrupulo, 380.
Circumstantiae, quid, quot sunt 120. Quid influant in mora* bitatem, 121.
Clausulae abrogantes consuetudinem, 263.
Clementia, 486.
Clerici subiacentne legi civili, 335.
Coactio, quid et quotuplex, 75. Quid efficiat, 76. Quomodo ei resistendum, 76, 77.
Codex iuris can. et consuetudo, 263 — et leges anteriores, 271 — et interpretatio eius, 290.
Compensationis systema, 357, IV ; 358, I, 4.
Communicatio privilegiorum, 211.
Concilium *oecumenicum,* 277; *plenarium,* 276, 277; *provinciale,* 275, 277.
Concupiscentia, quid et quotuplex, 66, 67. — Quid efficiat in voluntarium, 68 ; in meritum et peccatum, 69. Quid si accedat consuetudo, 70.
Condicio differens a causa, 187
Confessarius in casibus molestis de re venerea, 108-105 — dispensans, 299 ; interrogans de numero peccatorum, 440 ; utens probabilitate extrinseca, 367 — laxi, 388 —scrupulosi, 382-385.
Confessio numeri peccatorum, 440.
SS. Congregationes Romanae, 277. De ipsis communiter, 317. — De singulis, 318-329. Recursus ab una S. Congregatione ad alteram, 314.
Conscientia, moralis, psychologica. Quid et quotuplex. Est regula morum, 338-341 — certa, 340,4 ; 343 — dubia practice, 346-348. Quid in

casu perplexo, 349 ; urgento, 344 dubia speculativo 351-355 ; de factis, 368, 369 ; do iure, 356-367 · erronea, 344 — negative dubia, 372-379 —laxa, 387. 388 recta et tenera, 376-379 — scrupulosa, 380-386.
Consensus imperfecti criteria, 417.
Consilium, 232, 233.
Consilium episcopali', 274.
Consuetudo (personalis seu habitus), 57, 70.
- gignens privilegium, 211 — facti et iuris, 260-263 — legem temperans, 353.
Contemptus formalis et absolutus, 418,3.
Contumeliae in ebrietate, 483.
Cooperatio ad malum, quomodo possit excusari, 135.
Cupiditas, vitium capitale, 467
Curia *dioecesana,* 274 — *Romana,* 315-334.
Dataria Apostolica, 334,a.
Decalogus, 244.
Decanus, 274.
Decretum regium, praesidis, 264 — S. Congr. Rom. 264 N. B., 317.
Delectatio, quid ; quodnam .sit obiectum morale, 117, 150* — nis repudiatio, meritoria, 145.
De morosa delectatione, 459, 460.
Delegati Apostolici, 273.
Delegatio varia ad dispensandum, 223, adexsequendum rescriptum, 311 — Potestne do legatus secum dispensaro, 225.
Deliberatio de committendo mortali, cstne gravis, 419 *ter* — quaenam censenda est imperfecta, 417.
Dementes, 94.
Desiderium, 461.
Deus nihil facit per accidens. Quomodo permittat malum, 133 — ordinator mundi, 155-157 — quo sensu solus Legislator, 186 — non tenetur suis legibus, 192.
Dispensatio, quid, 222. Non praesumitur, 222. Pro alio petita, 225. Quid—ad singulos casus. 301 —nis auctor, 223. 294–300 ; causa, 224 ; cessatio, 228 ; interpretatio, 227, 305*; subiectum, 225, 302 ; usus, ubinam et in quo foro, 303 ; validitas in dubio, 304.
Dolus, quid, 86. Quid operetur. 86.
Domicilium, 285.
Dubium facti, iuris, 55; in lege ecclesiastica, 270-295. Variorum dubiorum solutio, 370 375 — de baptismo eximitne lege ecc., 281 — et opinio, 340 — et probabilitas, 352. Quid dubitanti liceat, in casu urgenti, 344.
Ebrietas, 477-484 — impedit libertatem, 52,3.
Ecclesia praecipitno actus internos, mixtos, 254.
Effectus, quid et quotuplex, 129. Quomodo imputatur, 130, 131, 134. Gaudium de effectu, 462. Quaestio de duplici effectu, 131.
Encyclicae litterae, 265.

Epikeia, 184, 257.
Epilepsia, 100.
Episcopi do logo pontificia recurrentes ad Papam, 257,! — legislatores, 277, 278. Eorum mandatum de exsecutione legis pontificiae an exspectandum, 257, 4 — quid in hiérarchie ecclesiastica, 274 ; quomodo dispensent, 295 — *residientialcs, titulares,* 274 — *suffraganti,* 275.
Error, 54 — in rescripti exsecutione vel tenore, 310, 311.
Ethica, 1, 2.
Exemptio localis a lege, 288.
Fictio, quatenus legem fundare videatur, 179.
Finis, quid et quotuplex, 110. Quid efficiat in moralitatoin, 113, 118, 119, 123. Quid, si agas propter delectationem 117 — si cessat, cessatno lex, 206, dispensatio, 228.
Forum privilegia!um, 335.
Gaudium, 117, 458, 462, 463.
Gentium ius, 246-248.
Gratia actualis, 4923 medicinalis, 71.
Gratia sanctificans, 409, 492. Eius privatio, 409, 445.
Gula. 475, 476.
Habitus et voluntarium, 57,70.
Haeretici an tenentur legibus ecclesiasticis, 280.
Harnack, impugnator probabilismi, 357, p. 305, 307.
Hierarchia ecclesiastica, 272.
Historica de theologia morali, 10-24.
Humana carne vesci, 476.
I. Hus, propositiones damnatae, 142.
Hypnoticus status, 101.
Iactantia do peccato, 464.
Iansenistarum propositiones, 62.
Ieiunium naturale fortasse violatum, 369, 370, 374.
Ignorantia, quid ot quotuplex, 54, 55. Quid invincibiliter ignorari possit, 56. — Quomodo culpanda, 58. — Quosnam effectus pariat in voluntarium, 61 ; in meritum et peccatum, 62 ; in poenas, 63 ; in valorem actuum, 64. Semper damnosa ignorantia iuris naturae, 62, ignorantia affectata, 61.
— logis ecclesiasticae, 270.
Impedimenta excusantia a lege, 216-20.Quid si voluntaria , 221.
Imperfectio moralis, 422-424.
Impotentia moralis, 71 — Excusans a lege, 217, 218.
Impuberes excusati a poenis, 283.
Impulsus invincibiles, 98.
Imputatio, quid et quotuplex, 127 — actionis, 128-135; effectus, 129-134.
Inadvertentia, 54-65.
Incola, 285, 286.
Incommodum excusans a lege, 218-220.
Infantes, lege exempti, 282.
Infidelis potcstne mereri, 142. 398 — non excusatur opinione minus probabili, 368,2 — subiectus non est legi ecc. 279.
Instructio, quid, 264.
Intellectus non separandus a voluntate, 37.
Intentionis efficacia, 110-111, 125, 150, 152. Intentionis et

permissions comparatio, 128-131 — puritas quaenam sectanda, 151 — renovatae utilitas, 152 — sufficientia in observanda lege, 197, 198.
Interpretatio dispensationis, 227 — legis, 182, 183, 184 ; — ecclesiasticae, 289-191 — privilegii, 213, — per decreta SS. Congr. 309-317.
Invidia, 474.
Involuntarium, quid, 47.
Ira, 485, 486.
Irritatio varia per legem, 180 per legem ecclesiasticam. 270.
luridica disciplina et moralis, 4.
Iuris dictio, 188, 272 — cumulativa SS. Congr, 329. Suppleta ab Ecclesia, 369.
Iuris dubium, ignorantia, 55, 2.
Ius canonicum, 2, 3.
Ius Gentium 246-248.
Ius quaesitum 173, 255.
Kant generalis regula morum. 240 ; iansenista acatholicus, 129.
Labor estnc praeceptus, 488.
Laxistae, 357, V.
Leges physicae, artium, 164.
Legislator, quisnam, 186-188, — an logo propria tonetur. 192. Quomodo imperet tyrannus, 189 — in sua lege dispensans, 223 — in consuetudinem consentiens, 260 — <c-cZesiasiicu*. 277 — *civilis*. 335.
Legis auctor, 186, 187. 277, 355 ; cessatio, 205, 206 ; definitio, 160 ; essentiales condiciones, 161, 162 ; excusatio, 207-228 ; interpretatio, 182 ; obligatio, 168, 176. An cum periculo vitae, 219 ; partitio, 177-180 ; promulgatio, 162; utilitas, 337 ; vacatio, 163.
Legis *humanae* obligatio, 250-254.
Legis *civilis* auctor, promulgatio subiectum, tendentiae hodiernae, usus in foro ecclesiastico, 335.
Legis *ecclesiasticae* nomen et forma, 265; promulgatio, 266; revocat io,271 ; subiectum,279-288 ; suppletio per legem civilem, 335 ; vacatio, 267. 268; vis extensiva et- intensive, 269, 270.
Legis *particularis* subiectum, 285-287.
Lex affirmativa, negativa, 177 ; irritans, 180 ; *moralis,* 168 ; *poenalis,* 169. 255-2 ; quomodo respiciat sola futura, 173 ; sit observanda, 194-203 ; sit perpetua, 172 ; universalis, 171.
Lex divina *aeterna,* quid sit. ipiid complectatur. 235, 236 ; necessaria legi humanae, caque praostantior, 337-11 ; *naturalis* fundat alias leges, 237. Eius divulgatio, 239 ; firmitas, 240 ; notio, 237 ; promulgatio, 23S ; sanctio, 243 ; subiectum, 242. Quid si finis videatur cessare, 240 Quaenam complectatur ; quescuiam ordinem confirmet, 241 ; *positiva* veteris et Novi Testamenti, 244.
Libéralités, 472.

Libertas moralis, 35, 70. Libertatis condiciones, 49 — et voluntarii coniunctio, 48. — impedimenta communia, 51, 52, 53;—accidentalia ex dolo, 86 ; ex ignorantia, 54-65 ; ex concupiscentia, 66-74; ex vi et metu, 75-85 ; ex morbis animi, 94-102.
Licentia, quid in se, et comparata cum dispensatione, 222.
Luxuria, 473.
Macula peccati, 409, 420.
Magnanimitas, 469, 470.
Maledicere diei nativitatis, etc., 474.
Malitia intrinseca, 114 — multiplex unius peccati, 430.
Mansuetudo, 480.
B. Mariae Virginis conaturalis glorificatio per opera nostra, 149 — immunitas a peccato veniali, 416.
Materia gravis in lege, 252 ; pro peccato, 404 — quomodo fiat gravis si cumulata, vel levis ut modica pars magnae quantitatis, 418, 419.
Meritorii actus, quinam, 140–147.
Meritum, quid et quotuplex, 136, 137. Do merito theologico, 138-147.
Metropolita, 275.
Metus, quid et quotuplex, 78, 79. Quid efficiat in actus, 81, 83 ; in iuramcnta, et ordinationem sacram, 84 ; in peccatum, 82 ; in legis obligationem, 220; in poenas, 82,220.
Phobiae vitandae, 85.
Minor et domicilium, 285.
Moralis impotentia, 70 ; libertas, 35.
Moralitas, quid et quotuplex, 107, 108. Quousque se extendat, 109-111.
Moralitatis fontes, 113-125.
Morbi animi, 94-102.
Moribundus utens morphio,478.
Morphii usus, 478.
Motu Proprio, 265.
Motus non deliberati sensus, voluntatis, 53, 72. Excitati affectus non sunt ficticii, 74.
Mystica scientia, 2, 3.
Neurasthenici, 102.
Non-retroaetivitas legis, 173.
Numerica distinctio peccatorum, 432–440.
Nuntii, Internuntii, 273.
Obiectum morale, quid, quotuplex, 114. — Quid influat in moralitatcm, 115.
Oblationum valor moralis, 110, 152 — generalium obligatio, 148.
Obligationis notio, psychologica explicatio, 158 — legis humanae fons, 250 ; materia, 254 ; species moralis et theologica, 251, 252. Mens legislatoris, 253.
Observatio legis, 194-203.
Obsessio, 97.
Occasio peccati. 452-456.
Officia *Curiae Romanae,* 334.
Officialis, 274.
Omissio ponitur inter actus, 37. Quomodo imputetur, 128, 130, 406. Quomodo multiplicetur, 437.
Opinio, 340, 359, *d.* — probabilis, 352, 354 — probabiliter

probabilis, 363 — tuta et tutior, 355 — unice probabilis, 362.
Orationis ad fines speciales utilitas, 146.
0 rdinarius dispensans, 270,295, 302 — *loci,* 274, 295, 3, 302. Recursus ad varios Ordinarios, 314.
Ordo praesens divinae Providentiae, 156, 160 — complendus per hominem, 157 — quo pluribus obligationibus satisfit, 201.
Ordo publicus, quid, 286.
Orientales Codice exempti, 269.
S. Paenitentiaria. 331.
Parochus, 274—dispensans, 297.
Pastoralis theologia, 2, 3.
Patriarchae, Primates, 275.
Peccata aliena, 491 - capitalia, 466-488 ; — clamantia ad caelum, 490; — in Spiritum sanctum, 489.
Peccati distinctio numerica 432-440 ; specifica, moraliter, 426-430 ; theologice, 400-408 ; 412-419 — exstinctio, 447-449 ; fuga, 451-456 ; poenae, 410, 442-445 — status, 195, 409, 420.
Peccator potest no mereri, 141.
Peccatum, quid, 391-393 quotuplex distinguatur,394; ubi nam reperiatur, 396 - formale, 395 ; materiale, 358, 1,4 ; 360, 395, 451 — internum, 433-45S-464 — *mortale* actuale, 400-408 ; habituale, 409 — omissionis, 406 - philosophicum. 158-397 — *veniale,* actuale, 412-419 ; habituale, 420.
— ignorantiae, 58-60, 62, 394, motus non deliberati, 53. illicitae permissionis, 134. Non impedit observationem legis, 195, 196.
Peregrimus, 285, 286,287.302.
Permissio, in re morali, 129 - mali a Deo, 133 — nis moralitas, 130, 131, 134.
Per se... per accidens. Causasalitas, 129, 131, 133. Distinctio, 8. Effectus, 129.
Phantasmata impura, 72.
Phobiae vitandae, 85.
Phrenetici, 94.
Poenae *canonicae* excusatae ignorantia, 63. Supponunt peccatum mortale, 63.
Poenae *peccati,* 442-445. Reatus poenae, 410, 442. Remissio poenae, 447, 448.
S. Pontifex. Eius leges, 265, 277; locus in hierarchia et potestas, 273, 294. Quaenam in Curia Romana ab ipso approbanda sunt, 316.
Populus non est legislator, 256. Eius auctoritas in legis firmitatem, 257 ; interpretationem, 258 ; originem per consuetudinem, 260-263.
Praeceptum, 165, 171, 230, 231.
Fr. Praedicatores et systema morale, 357.
Praefectus Apostolicus. 273, 277 — dispensans, 295.
Praelati nullius, 273-277 — dispensantes, 295.
Praescriptio et consuetudo, 261.
Praesumptio fundans legem ; iuris ; iuris ex de iure, 178.

Praesumptio principium solutionis casuum, 364, 417,2.
— vitium, 469.
Praesumptos consensus de futuro, 46, do praesenti, 44.
Primas. 275.
Privilegiorum communicatio, 211.
Privilegium quid et quotuplex, 209, 210 — in foro canonico, 293. *Privilegii* quisnam usus praecipiatur, 214 — quomodo cesset, 215.
Probabilioristae, 357, 11. 358, 1,2.
Probabilismus, 357,V. Ad quosnam tractatus spectet quaestio, 390. Eius rectus usus, 365-369.
Probabilitas fact i, 352, 3G5, 368, 369; iuris, 352-354. Probabilitatis extrinsecae usus, 353, 367. Probabilitatum oppositarum simultaneus usus, 370.
Prodigalitas, 471.
Promulgatio b'gis, 162, 183, 266.
Propositi boni merit um, 110,111.
Propositiones reprobatae, 35, 62, 117, 142, 357, 368, 397.
Rectus usus reprobationis, 9.
Propositum et exsecutio : an haec addat luoralitatem, 110, 111
Proprietas privata: iuris explicatio, 247.
Provincia ecclesiastica, 275.
Puer caret libertate, 52.
Pusillanimitas, 469.
Quasi-domicilium, 285.
Reatus culpae, 309 ; poenae, 410, 4 12.
Regularis dispensatus ub Ordinario loci, 302, 5.
Religiosorum exempt io localis, 288.
Remissio peccati, 447-449.
Renuntiatio dispensationi, 228 ; privilegio, 215.
Rescripti notio, 265, 306 ; executio, 311 ; firmitas, vacante sede, 312 ; impetratio et subiectum, 307 ; praesentatio Ordinario facienda, 313 ; validitas, 308-310; viset obligatio, 289, 309. Quid si ad varios Superiores recurras, 314.
Residentia, 285.
Resistentia tentationibus, 73, 77 ; violentiae de inhonestis robus, 77.
Rigorismus, 357, I.
S. Romana Rota, 332.
Sacerdos dispensans. 300.
Sanctio legis, 175; quaenam requisita pro lege divina, quaenam pro lege humana, 243, 337.
Sanctitas divina a nobis participata, 158.
Scandalum quomodo possit excusari, 135.
Schismatici an tenentur legibus Ecclesiae, 280.
Scientia, 1 — iuridicu et moralis, 4.
Scoti sententia de moralitate actus exterioris, 110; de peccato veniali, 414.
Scrupuli, 380-386.
Secretaria Status,334.
Secretum in Curia Romana, 316.
Semisomni libertas, 52.
Sensus motus non deliberat i, 53.
Societas internationalis, 248.

Societates a temperantia, 484.
Somnus impedit libertatem, 52,2.
Species *moralis* obligationi \ 251 ; peccati, 426-430, 458, 460, 461 ; *theologica* obligationis, 252.
Spiritus Sancti dona, fructus, 497.
Spontaneum, 74.
Statim, quid in hire canonico, 202.
Statutum. 265.
Stilus Curiae, 262.
Subiectum dispensationis, 225, 302 ; logis ecclesiasticae, 279-288.
— theologiae moralis, 27-29.
Superbia, 467, 469.
Superior potestne aecum dispensare, 225 ; potostne recursu suo suspendere praeceptum vel legem Superioris, 257.
— religiosus Generalis au condit legem, 277 — *maior,* dispensans, 296. Omnis — dispensans, 298.
Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal, 333.
Synodus diocesana, 274.
Systemata moralia exponuntur, 356, 357 ; roioctis falsis, verum statuitur, 358-360.
Tacentis consensus, 45.
Tempus quo lex implenda est, 202 — cuius pro variis praeceptis optio datur, 370-374 — quomodo supputatur, in loge ecclesiastica, 292.
- continuum, utile, 292, 7.
Tentationum impugnatio, 73,77. 103-105.
Theologiae moralis definitio, 1 ; distinctio ab affinibus scientiis, 2 ; fontes, 5 ; historicae notae, 10-21, 23, 24 ; locus et dignitas,4;methodus, 6; ordo, partitio, 25 ; postulata 24 ; hodierna, 22 ; subiectum 27-29 ; usus condemnationum, 9; distinctionum, 8 ; effatorum, regularum iuris, 6, 7 ; rationis 5, 24 ; revelationis, 2, 5 ; utilitas, 30.
Theologia, scientia una, 1. Significatio vocis p. !♦— dogmatica, 2, 3.
S Thomae auctoritas, 5 ; mens, de probabilismo, 361, sententia do morali malitia et lege, 397* ; de poena peccati mortalis, 400 ; do aeternitate poenarum, 410, 444 ; de veniali peccato, 414; de numerica distinctione et specificatione peccati, 426, 427, 423 ; de peccatis capitalibus, 467, 468 ; de ebrietato, 477.
Tribunalia Curiae Romanae, 330-333.
Tristitia de bono, 464.
Tutiorismus, 357, 358.
Usurpatoris leges, 189.
Uxor et domicilium, 285.
Vacatio legis, 163, 267, 268.
Vagus, 285, 286, 302.
Vana gloria. 469.
Veniale peccatum. 412-420. Voluntas omnia venialia committendi estne gravis, 419-bis
Veri simile et verum, 359.
Vicariatus Urbis, 315.
Vicarius *Apostolicus,* 273. 277 — dispensans, 295.

Vicarius *capitularis,* 274, 277 — dispensans, 295.
— *forancus* 274.
— *generalis,* 274 — dispensans, 295. Recursus a Vicario generali ad episcopum, et contra, 314.
Virtualis voluntas, quid, 46.
Virtutes naturales, supernaturales, morales, cardinales, theologicae, 492-495.
Virtutum partes potentiates, quasi-integrates, subiectum, 496.
Vis. quid et quotuplex, 75.— Quid efficiat, 76. Quomodo ei resistendum, 76-77.
Vita praesens, causa tristitiae et gaudii, 500.
Voluntarii notio, 40 — partitio, 41-46 — et liberi conjunctio, 48.
Voluntatis motus non deliberati, 53.
Voluntas, non separanda ab intellectu, 37 — vi cogi nequit ,75.
Vota,quandonam renovanda,292 — quibus probabiliter satisfactum ost, 369. Quid si plura vota simul violaveris, 418.

Imprimé à Rome Italie